TITULUS II.

De Censura Suspensionis in particulari.

TITULUS III.

De Censura interdicti in particulari.

De Irregularitate in particulari.

§. UNICO.

TITULUS IV.

De Censuris in jure latis contra Moniales.

§. I.

§. II.

§. III.

§. IV.

INDEX

Formularum accessoriarum, tam Præludii, quàm Operis.

TITULUS I.

TITULUS II.

TITULUS III.

TITULUS IV.

INDEX

Rerum, & Materiarum, quæ in hac Tertia Operis parte continentur.

A

Abbatissa.

Abbatissatus.

Aggravatoria.

Alienatio.

Altare.

Animalia.

Appellans, Appellatio.

Arbiter.

Archiepiscopus.

Arctatus.

Arma.

Assassinium.

B

Beneficium.

Benedictio.

Bigamia, Bigamus.

Bona.

Brachium Sæculare.

C

Cambium.

Canones.

Canonici.

Cita-

Civitas.

Clausula.

Clausura Monialium.

Clericus.

Clericus, Conjugatus.

Coactio.

Colonus.

Collatio.

Collegium.

Communitas.

Concubina, Concubinarius, Concubinatus.

Confessarius.

D

De-

Di-

Distributiones.

Divina Officia.

Dolus.

Dominium.

Dos.

E

Ecclesia, Ecclesia pollutio.

Edictum.

Excommunicatio.

Excommunicatus.

Excusatio.

Executor.

F

G

Jus

Mons Pietatis.

Mons frumentarius.

Monitio.

N

Papa.

Participatio.

Patentati.

Patientia.

Patrimonium.

Peccatum.

De.

fio-

Renuntiatio.

Represalia.

Repudiatio.

Restitutio.

Reservatio Absolutionis.

Reservatio Censuræ.

Rigor.

S

Sacramentum.

Sacrilegium.

Scrutinium.

Scrutator.

Sepeliens, Sepultura, Sepultus.

Spon-

Syndicatus.

Synodus.

T

Testamentum.

Testis.

Te-

Vi-

Usura

FOR

FORMULARIUM LEGALE PRACTICUM Fori Ecclesiastici.

PARS TERTIA.

PRÆLUDIUM.

SUMMARIUM.

1 *Censura Ecclesiastica quid sit ostenditur.*
2 *Quot sint censuræ propriè dictæ demonstratur.*
3 *Cessatio à Divinis non est censura.*
4 *Judex Delegatus, qui habet facultatem infligendi censuras, non potest deponere.*
5 *Quid sit excommunicatio ostenditur.*
6 *Excommunicatio dividitur in majorem, & minorem.*
7 *Excommunicatio simpliciter lata, semper intelligitur de majori.*
Excommunicatio non debet inferri nisi in subsidium. ibi.
8 *Excommunicatio alia fertur à jure, alia fertur ab homine. Excommunicatio hominis quando extinguatur morte ferentis.* ibi.
9 *Excommunicatio quando dicatur lata Sententiæ, vel ferendæ, ostenditur, & num.*10.
11 *Excommunicatio debet ferri in scriptis, aliàs ferens incurrit pœnas à jure latas, & puniri potest.*
12 *Excommunicationes aliæ sunt reservatæ, aliæ non, & quæ sint Pontifici reservatæ ostenditur.*
13 *Excommunicationes non reservatæ, quæ sint enumerantur.*
Fundator Beneficii potest sibi fructus reservare tempore vacationis. ibi.
14 *Excommunicatio major non reservata, non absolvitur à simplici Confessario, & num.*15. 16. 17. 18. & 19.
20 *Absolutio excommunicationis obtenta ab habente privilegium absolvendi in foro conscientiæ, non prodest in foro externo.*
21 *Qui sint effectus excommunicationis majoris ostenditur, & enumerantur,* & 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 42. 43. 44.
41 *Quibus sit licitum communicare cum excommunicato vitando, ostenditur.*
45 *Potestas excommunicandi est à Deo.*
46 *Forma excommunicandi, & excommunicatos vitandi, est ab Ecclesia.*

Inter-

Interdicta Civitate, interdicuntur suburbia ibi.

Interdicta Ecclesia, interdicitur Cœmeterium, non è converso ibi.

129 *Judex suo arbitrio limitare potest effectus Interdicti.*

136 *Interdictum quomodo tollatur, & absolvatur, ostenditur, & num.* 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144.

145 *Quid sit cessatio à divinis ostenditur.*

146 *Cessatio à divinis est duplex, & differt ab Interdicto locali.*

147 *Qui sint effectus cessationis à divinis ostenditur, & num.* 148.

149 *Ob quam causam cessatio à divinis imponatur, indicatur.*

150 *Qui non habet jurisdictionem ferendi censuras, cessationem à Divinis indicere non potest.*

151 *Forma ferendi cessationem à Divinis traditur.*

152 *Quæ sit causa sufficiens ad imponendam cessationem à divinis ostenditur.*

153 *Cessatio à divinis non imponitur sine admonitione.*

154 *Qui habet privilegium audiendi Divina tempore Interdicti, eo non utitur tempore cessationis à divinis.*

155 *Quid sit irregularitas ostenditur.*

156 *Irregularitas non incurritur, nisi in jure sit expressum.*

157 *Quotuplex sit irregularitas ostenditur & declaratur unaquæque singillatim & nu.* 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177.

178 *Quot modis tollatur Irregularitas ostenditur, & num.* 179. 180. 181. & 182.

183 *Qui sint effectus irregularitatis, ostenditur, & num.* 184.

CUm in prima, & secunda mei *Formularii* partibus formulas expeditionum usu frequentium in foro Ecclesiastico juxta præscriptum Sacr. Canonum, ac Decretorum Sac. Congrenationum tradere studuerim: & usus censurarum item in eodem foro frequentissimus sit, congruum, & cohærens mihi visum fuit, in hac tertia parte pro complemento totiùs operis, formulas censurarum publicandarum reponere: Et si rem difficilem explicandam me aggredi non ignorem; adhuc invocato prius Divino Trinitatis præsidio, optatum finem assequi posse non diffiteor. Antequam verò de his formulis agam, aliqua notabilia de ipsis censuris præmittam, quæ ad pleniorem intelligentiam earundem formularum conducunt, & ad faciliorem directionem fori externi inservire, & pertinere noscuntur.

De Censura in genere.

1 Censura igitur Ecclesiastica in genere, est correctio, & pœna quædam spiritualis, ac medicinalis, privans usu aliquorum bonorum spiritualium per Ecclesiasticam potestatem inflicta delinquenti, donec à contumacia recedat. Dicitur pœna medicinalis; quia per censuram non cessat ipsa spiritualis potestas, seu habilitas ad spiritualia bona, sicut per irregularitatem, depositionem, vel degradationem, quæ privant habitu, seu potestate utendi iis bonis, ex quo suapte natura sunt perpetuæ, nec statim auferuntur etiam si delinquens sit emendatus: Censura verò impedit tantùm usum bonorum, & ab ea faciliùs conceditur absolutio post emendationem. Dicitur *privans usu aliquorum bonorum spiritualium*, quia hæc quædam sunt propria, & permanentia, quibus nemo invitus spoliari potest, ut gratia habitualis, virtutes infusæ, earumque bonæ operationes; quædam verò sunt communia, quibus homo in pœnam privari potest quoad usum activum, & passivum, ut est ministratio, & receptio Sacramentorum, & participatio publicorum suffragiorum Ecclesiæ.

Tres tantùm sunt Censuræ propriè dictæ scilicet, excommunicatio, suspensio, & interdictum *c. quærenti* 20. *de verb. signific. cap.* 1. *c. statutum, & c. is cui de sent. excommunic. in* 6. Irregularitas autem,

non est propriè censura, seu pœna; sed inhabilitas quædam ad ministerium Altaris, seu impedimentum quoddam accipiendi, vel exercendi ordinem: sicuti depositio, & degradatio non sunt Censuræ, sed pœnæ quædam contra incorrigibiles à jure canonico latæ. Item cessatio à divinis, non est censura Eccle-
3 siastica, & quia non est prohibitio Divinorum officiorum, sed desistentia, & omissio, Navar. *in manual. Prælat. cap.* 27. *num.*1. *& seqq. & num.*188. Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 3. *&* 4. & alii communiter. Et hinc fit, quòd contumaces, & inobedientes, per censuras Ecclesiasticas compescantur; Judex delegatus, non potest vigore talis
4 clausulæ contumaces deponere, vel degradare, sed solùm illos suspendere, excommunicare, & interdicere, ut advertit Graff. *decis. aur. part.*1. *lib.*4. *cap.* 1. *num.*5.

De excommunicatione §.I.

5 Excommunicatio à Divo Thoma sic diffinitur — *Est separatio hominis Christiani à communione Ecclesiæ quoad fructum, & suffragia generalia:* in hac enim diffinitione continetur, & communionis fidelium, & Sacramentorum interdictio: vel. *Excommunicatio est à qualibet licita communione fidelium separatio, in Summ. supplem. par.*3. *quæst.* 21. *art.* 1. & hanc secundam diffinitionem dat etiam *glos. in cap. si quem* 59. *verb. non tamen minori, de sentent. excomm.*

6 Hæc censura dividitur in majorem, & minorem *d. cap. si quem de sentent. excomm.* major à communione fidelium absolutè, & simpliciter separat, sive privat omnibus bonis communibus, nimirum Sacramentis Ecclesiæ, tam quoad administrationem, quàm susceptionem, publicis suffragiis, & convictu, seu societate civili, Minor verò excommunicatio est, quæ tantùm privat passiva perceptione Sacramentorum, citato *cap. si quem.* Dicitur autem minor non propter parvitatem objecti, est enim ex se res gravis privari perceptione Sacramentorum; sed per comparationem ad majorem, cujus est pars, & quia incurri etiam potest propter peccatum veniale, D. Thom. *in sum. supplem. par.*3. *qu.*23. *art.*3.

Excommunicatio simpliciter lata, 7
semper intelligitur de majori, *cap. penult. de sentent. excommunic.* & est pœna gravissima, qua nulla major est in Ecclesia teste Divo Augustino relato *in cap. corripiatur* 24. *quæst.* 3. ideoque ad eam deveniri non debet, nisi postquam alia media, ac leviores pœnæ, & censuræ frustra sint adhibita juxta monitum Concil. Trid. *sess.*25. *de reformat. cap.*3. & modò etiam aliqua spes sit rei emendandi, vel saltem promovendi bonum publicum, qui finis esse debet hujus pœnæ medicinalis, alioquin ab ea abstinendum erit.

Item secundò dividitur excommunicatio (idem est de aliis censuris) in eam 8
quæ fertur à jure, & in eam, quæ fertur ab homine. Excommunicatio lata à jure dicitur quando aliquid per legem, canonem, constitutionem, seu Statutum sub pœna excommunicationis prohibetur, vel præcipitur. Excommunicatio lata ab homine est, quæ per Judicis sententiam infligitur: Inter has autem hoc est discrimen, quòd sententia excommunicationis à jure lata perpetuò duret, etiam post mortem ferentis, sicut, & ipsa lex, quandiu contraria lege, vel consuetudine non revocatur. Excommunicatio verò ab homine lata extinguitur morte, aut depositione ferentis, ita ut eo mortuo, non possit deinceps incurri, quamvis qui eam vivente latore incurrit ea ligatus maneat, donec absolvatur: Unde si quis à judice excommunicatus sit sub conditione — *si intra mensem non restituerit*, & Judex ante mensem elapsum moriatur, non incurrit excommunicationem, Pirhing. *in jus can. l.*5. *tit.*39. *num.*9.

Item tertiò dividitur excommunicatio in eam quæ ipso facto incurritur, sive 9
criminis admissione, sive sententia Judicis: & vocatur excommunicatio latæ sententiæ, ut si dicatur — *qui hoc fecerit, sit excommunicatus, sit anathema:* aut — *subjaceat excommunicationi:* aut *excommunicationis mucrone percutimus:* vel — *excommunicationis sententia decernimus subjacere, vel vinculo excommunicationis innodamus:* aut — *extra Ecclesiam ejicimus:* aut

pra-

præcipimus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ , ipso facto, mox , statim incurrendæ : aut -- *excommunicetur , communione privetur ipso jure , ipso facto* : aut *excommunicationem incurrat* : aut -- *noveris te subjacere excommunicationi* : vel -- *decernimus te subjacere excommunicationi* : aut -- *noveris te anathemate percussum &c.* de quibus, & aliis clausulis sententiam excommunicationis latæ sententiæ importantibus habes apud Sebast. Medic. *tom.* 3. *in som. peccat. cap. quæst.* 42. Graff. *dec. aur. part.*1. *lib.* 4. *cap.*2. *num.* 5. *&* 6. Sayr. *de censur. lib.* 1. *cap.* 11. *à num.*6. *ad* 11. & eam quæ non ipso facto incurritur, ante sententiam Judicis, sed per hunc infligi debet,
10 & dicitur ferendæ sententiæ, ut si dicatur absolutè -- *qui hoc fecerit excommunicetur* : aut -- *excommunicationis mucrone feriatur* : vel -- *prohibemus sub pœna excommunicationis* : aut -- *excommunicationem incurret* : aut -- *prohibemus sub anathematis interminatione* : vel -- *sub obtestatione Divini judicii* : aut -- *indignationem Dei , & Apostolorum Petri , & Pauli , & nostram incurrat* : DD. mox citati : hæc enim ultima clausula includit pœnam arbitrariam , Cheruhin. *in sum. Bullar. ad constitut.* 30. *Leon.X. Schol.* 2.

11 Quanquam ad ferendam excommunicationem non requiratur certa verborum forma, sed satis sit talis, per quam de præsenti mens excommunicare volentis congruè exprimatur , & nil referat sivè dicatur -- *excommunico te à communione fidelium* , sive *privo* , *segrego* , *separo te* , dummodo excommunicatio externis signis voce, vel scripto sufficienter sit expressa : nihilominus sententia excommunicationis majoris lata per Judicem, debet ferri in scriptis, & exprimi causa propter quam feratur, ex præscripto Canonis in *C.cum medicinalis , de sentent. excommunicat. in* 6. aliàs lator procedens ad excommunicationem contra formam ibidem traditam, præter suspensionem à divinis , & ab ingressu Ecclesiæ (quam incurreret per mensem) debet condemnari ad expensas, & ad omne interesse partis, & etiam aliis pœnis arbitrariis Superiori suo puniri, ut habetur expresse in *d. C.*1. *de sent.excom.in* 6. Pirhing.*loco supra citato num.*12. *vers.notandum tertio glos. in c. Sacro tit. eod.*

Item quartò dividitur excommunicatio in eam quæ reservatur ferenti, & eam quæ nulli reservata reperitur. Excommunicationes, quæ hodie reservantur Summo Pontifici, præter casus contentos in Bulla Cœnæ, sunt sequentes. 12

Contra omnes §. *II.*

Percutientes Clericum , vel Monachum *c.si quis suadente* 17. *quæst.*4.

Perseverantes per annum in excommunicatione lata à Delegato Papæ *c.querenti de offic. deleg.*

Falsarios literarum Apostolicarum *c.ad falsariorum de crim. fals.*

Habentes literas Apostolicas falsas , & illas non destruentes *c. dura eod. tit.*

Incendiarios à Judice excommunicatos, & denunciatos *c. tua nos de sent. excommun.*

Sacrilegos effractores Ecclesiarum *c. conquesti eod. tit.*

Communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa *c.nuper eod. tit.*

Eligentes potentiam insignem in Senatorem Romanum *can. fundamenta de elect. in* 6.

Vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt *c.quicunque de sent.excom.in* 6.

Absolutos ab excommunicatione sub conditione, & non implentes *c. eos qui ibidem* .

Offendentes Cardinales *can. felicis de pœn.*

Exigentes tributa à personis Ecclesiasticis *c. Clericis de immunit. in*6.

Violantes Interdictum modis prohibitis in *Clementina Gravis de sentent.excommun.*

Falsificantes monetam Regis Galliæ *Extravag. Joann. XXII. Prodiens de crimin. fals.*

Exenterantes corpora defunctorum *extravag.*2. *de sepult.*

Violantes Interdictum Sedis Apostolicæ *extravag.Et si de pœn.*

Conspirantes in personam Romani Pontificis *ibid.*

Dantes , & recipientes ob ingressum

Religionis *extravagan. comman.* 1. *de Simon.*

Simoniacos in ordine, & Beneficio. *extravag.*2. *eod. tit.*

Taxantes opinionem de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis *extravag. grave de Reliq.*

Dantes, & recipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam *extrav.* 1. *de sent. excom. Bulla Bonifacii VIII.* 1. *& Greg.XIII.* 24.

Offendentes Rectores, seu Præsides Provinciæ Marchiæ Anconitanæ *extravag. Joan.XII. Dierum de pæn.*

Occupantes bona Cardinalium tempore Conclavis, *Bulla* 16. *Leonis X.*

Mentientes personas in literis Apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur *Bulla Leonis X.*27.

Impedientes executionem literarum Sacræ Pœnitentiariæ, *Bulla Julii III. Rationi congruit.*1.

Simulantes, & supponentes se alios esse pro obtinendis Beneficiis à Dataria, *Bulla* 12. *Pauli IV. inter cæteras.*

Committentes duellum, & illud consulentes *Conc. Trid. c.*19. *sess.*25. *de reform. Bulla Clem.VIII.* 11. *Illius vices.*

Mittentes literas, aut Nuncium in Conclavi, vel inde recipientes *Bulla Pii IV.* 63. *in eligendis.*

Occupantes Bona Ecclesiarum, Montium Pietatis, seu alterius loci Pii: vel impedientes ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur *Concil.Trid.cap.*11.*sess.* 22. *de refor.*

Fœminas ingredientes Clausuram Monasteriorum Regularium *Bulla Pii V.*20. *Regularium.*

Fœminas, sive masculos ingredientes septa Monasteriorum Monialium prætextu licentiarum in casibus non necessariis *Greg.XIII. Bulla* 28. *Ubi gratia.*

Suadentes Papæ ut alienet vel infeudet loca Status Ecclesiæ *Bulla Pii V.* 35. *Admonet Nos.*

Capientes, & retinentes Christianos habitantes inter Turcas, & illorum bona diripientes, aut remigare cogentes *Bulla Pii V.* 149. *licet.*

Non relevantes conspiratores, & insidiatores contra Cardinales *Bulla ejusd. Pontif.* 93. *Infelices.*

Publicantes Indulgentias, & facultatem dantes eligendi Confessores iis, qui aliquid solvunt *Bulla ejusd. Pontif.* 99. *Quamplenum.*

Accipientes, & retinentes fructus Beneficii vacantis, vel impedientes Beneficii possessionem non solventibus dulciaria, sive aliam solutionem *Bulla ejusdem Pontific.*104. *Durum nimis.*

Facientes jurare illicita, & contraria libertati Ecclesiasticæ, *Bulla Greg. XIII.* 93. *inter Apostolicas.*

Diripientes Animalia, & bona, vel illa furata ementes ex Statu Ecclesiastico, *Bulla ejusd. Pontif.*98. *Non sine.*

Violantes immunitates Ecclesiarum, *Bulla Greg.XIV.*7. *Cum alias.*

Docentes posse fieri confessionem Sacramentalem in absentia per literas, *Bulla Clem.VIII.*87. *Sanctissimus.*

Extrahentes frumentum, blada, legumina, & oleum extra Statum Ecclesiasticum sine licentia *Paulus V. Bulla* 12. *inter gravissimas.*

Docentes, aut defendentes etiam disputativè opiniones damnatas *Decret. S.Congreg. S.Officii annis* 1665. 1666. 1679. & 1690. *emanata.*

Contra Clericos.

Participantes in Divinis cum excommunicato à Papa *c. significavit de sent. excom.*

Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non immutanda sepultura in eorum Ecclesiis *Clement. Cupientes* §. *Sanè de pæn.*

Commissarios, seu Delegatos interponentes Decretum per gratiam, aut timorem, vel sortes, in alienatione bonorum Ecclesiæ, aut per alios fieri alienationem dolosè procurantes *Bulla* 2. *Pauli II.cum in omnibus.*

Prædicatores non servantes Decreta pro eis lata in Concilio Lateranensi *Bulla Leonis X.* 21. *Superna.*

Retinentes Beneficia in confidentiam *Bulla Pii IV.* 85. *Romanum Pontificem*, *Bulla Pii V.* 85. *Intolerabilis.*

Absolventes sub prætextu privilegiorum à casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinariis

riis reservatis *Decretum S.Congr.Episc. & Regular. à Clem. VIII. approbatum anno* 1601. Apud Piasec. *prax.part.2. cap.1.art. 3. de cas. Episc. reserv. num.* 1.

Trahentes personas Ecclesiasticas ad forum laicale, *Bulla Martini V.*10. *Ad reprimendas.*

Consentientes usurpationibus bonorum Ecclesiarum, *Concil.Trid. Cap.XI. sess. 22. de reform.*

Contra Regulares.

Administrantes Sacramenta extremæ Unctionis, & Eucharistiæ infirmis, vel matrimonia solemnizantes sine licentia Parochi, *Clem.1. de privileg.*

Absolventes sub prætextu privilegiorum à casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinariis reservatis *Decretum Clem.VIII.ut supra.*

Euntes ultra mare sine licentia Superiorum, *extravag.Ad nostram de Regular.*

Mendicantes transeuntes ad non mendicantes *extrav. viam ibid.*

Moniales exeuntes de Clausura absque licentia, *Bulla Pii V.* 8. *Decori.*

Superiores non denunciantes Religiosos, qui sunt suspecti de hæresi, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum, *Bulla Pauli V.* 26. *Romanus Pontifex.*

Minores de Observantia subornantes vota in electionibus, *Bulla Pii V.* 1281. *Pastoralis.*

Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ, *Bulla Julii II. Virtute conspicuus*, extra Bullarium.

Tertiarios portantes habitum Minorum, *Bulla Leonis X. Licet alias*, extra Bullarium.

Minores admittentes in eorum Ecclesiis tempore Interdicti ad Divina, fratres & Sorores Tertii Ordinis, *Clem. cum ex eo de sent. excom.*

Clericos Regulares Societatis Jesu discedentes sine licentia à Societate, etiamsi prætextu melioris frugis, transeant ad alium Ordinem (exceptis Cartusianis) *Bulla Gregorii XIII.* 89. *Ascendente.*

Clericos regulares Congregationis de Somascha, transeuntes ad arctiorem sine licentia Superioris (exceptis Capuccinis, & Cartusianis) illorumque receptores, *Sixtus V. Bulla* 4. *Æquum.*

Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non mutanda Sepultura in eorum Ecclesiis, *Clem. Cupientes* §. *Sanè de pœn.*

Contra personas publicas.

Prælatos vexantes censuris commorantes in servitio Papæ *extravag.*3. *de privileg.*

Cardinales contravenientes in electione Pontificis, *Bulla Julii II.*3.*cum tam Divino.*

Cardinales relevantes ea, de quibus Papa eis silentium indixit, *Bulla Leonis X.*7. §.31. *& quotiescunque.*

Episcopos, qui conferunt Beneficia contra præscriptum Bullæ Pii V.in eorum manibus resignata, *Bulla* 58. *Quanta.*

Cardinales ambientes Papatum, & Simoniacos ejus causa *Pauli IV. Bulla* 16. *Cum secundum.*

Cardinales Simoniacos in Beneficiis, *Bulla Pii V.* 85. *Hodie in Consistorio.*

Judices, Officiales laicos, ac Prælatos Ecclesiasticos, trahentes personas Ecclesiasticas ad forum laicale, *Bulla Martini V.* 10. *ad reprimendas.*

Dominos temporales, qui in terris eorum suppositis Interdicto, cogunt celebrare, & audire Divina Officia, *Clem. Gravis de sent. excom.*

Officiales, ac Dominos temporales, bannientes, seu facientes, & mandantes banniri, personas Ecclesiasticas, *Bulla Urbani VI.* 3. *Quia sicut.*

Officiales, Judices, & Dominos temporales percutientes, vel bannientes Episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab aliis ratificantes, *Clem. I. de pœn.*

Principes, & Dominos temporales, concedentes locum, vel permittentes duellum in Terris suis, *Concil. Trid. sess. 25. de reform.c.*19. *Bulla Clem.VIII.* 11. *Illius vices.*

Episcopus, & Inquisitores, eorumque substitutos, qui faciendo, vel omittendo contra diffamatos de hæresi, delin-

quunt in Officio *Clemente multorum §. Verum de haret.*

Officiales, & Ministros Cameræ Apostolicæ non reddentes integra computa, *Bulla Pauli III. 40. Cum sicut.*

Officiales Pœnitentiariæ recipientes pro expeditionibus aliquid, etiam sponte oblatum à partibus *Bulla Pii V. 83. in omnibus §. Omnes.*

Gubernatores Civitatum, & locorum Status Ecclesiastici, recipientes munera præter comestibilia *Bulla Pauli II. 3. numera.*

13 Excommunicationes autem provenientes à jure, vel Bullis, & Decretis Apostolicis, quæ nemini reservatæ reperiuntur, sunt infrascriptæ.

Contra omnes §. III.

Magistros, & Scholares Bononiæ conducentes Domos alterius Scolastici, vel Doctoris ante tempus conductionis elapsum *c. 1. de locato.*

Habentes ratas Ordinum, & Beneficiorum collationes factas à Schismaticis *c. 1. de schismat.*

Venantes, & gravantes Ecclesiasticos, vel eorum Consanguineos, ex quo eum pro quo rogabantur, non elegerint *c. ip. sciant. de elect. in 6.*

Occupantes, & usurpantes prætextu defensionis; bona Ecclesiæ vacantis, vel titulo regaliæ *c. generali tit. eod* nisi in fundatione consensu Diœcesani Statutum esset, ut fructus ipsius Ecclesiæ cùm vacabit, Patronus seu fundator faciat suos, nam hoc sibi reservare potest *c. generali de elect. ubi glos. verb. fundatione in 6.*

Præsidentes, & Directores Monialium ponentes, vel nutrientes discordias in electione *can. indemnitatibus §. Postremo tit. eod.*

Procurantes ut Conservatores Regularium, se intromittant in aliis causis, quàm in manifestis injuriis, & violentiis *c. fin. de offic. deleg. in 6.*

Extorquentes revocationem, vel absolutionem à censuris per vim, & metum *c. 1. de his quæ vi met. caus. in 6.*

Judices accedentes ex causa ficta ad mulieres pro excipiendo testimonio *c. 2. de judic. in 6.*

Laicos compellentes Ecclesiasticos, ut sibi submittant jura Ecclesiæ *c. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6.*

Exigentes pedagia, &c. ab Ecclesiasticis personis *quamquam de cens. in 6.*

Doctores, sive magistros docentes legem, vel medicinam Religiosis *c. 2. ne cleric. vel monac. in 6.*

Sepellientes in loco Sacro scienter hæreticos *c. 2. de haret. in 6.*

Mandantes interfici Christianum per Assassinos *c. 1. de homic. in 6.*

Concedentes represalias, vel concessas extendentes contra Ecclesiasticos *c. unico de injur. in 6.*

Impedientes sequestrum factum ab Ordinario super Beneficio, vel fructus occupantes *Clem. unic. de sequestr. possess.*

Sepellientes scienter in loco religioso tempore Interdicti, nominatim interdictos, publicè excommunicatos, aut usurarios manifestos *Clem. 1. de sepult.*

Impedientes Visitatores Monialium *Clem. Attendentes, de Stat. Monach.*

Contrahentes scienter matrimonium in gradu consanguinitatis, vel affinitatis prohibito, vel cum Moniali, *Clem. unic. de consang.*

Impugnantes literas Papæ non coronati, *extravag. ult. de sent. excom.*

Imprimentes libros absque licentia superiorum, *Bulla 12. Leonis X.*

Edentes glossas, & scholia in Tridentinum Concilium, *Bulla Pii IV. 73.*

Asserentes non esse necessariam confessionem Sacramentalem ante susceptionem Eucharistiæ illis, quos conscientia peccati mortalis gravat habita copia confessoris, *Concil. Trid. can. 11. sess. 13. de Sacr. Eccles.*

Raptores Mulierum, & fautores, *idem Concil. ibid. cap. 9.*

Cogentes, vel impedientes fœminas ingredi Monasteria *idem Concil. cap. 19. sess. 25. de regul.*

Offendentes, & vexantes personas, res, & Officiales Sancti Officii, *Bulla Pii V. 82.*

Pingentes, & decorantes Agnos Dei, *Bulla 2. Greg. XIII.*

Non denunciantes S. Officio, vel Ordinario hæreticos, magos, sortilegos, & alios utentes rebus, verbis, & characteribus

ribus continentibus pactum expressum, vel tacitum cum Dæmone, *edictum S. Officii*.

Non denunciantes eos, quos audiverunt blasphemare hæreticaliter Deum, Beatam Virginem, & Sanctos, *idem edictum*.

Contra Clericos.

Se ingerentes in alterius Episcopatu, prius quam à proprio Episcopo adsciscantur, *c. quoniam de offic. ordin.*

Audientes physicam, aut leges, si sint Sacerdotes, vel personatus habentes, *c. fin. ne Cleric. vel Monac.*

Sacerdotes suscipientes officium Vicecomitis aut Præpositi Sæcularis, & non desistentes ab illo post monitionem *c. Clerici eod. tit.*

Procurantes, ut alii occupent jura, & bona Ecclesiarum vacantium, *c. generali de elect. in 6.* sed hæc censura videtur contenta in Decreto Concilii Trid. *sess.* 22. *cap.* 11. & ideò censetur reservata.

Contrahentes matrimonium, si sint in Sacris *Clem. unic. de consanguin.*

Alienantes bona Ecclesiarum, vel locantes ultra triennium, *extravag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* verùm hæc quoque censura videtur comprælicnsa in d. Decreto Concilii, ideò est hodie Papæ reservata.

Fictè resignantes, vel permutantes Beneficia, *Bulla Pii V.* 58.

Impugnantes in concionibus, vel disputationibus Montes Pietatis, *Bulla Leonis X.* 11.

Contra Religiosos.

Non adimplentes disposita in Bulla Alexandri VII. *Felici*, in visitatione Monasteriorum Monialium eorum regimini subjectorum, *Bulla* 153.

Audientes, vel legentes extra claustra leges, & physicam *c. non magnopere, & cap. super specula ne clerici, vel mon. c. ut periculosa eod. tit. in 6.*

Instituentes novum Ordinem, seu Religionem aut Domum, vel locum acquirentes sine licentia Sedis Apostolicæ, *c. unic. de relig. domib. in 6.*

Professos temere habitum dimittentes, *c. 2. ne Cleric. vel Monac. in 6.*

Appropriantes sibi, vel usurpantes decimas Ecclesiis debitas, seu non permittentes, vel prohibentes illa solvi, *Clem. 1. de Decim.*

Adeuntes Curias Principum, ut suis Prælatis aut Monasteriis damnum inferant, *Clem. ne in agro de stat. Monac. §. quia verò.*

Tenentes arma intra claustra sine licentia Abbatum suorum, *ibidem*.

Professos matrimonium contrahentes, *Clem. unic. de consang.*

Mendicantes recipientes novas domos, & receptas alienantes, vel auditores in sermonibus suis à solutione decimarum retrahentes, *Clem. cupientes de pœnit.*

Non servantes Interdictum, sive à Papa, sive ab ordinario positum, quando observatur à Cathedrali, seu Parochiali loci Ecclesia, *Clem. 1. de senten. excommun.*

Minores transeuntes ad Capuccinos, & hos illos recipientes absque licentia Sedis Apostolicæ, aut Generalis ordinis, *Bulla Sixti V.* 20.

Contra Episcopos, & Nuncios.

Discedentes à residentia, & venientes ad Urbem clanculo, & recedentes sine licentia Papæ *extravag. 2. & 3. de major. & obedient.*

Ad principes Nuncios Apostolicos destinatos, favores ab illis procurantes ad obtinendas Dignitates, *Bulla Pii IV.* 96.

Contra Dominos temporales.

Prohibentes subditis, ne quidquam vendant Ecclesiasticis, aut emant aliquid ab eisdem, neque eis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia præstent, *can. eos qui de immunit. Eccles. in 6.*

Impedientes Episcopos, vel Inquisitores in officio Inquisitionis, aut ipsis sese opponentes *c. ut inquisitionis, de hæret. in 6.*

Con-

Concedentes represalias contra Ecclesiasticos *c. 1. de injur. in 6.*

Retinentes in Italia nomen Vicarii Imperatoris vacante Imperio *extravag. Joannis XXII. si fratrum ne sed. vac.*

Non servantes Statuta in *c. fœlicis de pœnit. in 6.* contra persecutores Cardinalium, *ibid.*

Permittentes agitationes Taurorum in Terris suis, *Bulla Pii V.* 48.

Contra Magistratus, & Judices.

Negligentes reddere justitiam Ecclesiasticis post tertiam admonitionem 12. *quæst.* 5. *can. administrationes.*

Facientes servari Statuta, & consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam, *c. noverit de sent. excom.*

Extorquentes pecunias prætextu officii Inquisitionis, *Clem. 2. de heret.*

Potestates, Consules, & Officiales Communitatum usuras foventes, & approbantes, *Clem. unic. de usur.*

Auxilium non præstantes Episcopo pro conservanda clausura monialium, *Concil. Trid. sess. 25. de regular.*

Rectores Universitatum promoventes ad Doctoratum, vel Professores ad Cathedras non facta priùs fidei professione, *Bulla Pii IV.* 88.

Cardinalibus Inquisitoribus non obedientes in concernentibus ad officium inquisitionis; *Bulla 1. Pii V.*

Dantes licentiam deferendi pugiones, & aliud genus armorum brevioris mensuræ trium palmorum in statu Ecclesiastico, *Bulla* 145. *Pii V.*

Et has excommunicationes enumerasse sufficiat, cœteris prætermissis, quæ vel singularium locorum, vel Religionum causæ serviunt, vel non sunt amplius in usu; eas autem omnes, quæ reservatæ non sunt, quis absolvere possit, dubium oritur.

14 Una enim sententia tenet, quòd à censuris latis jure nemini reservatis, absolvere possint non tantùm Episcopi, & alii Prælati jurisdictionem habentes in foro externo; sed etiam Parochi, & alii Sacerdotes potestatem habentes absolvendi à mortalibus; & hanc per *text. in c. nuper de sent. excom.* sequuntur Navar. *in manual. Prælat. cap. 27. n. 39.* Sebast. Medic. *in summ. peccat. capit. de censur. tit. 9. quæst.* 55. Bonacin. *tom. 1. de censur. in communi disp. 1. quæst. 3. punct. 1. num. 9. &* 10. Barbos. *super d. c. nuper num. 12. &* 13. ibique Fagnan. *n. 16. &* 29. Pirhing. *in jus can. lib. .... tit. 39. num. 141. & alii cum eis.*

Alia sententia (quæ securior, & tutior est) sustinet, quòd solus Episcopus, vel ejus Vicarius absolvat; & hanc amplectuntur Sayr. *de censur. lib. 2. cap. 19. n. 12. & duob. seqq.* Graff. *decis. aur. par. 1. lib. 4. cap. 14. num. 2. & cap. 15. num. 66. &* 68. (qui testantur de communi praxi) Piasec. *in prax. par. 1. cap. 1. art. 3. de casib. Episc. reserv. n. 8. & n. 9. vers. & has excommunicationes,* Lazzar. *quæst. can. sect. 4. quæst. 14. n. 4. 5. 6. & seqq.* & alii plures ab eis allegati, quorum rationes sunt. Primò, quia ligare, & solvere ejusdem est potestatis, Passerin. *in cap. unic. de his quæ vi met. num. 11. in 6.* Secundò, quia absolvere excommunicatos majori excommunicatione non competit simplici Sacerdoti confessario; sed Episcopo reservatur, ut docet *glos. communiter recepta in c. si Episcopus verb. reservatur de pœnit. & remiss.* & habetur etiam expresse *in extrav. 1. §. observent ergo, vers. modo eodem excommunicatos de privileg.* Tertiò, quia potestas absolvendi hujusmodi excommunicatos, non convenit ex ordine, sed ex jurisdictione, & ad potestatem fori externi pertinet, quam nec alii Sacerdotes habent, sic illam exercere non valent, Graff. *decis. aur. par. 1. lib. 4. cap. 2. num.* 54. 15

Huicque sententiæ notabiliter favet *glos. in c. quicumque de sent. excom. in c. indemnitatibus §. postremo de elect. in cap. unico de Schismat. in cap. 1. de his, quæ vi met. caus. in 6. in Clem. unic. de Stat. Monach. in Clem. unic. de consanguin. & in Clem. unic. de sequest. possess.* in quibus locis *gloss.* firmat, quòd excommunicationes majores in citatis juribus contentas, solus Episcopus absolvit. 16

Neque obstare videtur *text. in d. c. nuper de sent. exc.* pro contraria sententia allegatus, ubi dicitur, quòd quando conditor canonis absolutionem sibi specialiter non reservat, *eo ipso concessisse videtur* 17

tur

tur facultatem aliis relaxandi: quia hæc verba textus, vel referenda sunt ad excommunicationem minorem, de qua ibi loquitur, & quam Parochus, qui est proprius Sacerdos potest absolvere, vel, nè destruantur regulæ juris, & eveniant absurda, intelligenda sunt de facultate concessa Episcopo, & cæteris Prælatis habentibus jurisdictionem in foro externo, non autem simplicibus Confessariis: dictio enim illa *aliis*, secundùm subjectam
18 materiam est relativa similium, & repetit personam ejusdem qualitatis, & potestatis, Barbos. *dict.* 26. *num.* 1. *& duob. seqq.* Gonzal. *ad reg.* 8. *glos.* 3. *n.* 22. *& seqq.* vel demum, quòd simplices Sacerdotes Confessarii possint, absolvere, si eis ab Episcopo committatur, & facultas detur, ut
19 ex Ugolin. *de censur. cap.* 1. *cap.* 10. §. 5. tradit Sayr. *loco cit. n.* 13. & comprobat Jo: Herolt. vulgo Discipulus *Serm. de tempor. serm.* 69. *littera I.* ubi sic ait -- *à majori excommunicatione nemo potest absolvere, nisi Papa, vel Episcopus, vel aliquis de auctoritate ipsorum*, & ratio est, quia ut jam dictum fuit, in absolvendo ab excommunicatione majore, requiritur jurisdictio in exteriori foro, non autem in absolutione à peccato. Hæc inquam secunda sententia, licèt mihi securior videatur, & sequenda: attamen Episcopus cautiùs aget, si in approbatione confessariorum, auferat eis, & Parochis facultatem absolvendi à dictis censuris, excepta minore excommunicatione, ut habetur in actis Eccles. Mediolan. *tom.* 1. *par.* 4. *instruct. ultim. pag.* 706.

20 Absolutio autem data, & obtenta ab habente privilegium absolvendi à censuris in foro conscientiæ, nihil prodest in foro judiciali, neque impedimentum præstat, quin Judex possit contra reum agere, & eum excommunicatum denunciare, vel prout juris erit punire, Sayr. *de censur. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 31. Donat. *prax. rer. regular. part.* 1. *tract.* 4. *de violat. clausur. monast. quæst.* 34. *num.* 1.-5. *&* 6. Passerin. *de elect. cap.* 26. *quæst.* 9. *num.* 95. *& seqq.* Nicol. *lucubr. can. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 43. quamquam Judex Ecclesiasticus absolutionem in foro conscientiæ datam, etiam pro foro exteriori ratam habere possit, satisfacta parte, ut ajunt Passerin. & Nicol. *in loco mox cit.* vel pœnam minuere Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 19. Donat. *prax. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 4. *n.* 6.

De effectibus excommunicationis §. IV.

Primus effectus excommunicationis majoris est privatio usus activi Sacramentorum, ita ut nullus excommunicatus licitè possit administrare, vel conferre per se loquendo, ullum Sacramentum, ut colligitur ex *c. ult. de cleric. excom.* Ratio est, quia Ecclesia jure potest prohibere indignis, & excommunicatis administrationem Sacramentorum, quæ ei à Christo Domino commissa est, cùm sit ministerium publicum. Excipitur tamen, quòd minister excommunicatus toleratus licitè conferre possit Sacramenta, quoties vel gravis necessitas, vel notabilis proximi utilitas id exigit. Quare minister excommunicatus, etiam non toleratus non tantùm in articulo mortis, Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ si alius non adsit, licitè potest administrare, sed etiam in eadem extrema necessitate aliquando sanctam Eucharistiam, vel extremam unctionem licitè conferre, ut si moribundus aliud Sacramentum suscipere nequeat, ut Suar. *disp.* 11. *de cens. sect.* 1. *numer.* 17. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 2. *n.* 5. tenet Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 39. *n.* 13. 21

Hinc notandum, quòd Sacramenta administrata ab excommunicato, sive tolerato, sive non tolerato, etiam extra casum necessitatis, vel mortis periculum, sunt valida, quia ad illorum substantiam, & valorem plus non requiritur, quàm propria materia, forma, & intentio ministri secundùm Christi institutionem, quæ Ecclesia mutare non potest, & si adsint, ut hic supponitur, semper sunt valida. Excipitur Sacramentum Pœnitentiæ, quod administratum extra mortis articulum, ab excommunicato non tolerato, invalidum est, quia ad hoc Sacramentum validè administrandum, non sufficit potestas ordinis, sed requiritur etiam jurisdictio, quæ ab Ecclesia adimitur per censuram excommunicato non tolerato: nisi publicus error 22

facti

facti cum titulo præsumpto interveniat, dum excommunicatus habetur pro legitimo Sacerdote. Unde à DD. regula traditur, quòd quotiescumque excommunicatus non toleratus, seu vitandus exercet actum pendentem à potestate jurisdictionis, invalidè agat: puta si Episcopus excommunicatus, approbet confessarios, det literas dimissorias, vel si Episcopus, aut Parochus alicui deleget facultatem confessionem audiendi, vel quodvis Sacramentum administrandi; quia hæc possunt fieri ab Episcopo confirmato nondum consecrato: imò etiam ab Episcopo, vel Parocho nondum Sacerdote: ideòque non sunt actus ordinis, sed jurisdictionis. Quòd si verò actus exercitus non requirat potestatem jurisdictionis, sed solam potestatem ordinis, quæ non aufertur per censuram Ecclesiasticam, validus fit, ut talis excommunicatus administret Sacramenta, vel exerceat Sacramentalia, ut sunt variæ benedictiones, & consecrationes ab Ecclesia introductæ, quamquam illicitè.

23 Secundus effectus excommunicationis est privatio usus passivi, sive susceptionis Sacramentorum, quæ in eo consistit, ut nullus excommunicatus possit licitè, & absque gravi peccato, ullum Sacramentum percipere, *c. cum illorum* 32. *de sent. excom.* quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi. Excusatur tamen à peccato excommunicatus suscipiens Sacramenta ex inadvertentia; seu ignorantia invincibili juris, aut facti, nesciens se esse excommunicatum; vel ob gravem necessitatem, putà ad vitandum periculum mortis, infamiæ, & scandali, quia lex humana, & censura Ecclesiastica non obligat cum tanto rigore. Quòd si excommunicatus mala fide, & illicitè Sacramenta suscipiat, validè tamen eà suscipit, quia Sacramentorum vis, & valor per Ecclesiasticam legem impediri non potest, cùm pendeat ex Christi institutione. Excipitur tamen Sacramentum pœnitentiæ; nam si quis mala fide sciens se esse excommunicatum, & sine ulla necessitate, priùs Sacramentaliter se absolvi petat, quàm ab excommunicatione, invalida erit absolutio, ob defectum dispositionis in pœnitente, secus est si excommunicatus, bona fide, in casu necessitatis, vel probabilis ignorantiæ, quia inculpabiliter ignorat se esse excommunicatum, vel saltem esse peccatum mortale suscipere Sacramentum in excommunicatione, peccatorum confessionem instituat, tunc enim verè & validè absolvetur à peccatis; licèt adhuc maneat in excommunicatione, vel quia confessarius habens potestatem absolvendi à tali excommunicatione, per ignorantiam, vel oblivionem priùs à peccatis absolvit, quàm à censura Sayr. *de censur. lib.* 2. *c.* 2. *num.* 2. & 3. Pirhing. *loc. cit. n.* 15.

Tertius effectus excommunicationis est privatio communium Ecclesiæ suffragiorum, ita ut excommunicatus, omni sacrificiorum, precum, Indulgentiarum fructu, qui ex communi Ecclesiæ Thesauro fidelibus applicatur, privetur *c. nobis* 28. *c. sacro* 48. *de sent. excom.* ut proinde quantum est ex parte Ecclesiæ excommunicatus potestati Dæmonis tradatur, ut patet ex 1. *Cor.* 5. *&* 1. *Tim.* 1. ubi Apostolus ait, *Hymeneum, & Alexandrum Satanæ tradidisse*, quantum ad hoc, quòd Diabolo major potestas sæviendi in ipsum datur, & spiritualiter, & corporaliter. Undè in primitiva Ecclesia excommunicati, statim à Dæmone vexari solebant, ut testantur D. Thom. *in sum. supplem. quest.* 21. *art.* 2. *ad* 3. Stenegel. *Mund. theorit. par.* 2. *cap.* 59. §. 14. *circa fin.* ubi exemplum de excommunicato à Divo Ambrosio refert. Imò excommunicatus licèt emendatus sit, priusquam tamen absolvatur, verè censura ligatus manet, neque licitum est pro eo suffragia offerre. Ratio est, quia censura excommunicationis non est culpa, sed pœna, qua ablata etiam culpa permanet, donec per legitimam auctoritatem Judicis remittatur *d. c. à nobis, & d. c. sacro de sent. excom.* 24

25

26

Quartus effectus, est quòd excommunicato denunciato prohibitum sit divinis officiis interesse *c. significavit* 18. *c. nuper* 29. *c. responsio* 43. *de sent. excom. & c. ultimo eod. tit. in* 6. Nomine autem Divinorum officiorum intelliguntur sacræ functiones, quæ ab Ecclesia, publicè, & solemniter fiunt, prout sunt Sacrificium 27 28

cium Missæ, cui excommunicatus interesse prohibetur, & coram illo celebrari non potest: adeò ut celebrans incurrat suspensionem, ut ait *gloss. in cap. is quis* 18. *not.5. de sentent. excommunic. in* 6. & si censura ligatus, & denunciatus, monitus de Ecclesia exire non obediat, excommunicationem Papæ reservatam incurrit *clem. gravis in fin. de sentent.excommunic.* publicæ preces horarum Canonicarum, & omnis publica oratio, quæ ex Christi, vel Ecclesiæ institutione solemniter fit à ministris ad id ordinatis. Quamvis privatim orare, vel concionem audire in Ecclesia, dum in ea nullum officium celebratur, excommunicatis non sit prohibitum, ut colligitur ex *d. cap. responso*: vel horas canonicas recitare, ab his enim privatim recitandis, per censuram non liberantur, sed dicere non debent *Dominus vobiscum*.

29 Quintus effectus excommunicationis est, quòd excommunicatus privetur omni usu, & exercitio jurisdictionis spiritualis, seu Ecclesiasticæ, ut patet ex *c.audivimus* 24. *quæst.*1. ubi dicitur, quòd excommunicatus excommunicare non potest: *cap.si is cui* 10. *de offic. deleg.in* 6. ubi habetur, quòd si delegatus Papæ, qui alicui causam subdelegavit, posteà excommunicatus fuit, non ad ipsum jurisdictione privatum appellandum esse, sed ad primum delegantem, & *in cap.*1. *de offic.Vicar.in* 6.dicitur, quòd substitutus ab officiali Episcopi, eo excommunicato manente, ea quæ gerit jurisdictio-
30 nis non possunt obtinere vigorem; quare non potest conferre, non recipere beneficia, nec ad illa præsentare, seu præsentari vel eligi, per *text.in cap.postulasti de cler. excomm.*Gonzal.*ad regul.*8. *cancellar.glos.* 58. *num.*25. Vivian.*de jurepatr. lib.*5. *cap.* 3. *num.*4. & *lib.*6. *cap.*4. *num.*51. Excommunicatus majori excommunicatione, neque potest juramenta recipere, si sit denunciatus, cùm sit actus jurisdictionis, Rot. coram Cerro *decis.*191. *num.*
31 3. & 9. Id verò intelligi debet de excommunicatis non toleratis, seu vitandis: nam licèt excommunicatus occultus Beneficium obtinere non valeat, & irrita sit collatio Tamb.*de jur. Abb. tom.* 3. *quæst.*17. *num.* 4. quamquam denunciatus jam obtento non privatur Leoncil. *de privileg. paup. part.*2. *privil.*138. *num.*1. Card.de Luc. *de benefic. disc.*74. *num.*2. acta tamen excommunicati tolerati sunt valida, quamdiu per oppositam exceptionem excommunicationis non repellantur: ideoque talis excommunicatus potest excommunicare, jurisdictionem delegare, beneficium conferre, eligere, & præsentare, Paris.*de resignat. lib.*1. *quæst.*7. *num.* 17. Pirhing. *loco cit. num.*18.

Sextus: effectus excommunicationis 32
majoris est privatio omnis communicationis forensis, itaut excommunicatus non possit esse Judex, Tabellio, Advocatus, Procurator, Actor, aut Testis etiam in causis civilibus, prout de Judice statuitur *in c.ad probandum* 24. *de sent. & re judic.*de aliis *in cap. decernimus* 8. *de sentent.excomm. in* 6. ubi notandum. Pri- 33
mò, quòd exceptio excommunicationis potest opponi non tantùm in foro Ecclesiastico, sed etiam in foro sæculari, per quam repellatur laicus ab actibus judicialibus ipsis prohibitis, & ad hoc cogi potest Judex sæcularis per censuram Ecclesiasticam: imò ipse Judex tenetur ex officio repellere ab agendo, notoriè excommunicatum; etiam nemine opponente, *cap.exceptionem* 12. *de except.*Notandum secundò, quòd nullus excom- 34
municatus potest esse Judex, Tabellio, Advocatus, seu Procurator, Actor, aut Testis, etiam si sit toleratus, aut occultus: semper enim quantum in se est, debet vitare communionem aliorum, cùm per Concilium Constantiense, relatum à Navar. *in manual. Prælat. cap.*27. *num.*34. excommunicato tolerato nullus fiat favor. Si verò excommunicatus in 35
judicio compareat, ut Actor (idemque est de Advocato, & Teste) neque reus contra illum excipiat, neque Judex illum ex officio repellat, quod facere in tolerato potest, si excommunicatio publicè nota sit, & in non tolerato, seu vitando debet, *cap.*1. *de except. in* 6. valida erunt omnia acta talis excommuni- 36
cati quantumvis vitandi, ut colligitur ex *d.cap.*1. *de except. in* 6. prout est in Parocho excommunicato, qui validè assistit matrimonio Sanch.*de matrim. lib.*3. 37

disp.

disp. 21. *num.*4. Barbos. *in summ. decis. Apostol. collect.*465. *num.*8. Acta verò Judicis excommunicati non tolerati, non solùm Ecclesiastici, sed etiam sæcularis, sunt invalida, cùm jurisdictione privatus sit, quamvis ab officio non sit remotus: ut de Ecclesiastico apertè traditur *in d. cap. ad probandum* 24. *de sentent. & re jud. & in cap. ult. de excess. prælat.* Sayr. *de censur. lib.*2. *cap.*6. *num.* 1. & de sæculari probant jura à Sayr. *ibidem num.*15. allegata, & est sententia communis, Pithing *loco supra citato n.*20. ubi quòd acta publica Tabellionis excommunicati vitandi, in foro externo ipso jure irrita sint. Et ex his infertur, quòd excommunicatus vitandus non possit condere testamentum (quidquid sit de occulto, & tolerato) Mart. *de succes. le-*
38 *gal. par.*3. *quæst.* 14. *art.*5. *num.* 5. cùm testamenti factio sit publici juris *l.*3. *ff. de testam.* & licèt Sayr. *de censur. lib.* 2. *cap.*9. *num* 2. *& seqq.* teneant, quòd excommunicatus denunciatus validè testari possit, ex eo quia in jure testari non sit
39 prohibitus, & eum sequatur Bonac. *de excomm. disp.*1. *quæst.*3. *punct.* 5. *num.* 9. adhuc prima opinio apud me firmior remanet, vel saltem secunda non est tuta,
40 ut fatetur quoque Corrad. *in prax. disp. lib.*10. *cap.*4. *num.* 12. quia excommunicatus æquiparatur bannito, Medic. *tom.* 2. *in tract. mors omnia solv. par.*1. *num.* 35. qui facultatem testandi non habet, ut tradit Cherub *in summ. Bullar. ad const.* 8. *Pii II. schol.*2. ubi alios allegat. Sustineretur tamen conditum favore piæ causæ, Amostaz. *de caus. piis tom.*1. *lib.*1. *cap.* 5. *num.*51. *&* 52.

Septimus effectus est privatio omnis communionis civilis, ac politicæ cùm aliis fidelibus, *cap.*2. *de except. cap. nuper.* 20. *cap. si aliquando* 41. & *cap. penult. de sentent. excomm.* Nomine civilis communicationis, comprehenditur quævis humana societas, eaque tam activa, quàm passiva, sive reciproca, quæ prohibita est cum excommunicato vitando, contentæ hoc versu:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *Os*, prohibetur omne genus salutationis, sive coram per oscula, nutus, colloquia, amplexus: sive per litteras, aut nuntium, quod fundatur ex illis verbis 2. *Jo.* 1. *neque Ave ei dixeritis:* Ita ut nec licitum sit honoris causa excommunicato assurgere, vel caput detegere, Per *Orare*, intelligitur omnis communicatio in orationibus, & publicis officiis Ecclesiæ, in quibus non licet participare cum excommunicato, orando cum illo, aut audiendo sacrum: *Vale*, ne salutentur, imò nec resalutatio ei reddatur, quia est prohibita. *Communio*, prohibet omnem societatem, videlicet contrahere, vel aliud negocium gerere, itaut neque cum illo ambulare, laborare, aut quodvis opus facere liceat. Per *Mensam*, prohibetur convictus, & cohabitatio in eadem mensa, lecto, cubiculo, quæ quidem non de communicatione merè materiali accipienda sunt, sed in æstimatione morali: nam si casu, & præter intentionem in eandem Domum, cubiculum, vel mensam inciderent, non esset communicatio prohibita.

Causæ autem, quæ excusant, ut licita sit communicatio cum excommunicato 41
vitando, comprehenduntur hoc versu, quem refert *glos. in cap. cùm desideres* 15. *vers. excommunicationis de sentent. excommun.*

Utile, Lex, Humile, Res ignorata Necesse.

Per *Utile* accipitur utilitas propria conversantis, vel etiam ipsius excommunicati, sive spiritualis, sive temporalis, dummodo sit notabilis: Et hinc est, quòd quis potest prædicare coram excommunicato, & audire concionem cum illo, quia concio ordinatur ad salutem animæ, & ut excommunicatus resipiscat, petere consilium vel subsidium, sive spirituale, sive etiam corporale, si quis eo indigeat, & vicissim etiam excommunicatus potest simile subsidium petere: item exigere, & recipere debitum ex contractu antea inito etiam societatis *cap. responso* 43. *cap. cum in voluntate* 54. *cap. si verò* 34. *ibique Canonista de sentent. excommun. Lex*, scilicet matrimonialis, ut omnes DD. intelligunt, nam Uxor potest licitè communicare cum Marito excommunicato etiam non tolerato, reddendo ei debitum, & pe-

ten-

tendo, quin etiam in omnibus aliis, quæ ad matrimonium spectant, ut in gubernatione domus, in mensa, & familiari colloquio, ut habetur ex *can. quoniam multos* 103. 11. *quæst.*3. & vice versa vir potest participare cum Uxore excommunicata Sanch. *de matrim. lib.*9. *disp.* 14. *num.*16. *Humile*, idest humilitas subjectionis, nam qui alicui subjecti sunt, possunt eidem excommunicato denunciato, & vitando communicare, quia debent illi obedientiam, quæ per censuram auferri non debet *d. cap. quoniam multos, cap. si verè* 34. *de sent. excomm.* dummodo communicatio non fiat in crimine, eò quòd parens, Dominus, Prælatus, vel Episcopus excommunicatus fuit *c. inter alia* 31. *de sent. excomm.* Et hinc est, quòd filii communicare possunt Parentibus excommunicatis non toleratis, sive sint in potestate Patris, sive emancipati, si à Patre necessaria recipiunt: sive sint naturales habitantes cum Patre: sive filii adoptivi, modo sub cura parentum sint: item famuli, & Ancillæ, ac Villici, qui ante excommunicationem cum Domino contraxerunt, communicare possunt cum Dominis excommunicatis *d. cap. quoniam*: item Clerici sæculares cum Episcopis suis excommunicatis non toleratis communicare possunt, si sint de familia Episcopi, & deputati ad ejus servitium: tunc enim possunt communicare cum illis in rebus familiaribus, & domesticis, non autem in Episcopalibus, alii verò Clerici, qui non sunt de familia Episcopi etsi illi alioquin sint subjecti, non possunt communicare cum illo, nisi in necessariis, & quæ sunt permissa jure communi: item Regulares cum Prælato excommunicato vitando cohabitare possunt, non verò cum eo communicare in divinis, nec ut Prælatus est, cùm enim is per excommunicationem sit privatus omni jurisdictione spirituali, officium suum erga subditos exercere non potest, & sic solùm possunt communicare in iis, quæ moraliter juxta communem usum inter cohabitantes vitari non possunt. Sayr. *de censur. lib.*2. *cap.*14. *num.*17. Pything. *in jus can. lib.*5. *tit.*39. *num.*122. *Res ignorata*, idest si quis ignorat, aliquem esse excommunicatum, & dicitur ignorantia facti, vel ignorat excommunicatum esse vitandum; & dicitur ignorantia juris: dummodo ignorantia non sit crassa, & affectata. Excusat autem hæc ignorantia non solùm quomodo communicatur in humanis seu politicis, sed etiam divinis. *Necesse*, necessitas seu vera indigentia, sive ad animam, sive ad corpus, sive ad famam, sive ad bona temporalia pertineat, sive ipsius excommunicati, sive ipsius communicantis excusat, licitum tunc enim est ob illam communicare cum excommunicato etiam non tolerato *d. c. quoniam multos*. 103. 11. *quæst.*3. Unde viatores licitè possunt ab excommunicatis petere, & emere necessaria ad victum, & vestitum; pauperes petere eleemosynam: dubius consilium spirituale, aut temporale; ægri medicinam, si alii desint à quibus peti possent: idem licitè possunt præstare fideles ipsis excommunicatis vitandis, si pari necessitate premantur Pithing. *loco citato num.*126. Si Episcopus esset excommunicatus, vel suspensus declaratus, aut notorius Clerici percussor, possent ejus subditi se ordinari facere à viciniori Episcopo: incumberet tamen ipsis onus probandi, proprium Ordinarium esse excommunicatum, vel suspensum, Piasec. *in prax. par.*1. *cap.* 1. *art.* 2. *de subdit. ordin. num.*19. Sayr. *de censur. lib.* 7. *cap.*10. *num.*17.

Octavus effectus excommunicationis 42
est, quòd per eam privetur excommunicatus Ecclesiastica sepultura, itaut neque in loco sacro, aut benedicto, & destinato ad sepulturam fidelium, licitè possit sepeliri, neque à Clerico ad sepulturam deduci, quia quibus non communicamus vivis, neque mortuis communicare possumus, *cap. Sacris* 12. *de sepult.* id verò debet de solis excommunicatis vitandis intelligi juxtà *Extravag. Ad evitanda* Martini V. confirmata *à Leone* X. in Bulla concordatorum Galliæ §. 24. impressa in *Bulla tom.*1. post Bullam 20. ejusdem Pontificis. Et de hoc infra in sua Sede dicetur. De his, & aliis effectibus majoris excommunicationis agunt Canonistæ in *d. cap. postulastis de cleric. excom. & in cap. responsio de sentent. excom.* Graff. *decis. aur. par.*1. *lib.*4. *cap.*14. Navar. *in manual. Confess. cap.*27. *à n.*17. *ad* 23. *inclusivè*

Sayr.

Sayr. *de censur. lib.2. cap.1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.*

43 Nonus effectus majoris excommunicationis est, quòd Clericus, si justè, & validè sit excommunicatus, privatur fructibus sui Beneficii, etiamsi de hoc in canone, vel sententia Judicis, nihil dictum fuerit, & etiamsi excommunicatio sit occulta, & non publicata, nec de illis ei subvenitur, nisi in extrema necessitate, & quando non habet aliunde, ne fame pereat, quia qui est extra Ecclesiam, nihil nomine Ecclesiæ potest possidere, ut per *text.in c.pastoralis* 53. *ubi glos.de appel.* communiter docent Garc.*de benef.par.7. cap.13.nu.90.& seqq.* Monet.*de distrib.par. 2.quæst.15.num.22.*Sayr.*de censur.lib.2.cap. 5.num.24.& seqq.*Ricc.*decis.*85.*num.2.par. 1.*Leoncil.*de privileg. paup.par.2. privileg.* 138.*num.1.2.& 3.*Barbos.*in d.cap. pastoralis num.7.& seqq.*Donat.*prax.rer.regular. tom.2.tract.5.de eligend. quæst.11. num.1.* Nicol. *lucubr. can. lib.3. tit.4. de cler. non resid. num.23. ampliat.31.*

Et hoc ampliatur procedere in distributionibus, quas Clericus excommunicatus, non acquirit, quamvis inserviat per Coadjutorem, ut ajunt Nicol. loco citato, & Leo *thes. for.Eccles. part. 2. cap.6. num. 66. & 67.* ubi advertit, quòd excommunicatio Coadjuti, Coadjutori nocere non valet.Privatio enim fructuum, & Distributionum, est sequela excommunicationis, etiam quando incurritur ipso jure, nec requiritur declaratoria ad tradita per Rot. coram Coccin. *decis.* 2206. *num.*8. adeò ut sit Clericus excommunicatus fructus, & emolumenta Beneficii exigeret, peccaret mortaliter, & teneretur illos, seu illa restituere, ut firmant Donat.loco supra citato *d.quæst.11.num.5.* & Sayr. *d cap.5. num.24.*

Secundò ampliatur ut regula, sive conclusio firmata procedat, etiamsi excommunicatus, non sit in mora petendæ absolutionis, quia privatio hujusmodi, non fundatur in mora, & duratione contumaciæ, sed est effectus ipsius excommunicationis, ob culpam latæ, ut benè notat Garc.*d. cap.13. num.* 93. licèt Sayr. *d. cap.5. num.* 29. velit, quòd si justè ex communicatus resipiscit, & per eum non stat quo minùs absolvatur, ex quadam Ecclesiæ præsumpta voluntate, possit in conscientia fructus Beneficii retinere.

Si autem excommunicatio esset nulla, vel injusta, detecta nullitate, aut injustitia, tunc fructus, & alia emolumenta Beneficii non amitteret, ut limitando prædicta, tenent omnes supra allegati, & si illos, vel illa dimisisset, recuperaret postquam per Decretum Judicis excommunicatio esset declarata nulla, vel injusta, & quo ad distributiones, si pro absolutione institisset tempore debito, & Choro interesse solitus fuisset, Lotter. *de re Benef. lib.3. quæst.27.num.*140. & 141. Rot. coram Dunoz. jun. *decis.* 380. *num. 5.6.& 7.* Hæc autem inspectio nullitatis, & injustitiæ, cadit solùm in excommunicatione lata ab homine, nam excommunicatio canonis, sive à jure lata, semper est justa, Pirhing.*in can. lib.5. tit.39. num.12. vers. notandum secundò.*

Effectus autem minoris excommunicationis est, privatio susceptionis Sacramentorum passiva, sive participationis, ut patet ex *cap.2. de except. & cap.ult. de cleric. excommunic.*ac proinde si ità excommunicatus Sacramenta suscipiat, sine justa necessitate, peccat mortaliter, quia materia hujus prohibitionis est gravis: imò Sacramentum pœnitentiæ nec validè suscipit, ob defectum contritionis, licèt ob id vel celebrando, nullam irregularitatem incurrat, *d.cap.ult. de Cleric. excomm.*Pithing.*ubi suprà num.* 23. Si verò ad beneficium Ecclesiasticum eligatur, ejus electio, non quidem ipso facto irrita, sed irritanda est, saltem si scienter electus, sive se eligi passus est *d.cap.ult. de cler.excomm.*Amostaz. *de caus. piis tom.1. lib.3. cap.3. num.16.* Ricc. *in prax. var. resol.par.4. resol.43. num.1.* Graff. *decis. par.1. lib.4. cap.10.num.3.*

De potestate Excommunicandi §. *V.*

Porrò excommunicandi potestas Divinitus data est, ut habetur ex Evangelio Matth. 18. -- *Si peccaverit in te frater tuus vade, & corripe eum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, & sit tibi sicut Ethnicus & Pu-*

& Publicanus. Quod idem est si diceret, nullam prorsus cum eo habeto communionem, quoniam communio cum infidelibus est Christianis interdicta, ut ait Apostolus -- *quæ pars fidelis cum infideli*, *Cor.6.* Item 2. *Jo.* 1. -- *si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non habet, nolite recipere eum in Domum, nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit illi Ave, communicat ejus operibus*. Item 1. *Cor.* 5. -- *judicavi tradere hujusmodi hominem Satana in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini*. Item 1. *Tim.* 1. -- *quos tradidi Satana, ut discant non blasphemare*. Item 2. *Thessal.* 3. -- *Quod si quis non obedit verbo nostro pro Epistola, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*. Et, est doctrina communiter recepta in Conciliis *Constantiensi*, *Carthaginensi* 1. *Bracharen.*1. *Tridentino*, & approbata, prout probat Sebast. Medic. *tom.*3. *in summ. omnium hæresum verbo excommunicatio*, & auctoritate Sanctorum PP. & exemplorum comprobata Bzov. *annal. Eccl. ad annum* 57. §.4. *&* 5. Stengel. *sup. cit. mund. Thorit. par.*2. *cap.*59. §.14. Forma

46 autem, & modus excommunicandi, & excommunicatos vitandi, & perceptione Sacramentorum privandi; ab Ecclesia data est, ut docent Navar. *comment. tom.*1. *comment. in cap. inter verba* 11. *qu.*3. *prælud.*3. *num.*4. Sebast. Medic. *d. tom.*3. *in summ. peccat. capital. tit.*9. *de censur. qu.*68. & habetur expressa *caus.* 11. *qu.*3. *ferè per tot.*

47 Hæc verò potestas solùm illis conceditur, qui jurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam in foro externo habent, ut desumitur ex *cap. cùm ab Ecclesiarum* 3. *de offic. Jud. ordin.* videlicet, Papæ, & Concilio Generali in universam Ecclesiam, Episcopis electis, & confirmatis, etiamsi non sint consecrati, Conciliis Provincialibus in suas Diœceses, & Capitulo Cathedralis Sede vacante; Archiepiscopi autem non possunt excommunicare subditos suffraganeorum, nisi in causa appellationis, & tempore Visitationis. Item hanc potestatem habent Generales, Provinciales, Abbates, Prælati, ac Rectores in Religiosos sibi subjectos. Item ex consuetudine nonnullarum Ecclesiarum Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani subditos suos excommunicant: sicut Nuncii, & Legati Apostolici ex commissione Papæ, Pithing. *jus can. lib.*5. *tit.* 39. *num.* 24.

Quare excommunicare non possunt, 48
Primò, laici sivè potestate ordinaria, sive delegata *cap.* 2. *judic.* nisi ex plenitudine potestatis Papalis id eis committatur: imò tanquam talis jurisdictionis incapaces, nec incidenter in cognitione invaliditatis, aut prætensæ injustitiæ Censurarum se ingerere possunt, neque inhibere Judicibus, Ecclesiasticis, ne aliquem excommunicent juxta expressam à Concilio Tridentino dispositionem *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* ne potestas Ecclesiastica à Christo Domino immediatè instituta ad gubernandum fideles secundùm legem Evangelicam, cum potestate laica confundatur, latè Navar. *lib.*2. *consilior. de for. comp. consil.*1. *per tot. & in commentar. tom.*3. *in repetit. cap. novit. de judic. not.*3. *num.*81. *& seqq.* Leo *Thes. for. Eccles. par.* 3. *cap.*7. *num.* 13. 68. *&* 72. Lazar. *quæst. can. sect.* 4. *quæst.*8. *num.*21. Fagnan. *in cap. tuam num.* 28. *&* 46. *de ordin. cognit.* & plenius *in cap. Sacro à num.*27. *ad* 34. *de sentent. excommunic.* ubi *num.*33. firmat, quòd quatenus in hoc se ingerant, manifesta fit usurpatio jurisdictionis Ecclesiasticæ, propter quam usurpantes, excommunicationem in Bulla Cœnæ contentam incurrant, Diana *part.*4. *tract.* 1. *resol.* 98. Guazzin. jun. *ad defens. animar. lib.*2. *defens.* 49
1. *cap.*8. *num.*72. Neque hujusmodi causas sub prætextu violentiæ prohibendæ, aut rationis status politici, ad eorum forum trahere possunt: quia priori supplicatione ad Superiorem Ecclesiasticum providetur, ut advertit Sayr. *de censur. lib.*3. *cap.*18. *num.*6. *&* 9. & secundùm nullum infertur præjudicium: Nam in ditione Principum Christianorum nulla alia est ratio status, nisi quæ cùm lege Dei, Ecclesiæ, & illius præceptis consona est, quæ vera ratio status dicitur, ut benè monet Caren. *resol.* 1. *num.*8. quoniam ad Divinitatis tendit injuriam, qui Sanctorum Patrum constituta contemnere, & violare non metuit,

cuit, ut ait Justinianus Imperat. *in pragm. Sanctor. apud Pithaum in Cod. pag.* 681.

50 Secundò, Mulieres etiamsi sint Abbatissæ Monialium *cap. dilecta* 12. *de majorit. & obed.* quia officium clavium non cadit in sexum fæmineum *glos. in cap. nova de pœnitent. & remiss.* & hoc fortè ob prævaricationem primæ mulieris Evæ, quæ appetiit similitudinem Dei: Unde ne de cætero Mulieres contra Deum superbiant, pœnalitates, & ærumnæ multæ eis datæ sunt, nempè, quòd judicia sæcularia non exerceant.

51 Sacros Ordines non recipiant, Vasa Sacra non contingant, non prædicent, non audiant confessiones, *cap. nova de pœnitent. & remiss.* Viris subditæ sint, & fœtus cum dolore in lucem edant, & cum pondere portent, ut notat Jo:Herlot. *vulgo Discipulus in Serm. de tempor. Serm.* 61. *lit.* 5.

52 Terriò, Clerici Conjugati durante conjugio, & ideò Vicarii Episcopi esse non possunt Sayr. *de censur. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 12.

53 Ab habente autem potestatem, excommunicari possunt soli homines viventes baptizati, rationis, & doli capaces, qui in Ecclesia Superiorem habent: non autem mortui, quia hi cum non amplius subsint jurisdictioni Ecclesiæ, ab ea ligari, & absolvi non possunt: nam si iis Deus indulgentiam dedit, nihil nocet nostra severitas, & si supplicium præparavit, nihil prodest nostra benignitas, ut respondit Ferrandus Chartaginen. Ecclesiæ Diaconus Pelagio & Anatolio Romanis Diaconis, cujus verba refert Pithæus *in Codic. ad professionem fidei Justinian. Imperat. lit. C. pag. mihi* 672. Quare dum dicimus, quòd mortui possunt excommunicari, & ab excommunicatione absolvi, intelligi debet impropriè, & indirectè, utpotè quia vel Ecclesia tunc publicè declarat, illos dum adhuc viverent censuram excommunicationis incurrisse, & in illa mortuos fuisse, & prohibet in loco Sacro sepeliri, ac pro eis Suffragia, & Sacrificia offerri; vel si signa manifesta pœnitentiæ, & contritionis dederunt ante obitum declarat, & pronunciat eos absolutos, ad hoc ut admittantur ad Ecclesiasticam sepulturam, & orationes, & suffragia pro eis impertiri possint: prout meliùs dicam infra in sua sede, de excommunicationibus in particulari, & docet Graff. *consil.* 7. *per tot. de sentent. excom. part.* 1.

Secundò excommunicari non possunt non baptizati, ut Turcæ, aliique infideles, quia non sunt subjecti jurisdictioni spirituali Ecclesiæ: secùs est de Hæreticis, & Apostatis, qui semper manent subjecti Ecclesiæ, Pirhing. *loco sæpè citato num.* 26. Tertiò non possunt excommunicari ratione carentes, ut infans, furiosus, quia hujusmodi personæ nequeunt præceptis, ac legibus obligari nec possunt esse contumaces contra Ecclesiam. Quartò non possunt nec debent excommunicari Animalia irrationabilia, quia solus Homo Christianus est capax excommunicationis passivæ *cap. omnis Christianus* 32.11. *quæst.* 3. Unde, qui locustas bruchos, vel aliud genus vermium, vel animalium irrationabilium anathematizant (ut non semel contigisse commemorat Navar. *de sent. excom. cons.* 57. *num.* 7.) ut expellantur, nè damna inferant segetibus, & fructibus terræ, enituntur efficere illud, ad quod nec virtute sua naturali, nec ex divina, aut Ecclesiastica institutione excommunicatio ordinata est, & per consequens adjurantes, & anathematizantes Creaturas irrationales ad actum tanquam procedentem ab ipsis, quia non sunt ejus Dominæ, sed est ejus, qui movet eas, scilicet Dei, cujus dispositione reguntur, & moventur, vel Dœmonis, quatenus permissu ejus utitur eis ad nocendum nobis, superstitiosè agunt, & censentur uti medio, & remedio illicito, imò tacita Dœmonis invocatione, & mortaliter peccant si scienter hoc faciant, ut fusè probat auctoritate Divi Thomæ 2. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. 2. & 3. ac aliorum jurium Navar. *d. cons.* 57. *per tot.* Modus enim exorcizandi irrationalem Creaturam est ille, de quo loquutus sum *tom.* 1. *tit.* 12. *form.* 4. & infra denuò dicam. Quintò Communitas tota simul collectivè, Civitas, Collegium, aut Universitas excommunicari non potest, licèt singuli possint excommuni-

municari *cap. Romana §. ult. de sent. excom. in 6.* D. Thom. *in supplem. par. 3. quæst. 22.*
57 *art. 5.* Sextò, nullus potest seipsum, vel æqualem, vel Superiorem excommunicare, ut ait Sanctus Thom. loco mox citato *art. 4.* & sic Papa nunquam poterit excommunicari.

58 Sed hìc jam quæritur, an excommunicatio, vel alia Censura lata per sententiam generalem ab Episcopo, vel alio Prælato Papa inferiore, liget non tantùm subditos, sed etiam extraneos, seu peregrinos? & respondetur, quòd non liget seipsum, neque æqualem, & neque Superiorem Graff. *consil. 16. num. 22. de sentent. excommunic. par. 1.* & sic quòd ligat solùm subditos excommunicantis, non autem peregrinos, seu extraneos, nisi major auctoritas, seu potestas delegata fuerit, prout desumitur ex *cap. à Nobis 21. de sentent. excommunic.* ubi cùm quæsitum fuisset Clementi III. utrum si quis ita pronunciaverit — *quisquis furtum fecerit excommunicatus sit*, hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur tantùm, an verò ad omnes etiam non subditos jurisdictioni illius? respondet Pontifex, quòd hac sententia non nisi subditi obligantur, nisi fortè delegans (videlicet Papa) majorem, & largiorem auctoritatem contulerit: imò neque extenditur ad subditos extra Diœcesim suam, furtum committentes, ut notat ibi *gloss. marginalis*. Verùm si subditus nominatim excommunicatus transiret ad aliam Diœcesim, Ordinarius, in cujus Diœcesi permanet, debet prohibere nè cum aliis conversetur, ut respondit *Sacr. Congregat. Episcop. in Tropien. 23. Novemb.* 1582. juxta Conc. Nicen.

59 Prætereà notandum, quòd habentes à jure hanc potestatem excommunicandi, non ex impetu, & levitate ea uti debent, sed sobriè ex justa, & gravi causa, eaque diligenter, & magna cum maturitate examinata exercenda est, & quando leviores medicinas, & minùs periculosas, infirmus non suscipit, ut ex D. Ambros. *lib. 2. de offic. cap. 27.* monet Graff. *decis. aur. part. 1. lib. 4. cap. 1. num. 29.* cùm experientia doceat, si temerè, aut levibus ex causis incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & pernitiem potiùs parere, quàm salutem: contra mentem *text. in cap. 1. de sentent. excommun. in 6.* ideoque nullus excommunicandus nisi pro peccato mortali, & eo casu quo cum contumacia sivè inobedientia sit conjunctum, & aliud remedium non adsit *cap. quisquis 19. 2. quæst. 6. cap. nemo, & c. nullus 11. quæst. 3.*

Causa tamen principalis, & immediata excommunicationis est contumacia, 60
sive insurgat ex culpa mortali, sive ex eo, quòd ex sui natura nullum sit peccatum, neque adsit contemptus formalis, putà si lata esset excommunicatio contra non euntes ad processionem: nam si Clericus absque rationabili causa, & monitus illam contemneret, utique excommunicationis vinculo innodaretur, cùm possit mihi Prælatus id, quod in se peccatum mortale non est præcipere, vel prohibere sub pœna excommunicationis, ut patet in excommunicatione contra alloquentes Moniales, vel ingredientes clausuram, dicit enim D. Gregor. *homil. in Evang. 26. — Pastor vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare: is autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injustè, nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat, ne etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat*, Causa verò mediata, & remota sunt diversa crimina, quæ debent esse mortalia, gravia, scandalosa, & enormia, ex quorum singulis contumacia descendit, vel quia reus citatus non venit, aut stare noluit juri, sive cessare à peccato: vel quia jussus, noluit satisfacere pro peccato commiss. *cap. ex par. 23. §. ad intelligendum de verb. signif.* & tradunt Graff. *decis. aur. p. 1. lib. 4. cap. 7. per tot.* Pirhing. *loco supra citato num. 30.*

Secundò notandum, quòd excommunicatio, vel alia censura Ecclesiastica 61
ferri non potest per sententiam hominis, ob peccatum merè internum, aut omninò occultum, quod nullo modo in actum externum prodiit: quia Ecclesia non judicat de occultis *cap. sicut 33. in fin. de simon.* Neque ob peccatum merè præteritum, ut ob sacrum neglectum die festo, aut non servatum jejunium:

ſed neceſſe præterea eſt ut reus poſt monitionem, aut præceptum etiam unum peccet, aut peccare præſumat pertinaciter in eo perſiſtendo, quia aliàs contumax dici non poſſet: cùm enim excommunicatio non ſit pura pœna, ſivè vindicta, ſed ſimul medicina, non fertur pro peccato præterito, quod poteſt eſſe emendatum; ſed ad emendandum, & avertendum hominem à peccato in futurum, ut colligitur ex *d. cap.* 1. *de ſent. excomm. in* 6.

63 Tertiò notandum, quòd ad incurrendam excommunicationem, vel aliam cenſuram, non ſufficit quivis actus externus, ſed requiritur actus conſummatus ſive peccatum in ſuo genere completum ita ut effectus lege, & præcepto prohibitus re ipſa ſequatur, v. g. ſi excommunicetur homicida, non incurrit cenſuram, qui ſolùm percuſſit, vel vulneravit: ſi vulnerans, non incurrit, qui percuſſit ſine vulnere: ſi percutiens Clericum, non incurrit, qui conatus fuit percutere, ſed erravit, vel impeditus fuit: Undè excommunicationem latam propter factum aliquod, non incurrunt regulariter conſentientes, vel mandantes, ſicut nec faventes, priùs quàm crimen re ipſa ſit perpetratum; præter quam ſi in jure, vel ex verbis legis aliud colligatur, Pirhing. *ibid. num.* 33.

64 Quartò notandum, quòd nulla excommunicatio ab homine ſeu Judice infligi debet, niſi præceſſerit admonitio, *cap. reprehenſibilis de appellat. cap. ſacro* 48. *de ſentent. excommunicat. cap. Roman. tit. eod. in* 6. quæ cùm ſit introducta in favorem publicum, non poteſt quis ſe obligare ut poſſit excommunicari abſque monitione, Graff. *deciſ. aur. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 38. Ratio eſt, quia excommunicatio, vel alia cenſura, non fertur niſi in contumaces contra Eccleſiam, tales autem non ſunt, niſi qui præmiſſa admonitione excommunicationi cenſuræ recuſant obedire. Hæc autem canonica admonitio debet fieri perſonaliter ipſi reo, niſi is malitiosè latitet, aut impediat ſe citari, vel maneat in loco, ad
65 quem non detur tutus acceſſus: tunc enim ſatis erit, ſi citatio cum comminatione fiat ad ejus domum, vel ad Eccleſiæ valvas, vel ad alium locum publicum; undè facilè poſſit ad illius notitiam devenire. Si autem Judex præſumeret ſententiam excommunicationis in aliquem promulgare abſque præcedente monitione, incurreret interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem *d. cap. ſacro* niſi Judex ſit Epiſcopus juxta *cap. quia periculoſum de ſentent. excommunic. in* 6. de qua re dicam infra. 66

Tria igitur requiruntur, ut excommunicatio ab homine juſtè feratur. Primò, ut præcedat monitio, quæ juxta ſtylum Tribunalis fieri poteſt etiam ſine ſcriptura. Secundò, ut feratur ex cauſa rationabili. Tertiò, ut hæc ſit manifeſta, prout deſumitur ex præmiſſis. Sunt tamen plures caſus, in quibus excommunicari quis poteſt abſque præmiſſa monitione, quos recenſet Barboſ. *in d. cap. ſacro nu.* 6. & de aliquibus dicam infra ſuo loco. 67

De abſolutione excommunicationis. §. 7.

Ab excommunicatione lata à jure nemini reſervata, abſolvere poſſunt Epiſcopi, aliique Prælati habentes juriſdictionem Epiſcopalem: non autem Parochi, vel Sacerdotes habentes facultatem abſolvendi à peccatis, ut jam vidimus ſupra §. 1. *verſ. una enim ſententia*. Si abſolutio excommunicationis à canone, aliave lege ſit reſervata Papæ, ipſe ſolus vel ille cui commiſit, poteſt abſolvere, niſi factum, ſive delictum, cui annexa eſt excommunicatio, ſit occultum, tunc enim juxta celebre *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. *Concil. Trident. de reform.* poſſet Epiſcopus abſolvere, præterquam in caſibus, quos Apoſtolica Sedes poſt ipſum Concilium ſibi reſervavit, videlicet, Hæreſis, Duelli, Simoniæ ſcienter contractæ, confidentiæ Beneficialis, violationis clauſuræ monialium ad malum finem, violationis Eccleſiaſticæ immunitatis juxta terminos *Conſtit. Gregor. XVI.* Blaſphemiæ hæreticales cum mala credulitate, prout obſervat, & tenet Pac. Jord. *elucubr. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 92. Si excommunicatio ſit reſervata Epiſcopo, ipſe, vel ejus ſuperior, vel Vicarius ejuſdem poterit abſolvere, vel etiam Capitulum Sede vacante. In articulo mortis

tis, quilibet Sacerdos absolvere potest ab omnibus censuris sive à jure, sive ab
69 homine latis, & reservatis, si non detur aditus ad superiorem, & alius, qui de jure absolvere queat, non adsit: injuncto pœnitenti, si convaluerit, pro peccato cui annexa sit excommunicatio reservata, onere se præsentandi Superiori pro suscipiendis ejus mandatis, juxta textum expressum in *cap. eos qui de sentent. excommunicat. in 6.* Et hæc facultas in periculo mortis juxta communiorem sententiam tribuitur etiam Sacerdoti excommunicato vitando, ut videre est apud Nicol. *lucubrat. can. lib.5. tit.39. num.*
70 43. *not.*2. refert tamen, Sacr. Congregat. Concilii tempore *Gregorii XIII.* declarasse illa verba Concilii — *omnes Sacerdotes, quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt*, non includere neque intelligi debere de Sacerdote, qui sit excommunicatus vitandus, & ibi rationem talis declarationis affert. Ab excommunicatione ab homine generaliter lata non reservata v. g. *qui tale crimen commiserit, sit excommunicatus*, secundùm unam opinionem, quam sequitur Bonac. *de censur. disp. 1. quæst.3. punct.1. num.6.* Pithing. *loc. citat. num.*143. Nicol. *ibid. num.*42. potest absolvere non solùm, qui eam tulit, sed etiam quicumque potestatem habet absolvendi à mortalibus: At ego teneo, quòd à sententia excommunicationis ab homine lata, sive generalis, sive specialis sit, non possint absolvere Confessarii, nisi ex delegatione, per easdem rationes, & auctoritates supra *in d. §.1. vers. una enim sententia* allegatas: nam excommunicationes generales Prælato-
71 rum, ut plurimùm sunt Synodales, quæ dicuntur excommunicationes juris, Graff. *consilior. lib. 5. de sentent. excommunic. cons. 2. num. 6.* & æquipollent canoni, ut inquit Corrad. *in prax. disput. lib. 8. cap. 3. num. 32.* aliàs excommunicationes hujusmodi impunè despicerent, & Confessarii, sive Parochi exercerent jurisdictionem fori externi, quam non habent, Graff. *decis. aur. part. 1. lib. 4. cap. 15. num. 68. & 71.* ubi de sententia excommunicationis hominis, quæ sit generalis, Divus Thom. *supplem. part. 3. quæst. 20. art. 2.* Neque in hoc suffragatur responsio, quòd absolutio Confessariorum valeat 72
quoad forum conscientiæ tantùm, non verò quoad forum exterius, ut ajunt nonnulli, quos refert Piasec. *in prax. tit. 1. art.3. de casib. Episcop. reserv. n.8.* tum quia excommunicatus non potest absolvi à peccato, propter quod censura ligatur, nec recipere Sacramentum, nisi priùs absolvatur à censura, ut docet D.Thom. *loco mox cit. ad* 2. tum quia, absolutio ab excommunicatione in foro conscientiæ, non requirit Sacramentum pœnitentiæ, Saravia *de adjunct.* post Franc. *de Eccles. Cathedr. quæst. 15. num. 8. & 9.* & alii ab eo allegati. Ab excommunicatione autem lata ab homine in specie, & nominatim, v. g. contra Petrum, absolvere tantùm potest, qui eam tulit, vel ejus Superior, vel successor, vel delegatus, & in hoc omnes DD. conveniunt.

Ab excommunicatione autem minore à jure lata absolvere potest proprius 73
Parochus, & non alius Sacerdos juxta literalem sensum *cap. nuper 26. de sentent. excommunicat.* Graff. *decis. aur. part.1. lib.4. d. cap. 15. num. 80. & 81.* Pithing. *loc. cit. num.*144. licèt alii teneant quòd quivis Sacerdos potestatem habens absolvendi à peccatis, possit quoque absolvere ab ista excommunicatione, Jo. Herolt. *vulgò Discipulus sermon. de temp. 69. lit. H.* Nicol. *in flosc. verb. excommunicatio num. 9.* Sayr. *de censur. lib. 2. cap. 23. num. 11.* ubi ait, quòd ex vi delegationis qua eis permittitur, ut pœnitentiæ Sacramentum administrent, eo ipso tacitè potestas hæc data intelligatur ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ. Qui verò excommunicatione minori ligatus existit, potest alium excommunicatum etiam majore absolvere; quia per illam non privatur exercitio jurisdictionis *cap. fin. de cler. excomm. cap. duobus 56. de sentent. excomm.* Forma autem absolutionis hæc est.

Absolvo te à vinculo excommunicationis, quod incurristi propter (hanc vel illam causam seu crimen) & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & fidelium communioni in nomine Patris, &c. 74

Hæc quidem forma servabitur, quando quis propria auctoritate absolvit: si verò absolvat auctoritate delegata, hac uti poterit.

Auctoritate Omnipotentis Dei, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & SS. D. N. Papa (Illustrissimi Episcopi nostri N.) in hac parte tibi concessa, & mihi commissa, absolvo te &c. Lazar. *quæst. can. sect.*4. *quæst.*12. *num.*12.

76 Ante absolutionem ab excommunicatione majori duplex cautio exigenda, & præstanda est à reo. Prima præstatur per juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel absolvendis, idest de non committendo in posterum hujusmodi delicta *cap. ex tenore, cap. ad hac de sentent. excom.* quod tamen non exigitur pro levibus delictis, sed tantùm quando absolutio est solemnis pro gravi crimine Lazar. *quæst. can. d. sect.*4. *quæst.*12. *num.*11. Altera cautio datur de satisfaciendo parti læsæ; nullus enim neque in foro interno, neque externo absolvendus est ab excommunicatione, nisi priùs parti læsæ sit realiter satisfactum, vel cum ea transactum. Quòd si reus statim facere non possit, tunc cautionem sufficientem præstare debet, & scilicet pignoratitiam, vel fidejussoriam: quòd si neque hanc dare possit, sufficit juratoria, quia nemo ad impossibile obligari potest, Pirhing. *in jus can. lib.*5. *tit.*39. *num.*163. Si autem ita absolutus posteà satisfacere negligat, non reincidit in priorem excommunicationem, sed poterit

77 iterum à Judice excommunicari, *cap. ad reprimendam de offic. ord.* Absolvens autem ante præstitum juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel ante præstitam satisfactionem parti læsæ, illicitè quidem absolvit, sed validè: quia hæc non pertinent ad substantiam absolutionis *cap. venerabilibus* 7. §. *sanè in fin. de sentent. excom. in* 6. Bellett. *disq. cleric. de favor. cler. can.* §.5. *num.*47.

78 Absens sicut potest excommunicari, ita & potest absolvi per Procuratorem, Pac. Jord. *elucubr. lib.*14. *tit.*2. *num.*180. Pirhing. *loco cit. num.* 164. Item mortuus absolvi potest, ab eo scilicet, à quo poterat vivus absolvi, si ante obitum signa pœnitentiæ dedit, non directè; quia non est ampliùs homo super terram; sed ad hoc ut sit capax Ecclesiasticæ sepulturæ, & suffragiorum Ecclesiæ juxta dispositionem *text. in cap. à nobis il* 2. *de sentent. excommun.* ubi Fagnan. *num.* 14. dat formulam facultatis, quæ solet expediri à S. Pœnitentiaria Urbis; quæ est sequens.

Quare si sic vobis visum fuerit, vobisque de prædicti N. viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, ut eundem sic defunctum, dummodo illius, heredes injuriam passis, quibus ille si viveret, occasione præmissorum satisfacere teneretur, priùs competenter satisfaciant, vel per eos non stet, quominus arbitrio vestro satisfaciant competenter in eo, in quo tenentur, ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrit, absolvere in forma Ecclesiæ consueta, & in foro conscientiæ tantùm licitè valeatis, ad effectum dumtaxat ut pro illius anima publica, & privatæ orationes, ac preces fieri, ejusque corpus Ecclesiasticæ tradi sepulturæ possint, facultatem, & auctoritatem vobis concedimus.

Item datur aliquando, absolutio ad cautelam, vel cum reincidentia primo modo non datur, nisi citata parte, & visis actis, & dubiretur de nullitate excommunicationis ab homine prolatæ, vel à jure, & si occurrat dubium facti, vel probabile dubium juris, absolutio datur hac forma.

Dominus noster Jesus Christus dignetur te absolvere, & ego auctoritate ejusdem absolvo te à vinculo excommunicationis si quod incurristi ob tale crimen; ut docet Lazar. *quæst. can. sect.* 4. *quæst.* 16. *num.* 4. & 13.

Quæ quidem absolutio præmitti solet ante absolutionem Sacramentalem, nec non ante aliquem alium actum, cujus valor impediri posset per censuram si adesset, v. g. ante electionem, vel collationem Beneficii Ecclesiastici, vel Ordinis, juxta exemplum propositum in *cap. venerabili* 52. *de sentent. excomm.* ex quo loco colligitur etiam, quòd in absolutione semper sit exigendum juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, quando non constat excommunicationem esse injustam, ut advertit ibi *Glos.* licèt omissio, actum absolutionis non annullet, ut

ut jam diximus, & docet *Glos. in cap. super 51. verb. cùm promissione tit. eod.*

83 Secundus absolutionis modus cùm reincidentia solet practicari, quando quis propter mortis periculum, vel aliquod aliud impedimentum legitimum excommunicatus, fuit absolutus ab eo, à quo aliàs non potuisset absolvi, eo cum onere, seu conditione, ut cessante impedimento, vel periculo se præsentent Superiori, qui extra eum casum illum poterat absolvere, non ut ab eo iterum absolvatur, cùm jam plenè absolutus sit, sed ut satisfactionem imponat, & mandatum suscipiat *cap. de cætero, &c. quamvis de sentent. excomm.* is enim si cessante periculo, vel impedimento, se non præsentaret, cùm commodè potest, reincidit in sententiam excommunicationis ipso jure, ut disponit *text. in cap. eos qui 22. de sentent. excommun. in 6.* si autem in dicto mortis periculo excommunicatus absolutus esset simpliciter absque dicto onere, non reincideret ipso jure, sed esset necessaria Judicis declaratio, Graff. *consil. 13. num. 7. de sentent. excomm. lib. 5. tom. 2.*

84 At si absolutio, cùm reincidentia concedatur, ut sæpè contingit, vigore literarum Sacr. Congregat. Immunit. tunc elapso termino absolutionis, Ordinarius debet reaffigere Cedulones contra jam cum reincidentia absolutos, ut eadem Congregat. respondit in Baren. 19. *Decembr.* 1634. & in Alessanen. 17. *Januar. ejusdem anni lib. 2. decis. pag.* 181. si verò absolutio concedatur ad tempus, tempore elapso, absolutus ipso jure reincidit, quia absolutio ista potiùs est suspensio excommunicationis, quæ finito tempore cessat Graff. *loco cit. num.* 8. & hoc evenit, quoties Sac. Congregat. Concilii, vel Episcop. rescribit; *Episcopus informet suspensis censuris ad tres menses*, vel alio simili modo.

85 Hanc autem absolutionem cum reincidentia, dare non possunt A. C. neque Ordinarii locorum, quoties agitur de censuris promulgatis ex causa jurisdictionis immunitatis, vel libertatis Ecclesiasticæ uti reservatis summo Pontifici, ut sæpè declaravit *ead. Sac. Congreg.* & præsertim in una *Regni Neapolitani* 17. *Maji* 1643. *lib.* 3. Dec. Paul. *pag.* 176. *num.* 6. & recenter in Melphien. 22. *Aprilis* 1673. *lib.* 1. *Decr. Alt. pag.* 792. & in Ravellen. 30. *Augusti* 1698. *lib.* 2. *Decr. Vallem. pag.* 172. *à tergo*, in quibus dictum fuit, quòd quatenus A.C. in prædictis causis, inhibitiones, vel absolutiones concederet, illis non obstantibus, Episcopus contra reos procedere possit. 86
Si autem Episcopus vigore facultatis sibi delegatæ in iisdem causis absolvat, pro Decreto absolutionis nihil recipere debet, salvo tamen quòd debetur pro reintegratione immunitatis læsæ, ac pro actis Curiæ Episcopi, eadem Congreg. in Majoricen. 14. *Aprilis* 1674. *lib.* 1. *Decr. Alt. pag.* 924. 87

Absolutio autem non præsumitur, & ideò, qui semel fuit publicè excommunicatus, præsumitur adhuc censura ligatus, nisi probet se absolutum fuisse *cap. sicut 39. de sentent. excommun.* neque sufficit hoc probare in foro contentioso per schedulam Confessarii, ut advertit Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 39. num.* 180. *vers. notandum secundò.* Et hæc de prima censura in præludio attigisse sufficiat. 88

De Suspensione §. VII.

Secunda censura est Suspensio, per quam persona Ecclesiastica privatur usu seu exercitio Ordinis, Officii, aut Beneficii Ecclesiastici, quod illi competit ratione alicujus potestatis Ecclesiasticæ, in totum, vel in partem, ad tempus, vel in perpetuum ob suam culpam. Hæc censura ferri non potest, nisi ab habente jurisdictionem Ecclesiasticam exteriorem *cap. dudum il 1. de elect.* Dicitur ibi – *persona Ecclesiastica*, ad differentiam excommunicationis, & interdicti, quæ etiam in laicos feruntur. Dicitur ibi – *ob suam culpam*, quia quatenus est censura ferri non potest absque propria culpa saltem veniali, & ad differentiam interdicti, quo ferri potest etiam pro culpa aliena. 89

Suspensio dividitur in totalem, & partialem. Totalis est simul ab Officio, & Beneficio, cujus exemplum habetur in *cap. tuarum 11. de privileg. & in clem.* 1. 90

de decimum vel est suspensio totalis ab Officio, eaque dicitur, per quàm aliquis ab omni Officio Spirituali, tum Ordinis tum jurisdictionis, & Ecclesiasticæ administrationis prohibetur. Totalis verò suspensio à Beneficio est, per quam aliquis ab omni
91 Beneficio Ecclesiastico, quoad ejus administrationem, & fructuum perceptionem suspenditur. Et hinc est, quòd quando quis suspenditur determinatè ab Officio, sive à jure, sive ab homine, non censetur suspendi à Beneficio, nisi id exprimatur: quia suspensio ab Officio, & à Beneficio sunt diversæ species suspensionum, ita ut una non contineatur sub altera, nisi utraque exprimatur, ut patet ex *cap. tam litteris* 33. *de test.d.cap. tuarum de privil. cap.* 1. *de secund.nupt. cap.quia in omnibus de usur. cap. ult. de clandest.desponſ. cap. cum in cunctis* §.*fin.de elect.*in quibus juribus una ab altera distinguitur.

92 Partialis suspensio fit, vel à certo tantùm Officio, aut parte ejus, v. g. ab Ordine tantùm, per quam prohibetur ordinatus exercere aliquem actum suo ordini deputatum, & æquipollet suspensioni à divinis (potest autem facere, quæ facit laicus) vel à certo ordine, per quam prohibentur omnes functiones illius ordinis v.g. Sacerdotalis, vel à certa functione, sive actu ordinis, v.g. ab audiendis confessionibus, vel celebratione missæ: vel à jurisdictione tantùm, ita ut nullus actus jurisdictionis suspensus possit exercere: aut à certo tantùm actu jurisdictionis, v. g. à collatione Beneficii, vel voce suffragii in electione, vel demum à certa parte tantùm fructuum Beneficii, aut distributionum, ut tradunt communiter Navarr. *manual.confess.cap.* 27.*num.*151. *cum seqq.*Graff.*dec.aur. part.* 1. *lib.*4.*cap.*25. & *consil.* 10. *difficult.*3. & *consil.*12. *num.*2. *de sentent.excommun.lib.* 5. Bonac. *tom.*1. *de suspenſ. disp.*3. *punct.* 1. Guazin.*ad defenſ. animar.lib.*2.*defenſ.* 6. *cap.*43. Pirhing.*in jus can.lib.*5. *tit.*39. *num.*198. & *duob.seq.*

93 Præterea quælibet ex prædictis suspensionibus, vel fertur à jure, vel ab homine: item vel est temporalis, vel est perpetua, temporalis cessat elapso termino; perpetua verò non tollitur nisi per absolutionem. Suspensiones autem provenientes à jure communi, vel Constitutionibus Apostolicis, sunt sequentes.

Contra Clericos.

Recipientes scienter Ordines Sacros ab eo, qui renunciavit Episcopatui *cap.*1. *de ordin. ab Episc. qui &c.*

Recipientes Ordines ab alieno Episcopo sine licentia proprii *cap.*1.& 3. *dist.*71. *Concil.Trid. sess.*23. *cap.*8. *de reform.* & contra recipientes Ordines Sacros *Bulla Pii II.*

Recipientes Ordines à proprio Episcopo Pontificalia exercente in aliena Diœcesi sine licentia Episcopi loci *Conc.Trid. sess.*6. *de reform.cap.*5.

Recipientes Ordines ab Episcopo titulari absque proprii Prælati licentia, etiam prætextu familiaritatis *Conc. Trid.sess.*14. *de reform. cap.*2.

Recipientes Ordines à schismaticis *cap.* 1. & 2. *de schismat.*

Recipientes scienter Ordines ab excommunicato *DD. in d. cap.*1. & 2. *de schism.* Sayr. *de censur. lib.*2. *cap.*1. *num.*1.

Recipientes Ordines dum sunt excommunicati, suspensi, vel interdicti *cap. cùm illorum de sentent.excomm.*

Recipientes Ordines Sacros antè legitimam ætatem *cap. vel non est compos de tempor.Ord.* vel extra tempora absque dispensatione *Bulla Pii II.* 7. vel non servatis interstitiis *cap. cum quidam; & cap.litteras de tempor.Ordin.*

Objicientes in personam electi, & postea deficientes in probatione, à Beneficiis per triennium suspenduntur *cap.*1.*de elect.* §. *Adjicientes in* 6.

Ordinatos sine, vel ficto titulo *can.neminem cap. Sanctorum dist.* 70. & contra Ultramontanos *Bulla Urban. VIII.* 33. §.3.

Promotos per saltum *Conc.Trid. sess.*23. *cap.*14. *de reform.*

Suscipientes Sacrum Ordinem post matrimonium ratum etiam non consummatum *extravag. Antiqua de Vot.*

Ordinatos in Sacris cum litteris dimissoriis Capituli, sivè ejus Vicarii Se-

de

de vacante infrà annum *Concil.Trid.sess.* *7. de reform. cap.*10.

Tradentes sepulturæ publicos usurarios *cap.quia in omnibus de usu.* vel ab illis accipientes obligationes.

Parochos jungentes Sponsos alterius Parochiæ sine licentia proprii Parochi *Conc.Trid.cap.*1.*sess.*24. *de ref.matr.*

Parochos non prohibentes matrimonia clandestina, vel contra interdictum Ecclesiæ *cap.cùm inhibito* §. *Fin.de cland. desp.* At hæc suspensio triennalis non est ipso jure lata, sed ferenda à Judice: quia text.dicit -- *ab officio suspendatur*, quod est verbum futuri modi, respiciens actum, sivè Judicis ministerium: imò hodiè attento Trid. Concilio loco mox citato, pro tali delicto, pœna videtur arbitraria, ut ait Sanch. *de matrim. lib.*3. *disp.* 48. *num.*4.

Utentes publicè virgata, vel partita veste sine causa rationabili, per sex menses suspenduntur à perceptione fructuum Beneficiorum *clem.*2. *de vit.& honest. cler.*

Gravantes alienis debitis Ecclesias sibi commissas *cap.*2. *de solut.*

Occupantes bona Ecclesiarum vacantium, vel à Prælatis ipsarum defunctis relicta *cap.quia sæpè de elect. in* 6.

Electores Episcoporum non præsentantes electo electionem infrà octo dies sunt suspensi à perceptione fructuum suorum Beneficiorum per triennium *cap. cupientes de elect. in* 6.

Eligentes indignum ad Episcopatum, vel curam animarum ab Ecclesiasticis Beneficiis triennio sunt suspensi, *cap.cum in cunctis de elect. in* 6.

Compromissarios scienter eligentes indignum, hi ab Ecclesiasticis Beneficiis triennio sunt suspensi, *cap.compromissarius tit. eod.*

Postulantes ad Cathedrales Ecclesias minores 27. annis, & ad Ecclesias inferiores Religiosos Ordinum Mendicantium, Beneficiis, quæ in ipsa Ecclesia obtinent suspenduntur *extravag. unic. de postulat. Prælat.*

Eligentes per abusum sæcularis potestatis *cap.quis quis* 13. *de elect.* non est suspensio latæ sententiæ, sed ferendæ.

Inferiores Episcopis, recipientes procurationem visitando in pecunia, vel in victualibus, visitationis officio non impenso *cap. exigit de cens. in* 6.

Facientes contra conscientiam, & contra justitiam in gravamen partis in judicio, quicquam per gratiam, vel per Sortes, sunt suspensi ab officio per annum, *cap.*1. *de sentent. & re judic. in* 6.

Conservatores Regularium, qui se intromiserint in aliis, quàm manifestis injuriis, ab officio per annum suspensi sunt *cap. fin. de offic.& potest.jud.deleg.*

Concubinarios notorios, *cap.fin.de cohab. cleric. & Mulier.*

Celebrantes missam, & in ea non communicantes *cap.relatum de consecr. dist.* 2.

Omittentes sine gravi causa missam jam inchoatam, incurrunt suspensionem à Corpore, & Sanguine Christi *cap. nullus Episcopus* 57. *de consecr.dist.*1. possunt tamen Eucharistiam sumere more laicorum.

Crimen nefandum exercentes *Bulla Pii V.* 72.

Consequentes Ordines Simoniacè *Bulla Pii V.* 5. §.8. *cap.penult. de Simon.*

Spontè jurantes de tenendo schismate *cap.*1. *de schismat.*

Raptores Mulierum *Conc.Trid. cap.* 6. *sess.* 24. *de reform.matr.*

Disputantes in popularibus Concionibus, de Immaculata Conceptione B.M.V. aut de ea vulgari Sermone scribentes, aut dictantes *Bulla Pii V.*114. §.2. aut impugnantes illam *Greg. XV. Constit.*29.

Celebrantes coram excommunicato scienter *cap.is qui* 18.*ibique glos.de sentent. excommun. in* 6.

Recipientes, & admittentes Prælatos promotos à Sede Apostolica, eisque obedientes sine litteris *extravag.* 1. *de elect.*

Superiores Ecclesiarum non exigentes singulis annis rationem de adimplemento onerum missarum *Bulla Innoc.XII.* anno 1697. emanata.

Contra Episcopos.

Conferentes ordines simoniacè, *cap. penult. de simon. extrav.*2. *de simon.*

Ordi-

Ordinantes non subditum absque licentia proprii Ordinarii, *Conc. Trid. cap. 8. sess. 23. de reform.*

Ordinantes ad Sacros Ordines Religiosos non professos, *Bulla Pii V. 75.*

Ordinantes Monachum sine licentia Abbatis, *cap. fin. dist. 58. ubi Barb.*

Conferentes Clericalem Tonsuram infanti, aut illiterato, vel conjugato, per annum à collatione Clericalis tonsuræ suspenduntur, *cap. nullus de temp. ord. in 6.*

Privantes Beneficiis eos, qui in Romana Curia commorantur, *Eug. IV. in extrav. Divina de priv.*

Submittentes laicis bona, & jura Ecclesiæ absque consensu Capituli, & Sedis Apostolicæ licentia, *cap. hoc consultissimo de reb. Eccles. non alien. in 6.*

Occupantes, & in proprium usum convertentes bona Beneficiorum vacantium ad eorum provisionem pertinentium, ab ingressu Ecclesiæ sunt suspensi, donec restitutionem fecerint, *cap. fin. de offic. ord. in 6.*

Abutentes potestate delegata in causa alienationis bonorum, & per gratiam aut timorem, vel sordes, alienationi consentientes, & Decretum interponentes, *Constit. Pauli II. 2. Bulla tom. 1. pag. 327.*

Admittentes resignatione Beneficiorum contra formam præscriptam in *Constit. 58. Pii V.* suspenduntur à collatione, electione, præsentatione, confirmatione, & institutione Beneficiorum, & officiorum.

Negligentes procedere contra simoniacos, *cap. quid quid* 101. 1. *quæst.* 1.

Episcopos Inquisitores, qui faciendo, vel omittendo delinquunt in officio, *clem.* 1. §. *verùm de heret.*

Procurantes capi Ecclesiasticos, ut renuncient Beneficiis, vel ut citati, ad Sedem Apostolicam accedere non valeant suspenduntur triennio à perceptione fructuum Ecclesiarum suarum *clem.* 2. *de pœnit.*

Non servantes *extravag.* 2. *de elect. Joann. XXII.* quoad perceptionem fructuum Beneficiorum vacantium, primi, vel secundi anni.

Confirmantes, & consecrantes electum in Episcopum, non præmissa inquisitione, an in recessu ab appellatione ad S. Sedem interposita parvitas intercesserit, *cap. provida de elect. in 6.*

Accedentes ad Ecclesias, ad quas fuerunt promoti non expeditis litteris, ac non præstito fidelitatis juramento, *extravag.* 1. *de elect.*

Concubinarios à Synodo Provinciali monitos, non se emendantes, *Conc. Trid. cap. 14. de reform.*

Relaxantes incendiariis pœnas à jure inflictas, *cap. pessimam* 23. *quæst.* 8.

Publicantes indulgentias, & facultatem eligendi Confessarios, solventibus aliquid *Bulla Pii V.* 99.

Non visitantes limina Apostolorum tempore præscripto *Bulla Sixti* 15.

Ingredientes Monasteria Monialium in casibus non necessariis, *Bulla Greg. XIII.* 28. *dubiis.*

Contra Capitula.

Occupantes bona à Prælato dimissa, vel vacationis tempore obvenientia, *cap. quia sæpè de elect. in 6.*

Recipientes Prælatos, eisque obedientes absque litteris Papæ, *extravag.* 1. *de elect.*

Recipientes ex pacto in ingressu ad Religionem ab admisso, prandia, pecunias, aut jocalia, *extrav. sanè de simon.*

Non observantes in resignatione Beneficiorum contenta in *Bulla Pii V.* 58.

Contra Religiosos.

Apostatas in Apostasia ordines recipientes, *cap. fin. de apost.*

Recipientes Alumnos ad professionem antè annum probationis, *cap. non solùm de regul. in 6.*

Superiores concedentes redditus, aut possessiones Monasteriorum alicui ad vitam, seu aliud certum tempus, nisi necessitas exposcat, *clem.* 1. *de reb. Ecclesiæ.*

Appropriantes sibi, & usurpantes decimas ipsis non convenientes, *clem.* 1. *de decim.*

Non deferentes habitum à regula præscri-

scriptum *clem.* 1. §. *si quis de stat. monac.*

Prælatos, ad quos occasione excessuum suorum Religiosorum bona aliqua pervenerint, non satisfacientes personis damnificatis, *clem.* 1. §. *quibus de privil.*

Postponentes confitentibus conscientiam facere de solvendis decimis, ab officio prædicationis, ipso facto, suspensi sunt, *clem. cupientes de pœn.* quam si violaverint excommunicationem incurrunt *ibi*.

Non professos recipientes Ordines Sacros, *Bulla Pii V.* 75.

Introducentes Mulieres intrà Clausuram Monasteriorum, *Bulla Pii V.* 20.

Ejectos à Religione, *Urban. VIII. Constit.* 16. §. 10.

Superiores, non exigentes à Sacristis, & Ecclesiarum Regularium ministris singulis annis rationem, de adimplemento onerum missarum, *Bulla Innoc. XII. anno* 1697. emanata data, in *appendic. tom.* 1. *pag.* 346.

Et has suspensiones enumerasse sufficiat, cæteris prætermissis, quæ vel singularum Religionum causæ serviunt, vel sunt comminatoriæ, vel cum interdicto confunduntur. Eas autem, quæ ab homine promanant, quis, & ob quam causam ferre possit, quia sint effectus suspensionis, nunc breviter erit videndum.

De potestate, & causa ferendi Censuram suspensionis. §. *VIII.*

94 Omnis, & solus ille, qui potest excommunicare, potest etiam suspendere, Navarr. *manual. conf. cap.* 27. *n.* 155. ratio est, quia, & eadem est potestas jurisdictionis ad ferendas censuras, cùm omnes ad eundem finem ordinentur, scilicèt ad coercendam contumaciam, & inobedientiam subditorum rebellium.

95 Hæc censura scripto ferenda est regulariter, sicut excommunicatio, *cap.* 1. *de sentent. excommunic. in* 6. debet præcedere suspensionem monitio, quando ab homine ferenda est ob contumaciam: quamvis non requiratur, quando infligitur in pœnam ut distinguit Navar. *loco nuper cit.* cum aliis, quos refert, & sequitur Pirhing. *in jus canon. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 205.

Soli autem Clerici, Præter Papam, possunt Censura suspensionis ligari, 96 quia est quædam privatio Ecclesiasticæ potestatis, cujus soli Clerici sunt capaces. Probabile tamen est etiam Abbatissas, posse suspensionem incurrere, quia sunt personæ Ecclesiasticæ capaces spiritualis officii, & jurisdictionis spiritualis, saltem ex commissione, Pirhing. *loco citat. num.* 206. Episcopi verò ex privilegio, *cap. quia periculosum* 4. *de sentent. excommun. in* 6. non incurrunt suspensionis, nec interdicti generalem sententiam 97 à jure latam, nisi eorum fiat expressa mentio.

Porrò non tantùm singulares personæ, sed tota communitas, seu Collegium Clericorum, suspensione ligari 98 potest; idque vel collectivè, ut v. g. totum corpus Capituli suspendatur, vel distributivè singuli è corpore, dummodo noxii sint suspendantur, *cap.* 1. *de sed. vac. &c. quia sæpè* 40. *de elect. in* 6. Pirhing. *ubi suprà num.* 207. Guazin. jun. *ad defens. anim. lib.* 2. *def.* 6. *cap.* 43. *num.* 14. Verùm est tamen, quòd hæc censura ut 99 suprà notavi, non incurritur, nisi ob propriam culpam, eamque mortalem, prout communiter imponi solet, etiam ab homine (nisi suspendatur totum corpus collegii: nam tunc potest incurri etiam sine culpa, sed non sine causa, & hoc tunc fit ob bonum publicum, & commune, ut est bellum, quod fit contra Urbem rebellem, in qua nocentes cum innocentibus occiduntur) cùm pœna debeat esse commensurata delicto, seu culpæ: Et suspensiones ab officio, beneficio, ordine &c. sint graves pœnæ; ideò requirunt culpam gravem, seu mortalem. Quòd si levis sit suspensio, v. g. ab uno actu electionis, à Missa celebranda una die, vel ad breve tempus, potest etiam alicui imponi, etiam propter levem, seu venialem culpam, Pirhing. & Guazin. *locis citatis*, Sayr. *de censur. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 20.

De effectibus suspensionis. §. IX.

101 Effectus principalis suspensionis est, quòd si suspensus aliquem actum, à quo est suspensus exerceat, graviter peccat, si materia gravis sit, ac propterea si durante suspensione actus ordinis exerceat, ipso facto contrahit irregularitatem, ut habetur *in cap. 1. de sentent. & re jud & cap. 1. de sentent. excommunicat. in 6.* actus tamen ordinis exerciti validi sunt (excepta absolutione sacramentali, quæ jurisdictionem requirit) quia horum actuum valorem Ecclesia impedire non potest, si debito modo agantur: at verò actus, qui jurisdictionem requirunt, si suspensus sit occultus, & communiter toleretur in publico officio, validi sunt, licèt peccet si ex se, & sponte faciat, Pithing. *loc. cit. num.* 210.

Suspensus, nominatim denunciatus est vitandus in eo, à quo est suspensus, & in actibus deputatis suis ordinibus, peccatur mortaliter, ut dicit Navar. *d. cap.* 27. *num.* 163. *vers. non infertur*, Sayr. *de censur. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 5.

102 Secundus effectus est, quòd suspensus ab ordine, vel beneficio, scienter, violans suspensionem, præsertim celebrando, in perpetuum ab officio, & beneficio deponendus est, argumento, *text. in cap. Clerici, & c. latores de cler. excom.* imò quòd sit excommunicandus tanquam omnium suspensionum gravissima, propter actus celebrandi dignitatem, ex pluribus probat Sayr. *de censur. d. lib.* 4. *d. cap.* 11. 12. 13. *&* 14.

103 Tertius effectus est, quòd suspensus ab officio, ordine, vel jurisdictione in uno loco, ubique est suspensus, ita ut nullibi possit exercere actus illius potestatis, à qua est suspensus, donec absolvatur, quia censura afficit immediatè personam, ideoque eam comitatur, etiam extra territorium ferentis, nisi aliunde de contrario constet, Barbos. *in cap. cum & plantare num.* 16. *de privil.* Pithing. *ubi supra num.* 214.

104 Quartus effectus est, quòd suspensus a minori ordine non potest ad majores ascendere, nisi absolvatur, quia videretur promotus per saltum, Nicol. *in flosc. verb. suspensio, num.* 4. nam cui non licet quod minùs, nec licere debet, quod majus.

Quintus effectus est, quòd suspensus ab officio, & beneficio non potest eligere, & est incapax beneficii Ecclesiastici, & provisio ei facta nulla est, *cap. cum dilectus* 8. *ibique glos. de consuet.* cum aliis apud Barbos. *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 8. *num.* 14. *& sup. d. cap. cum dilectus num.* 12. 105

Alii plures sunt effectus minùs principales hujus Censuræ, quos videre poteris apud Navar. *d. cap.* 27. *à num.* 159. *cum plurib. seqq.* Graff. *decis. aur. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 25. *per tot.* Bonac. *de susp. disp.* 3. *punct.* 2. *pariter per tot.* Sayr. *de cens. lib.* 4. *cap.* 5. *& cap.* 6. *per tot.*

De absolutione suspensionis. §. X.

Nulla reperitur forma præscripta in absolutione hujus censuræ, sed ferri, & tolli potest quibuslibet verbis id significantibus: imò solo verbo, v. g. *removeo*, vel *revoco* suspensionem: quando tamen agitur de suspensione certa: viri periti utuntur hac forma. 106

Absolvo te à vinculo suspensionis, quod incurristi ob talem causam, & restituo te pristinæ executioni tuorum ordinum, vel officiorum: & si est dubia dicunt — *si teneris aliquo vinculo suspensionis, à quo te possum absolvere, absolvo te &c.* juxta tradita à Navar. *d. cap.* 27. *num.* 161. *vers. sexto dico*, & Sayr. *de cens. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 33.

Suspensio ad certum tempus, v. g. ad triennium, vel sub conditione, v. g. donec satisfecerit, elapso eo tempore, vel impleta conditione, cessat fine alia absolutione, sivè sit imposita à jure, sive ab homine, Navar. *loc. cit.* Pithing. *ubi sup. num.* 208. *vers. à suspensione.* 107

A suspensione lata ob contumaciam, & non in pœnam delicti, absolutè sine termino, & sine reservatione, sivè jure communi, sivè particulari, confirmata, vel non confirmata per Papam, potest absolvere Episcopus, & ejus Vicarius, aliivè jurisdictionem, quasi Episcopalem habentes: non autem Parochi, 108

chi, & alii confessarii, qui à talibus suspensionibus, etiam jure communi non reservatis, vel ab homine latis, absolvere non valent, nisi talis potestas eis competat ex speciali privilegio, vel ex delegatione ejus, ad quem talis absolutio, jure ordinario spectat, Navar. *cap.27 num.* 162. Pirhing. *dict. num.*208. *vers. secundo suspensio*, Guazin. jun. *ad defens. animar. lib.*2. *defens.*6. *cap.*43. *num.*20. Sayr. *de censur. lib.*4. *cap.*17. *num.*24.

109 A suspensione verò lata a jure in pœnam alicujus delicti, non potest Episcopus absolvere, sivè sit ad tempus, sivè perpetua, nisi sit ei specialiter concessum, quia Episcopus sicut non potest dispensare in lege superioris, ita nec pœnam ei annexam relaxare, Navarr. & Pirhing. *locis citatis*. Hæc tamen sententia refellitur à Sayro *de censur. lib.*4. *cap.*17. *num.*14. *vers. secunda sententia*, *& num.*15. *cum seqq.* ubi rejectis fundamentis prioris sententiæ firmat, quòd suspensio in jure simpliciter ob delictum lata, & nulli reservata, per Episcopum tolli, & relaxari possit: exceptis illis suspensionibus in jure latis in perpetuum, vel sine spe veniæ, à quibus Episcopus non valeat absolvere, nisi crimen sit occultum, vigore Concilii Trident. *sess.*24. *cap.*6. *de reform.* quia in tali perpetua, & irremissibili suspensione, auctor canonis censetur sibi dispensationem reservasse: & hæc secunda Sayri sententia verior, in praxi sequenda est.

Hoc autem superest hìc addendum,
110 quòd in absolutione suspensionis sæpè exigendum est juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, ut habetur *in cap. super eo il* 2. *& cap. venerabili de sentent. excommunic.* mandatum autem, quod injungitur absolvendo est multiplex. Primò enim in virtute juramenti præstiti, injungendum est illi, nè de cœtero audeat committere illud ipsum crimen. Secundò, quando crimen, propter quod incursa est suspensio, vel alia censura, tangit tertiam personam, est ei injungendum, ut parti offensæ satisfaciat, ut præcipitur *in cap. porrò, &c. Parochianus de sentent. excommunicat.* Tertiò potest, & debet injungi aliqua moderata pœna, præsertim quando crimen, propter quod incursa est censura, publicum, & notorium est, ut docet Sayr. *de censur. lib.*4. *cap.*17. *num.*31.

De Interdicto. §. XI.

Tertia censura Ecclesiastica, est interdictum, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, omnium Divinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, ut colligitur ex *cap. non est vobis* 11. *de sponsal. & matrim. & cap. quòd in te* 11. *de pœnit. & remiss.* quod dividitur in locale, & personale. 111

Locale est, quo immediatè locus ipse interdicitur, nè ibi divina celebrentur, vel audiantur, sivè ab indigenis, sivè ab alienigenis. Personale interdictum est, quo immediatè interdicuntur ipsæ personæ, non locus, & tunc illæ personæ nec hìc, nec alibi possunt percipere Sacramenta, nec exercere functiones Sacras per interdictum prohibitas. Item datur interdictum mixtum, quo immediatè, & locus, & personæ interdicuntur, v.g. Civitas, & ejus Incolæ. Item interdictum tàm locale, quàm personale subdividitur in generale, & particulare: generale est, quo interdicitur locus generaliter, idest plura loca complectens, ut Regnum, Provincia, Civitas, Castrum, Villa, juxta *cap. cùm in partibus* 17. *de verb. signif.* Interdictum verò locale particulare est, quo interdicitur locus unus particularis, vel plures, v.g. Ecclesia Parochialis, vel plures Ecclesiæ particulares, tunc enim virtute sunt plura interdicta particularia cùm non interdicatur unus locus communis.

Similiter Interdictum personale dividitur, in generale, & particulare, generale, est quo interdicitur aliqua communitas, prout est unum corpus politicum, v. g. populus unius Provinciæ, Civitatis, vel Pagi: item Universitas, Collegium, Capitulum, sub quo comprehenduntur singula membra, & innocentes, nisi specialiter eximantur, vel à loco interdicto discedant. Interdictum verò personale particulare est cùm persona particularis interdicitur, vel etiam plu- 112

res personæ, v.g. omnes, & singuli, qui Consulem occiderunt, vel aliud facinus
114 patrarunt, quamquàm ignoti sint.

Hæc quoque censura Interdicti, vel fertur à jure, vel ab homine: hoc ultimum illi ferre possunt in personas, vel locum jurisdictioni suæ subjectum, qui ordinario jure possunt excommunicare, vel suspendere, *cap. cum Ecclesiarum 3. de offic. jud. ord.* Superiores tamen Regulares, quia jurisdictionem non habent, nisi in personas subditas, interdictum locale non ferunt, nisi in aliquo Oppido habeant jurisdictionem fori contentiosi, & quasi Episcopalem, ut dixi *tom. 1. tit. 6. annot. ad form. 20. num. 34.* Interdicta autem, quæ à jure communi promanant, & Constitutionibus Apostolicis, tàm perso-
115 nalia, quàm localia sunt sequentia.

Personalia Specialia.

Contra non servantes formam à jure præscriptam in ferendis censuris *cap. Sacro de sent. excom. & cap. 1. eod. tit. in 6.*

Contra Episcopos usurpantes bona, vel fructus Ecclesiarum, aut Beneficiorum vacantium *can. præsenti de offic. ord. in 6.*

Contra violantes interdictum locale, atque contra eos, qui excommunicatos publicè, vel interdictos ad divina officia, ad Sacramenta, & ad Ecclesiasticam sepulturam admittunt, *cap. Episcoporum, de privilegio in 6.*

Contra eos, qui dant causam interdicto locali, *cap. si sententia, de sent. excom. in 6.*

Contra Episcopos, & inferiores Prælatos, qui in visitatione, procurationem excessivam; & præter præscriptam à jure exigunt *cap. exigit de cens. in 6.* Conc. Trid. *cap. 3. sess. 24. de reform.*

Contra Ordinarios, qui privant Beneficijs commorantes in Urbe, & eos, qui illa recipiunt *extrav. 3. de priv.*

Contra eos, qui Episcopatum, Abbatiam, vel aliam Ecclesiasticam Dignitatem, de manu laici recipiunt, *cap. si quis deinceps 16. quæst. 7.*

Contra Episcopos, vel Abates, qui bona Ecclesiæ non servata forma *extrav. ambitiosæ* alienant *ibid.*

Contra Prælatos usurpantes bona Beneficiorum vacantium, *extravag. unic. ne sede vac. aliq. innov.*

Contra Clericos in Sacris constitutos in crimine fornicationis jacentes, *cap. si qui sunt 81. dist.*

Contra Prælatos edentes commentarios in Concilium Trid. *Bulla Pii IV.* confirmatoria *ejusd. Conc.*

Contra Metropolitanos de non residentia suffraganeorum, & contra antiquiores Episcopos, de non residentia Metropolitanorum post annum à die absentiæ eorundem, non certiorantes Pontificem intra tres menses Conc. Trid. *sess. 6. cap. 1. de reform.*

Contra omnes Ecclesiarum Sæcularium Rectores, & Ministros recipientes onera perpetua Missarum sine licentia Ordinarii loci: ac etiam contra recipientes pecunias talium legatorum, & eas non deponentes penes personam idoneam *Bulla Urbani VIII. 43. §. 5. §. 7.*

Contra promotos ad Ecclesias Cathedrales, etiamsi sint Cardinales, in Romana Curia existentes, intra unum mensem à die eorum promotionis, itineri se non committentes ad faciendam residentiam *Urban. VIII. Const. 190. §. 7.* Tempus ad incurrendas pœnas hujus Bullæ non currit à die promotionis (de quo vidi dubitari) sed à die consecrationis juxta dispositionem *Conc. Trid. sess. 23. cap. 2. de reform.* à quo recipit Bulla interpretationem: quod consecrationis munus Episcopi tenentur suscipere infrà tres menses sub pœna amissionis fructuum Ricc. *prax. p. 5. prax. consecr. Episc. resol. 3.*

Interdicta personalia generalia.

Contra Universitates, habitationem usurariis locantes, aut fœnus publicè exercere permittentes, *cap. 1. de usur. in 6.*

Contra Universitates concedentes, vel extendentes repræsalias contra Ecclesiasticos, *cap. unico de injur. in 6.*

Contra Universitates, Capitula, vel Collegium, non servantia quæ statuta sunt

sunt circa fructus Beneficiorum vacantium in *extravag. unica, ne quid sed. vac. innov.*

Contra Universitates, Capitula, & Collegia, à Papa ad futurum Concilium appellantia, *cap. 2. Bulla Cœnæ.*

Contra Capitula Cathedralium, di missorias infra annum à die vacationis Sedis, concedentia *Concil. Trid. sess. 7. cap. 10.*

Contra Universitates exigentes tributa ab Ecclesiasticis *cap. quamquam de censs. in 6.*

Interdicta localia.

Contra Dominos temporales impedientes, ne Legatus, vel Nuncius Summi Pontificis suo fungatur officio, in quo casu loca ipsius impedientis, subjacent interdicto, *extravag. super gentes, de consuet.*

Contra Dominum alicujus territorii, qui percutit injuriosè Episcopum, aut capit, vel bannit, vel mandat hæc fieri, vel dat consilium, tunc enim illius loca subjacent interdicto usque ad condignam satisfactionem *clem. 1. de pœn.*

Contra Civitatem, quæ insequitur hostiliter Cardinales, vel insecutoribus consilium, vel auxilium præbet, *cap. felicis de pœn. in 6.*

Contra Ecclesias Clericorum sæcularium, vel etiam Regularium inducentium aliquem ad jurandum, vel promittendum eligere in illis sepulturam, si posteà de facto, in eis, jurantes, vel promittentes sepeliantur *cap. 1. de sepult. in 6.*

Contra Universitates, & Collegia exigentes juramenta illicita, vel contra libertatem Ecclesiasticam *Bulla Gregor. XIII. 93.*

Porrò Interdictum generale locale,
116 non potest justè ferri, nisi ob gravem causam generalem, quæ ex peccato publico à capite, vel pluribus, & præcipuis ejus membris contumaciter admisso procedat; ideoque requirit graviorem causam, quàm excommunicatio, quia est pœna, quæ redundat in totam Communitatem, quam privat cultu quodammodo Divino publico, & extendit se, etiam ad innocentes, qui nullam causam dederunt interdicto.

Interdictum verò personale speciale, non potest in aliquem ferri, nisi ob pro- 117
priam ejus culpam, eamque gravem, si simpliciter, & absolutè feratur: quia privat hominem magnis bonis spiritualibus, ut observant Sayr. *de censur. lib. 5. cap. 11. num. 1. & 2.* Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 49. num. 251.*

De effectibus Interdicti §. XII.

Tres sunt effectus interdicti, sive localis, sive personalis. Primus est, pri- 118
vatio aliquorum Sacramentorum. Secundus est, privatio divinorum officiorum. Tertius est, privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, ut expressum habetur in *cap. alma mater, cap. si Civitas de sent. excom. in 6.* non tamen effectus hujusmodi inter se, ita connexi sunt, quòd non possint ab eo, qui tulit interdictum separari (ut infra dicam) Si enim ponatur interdictum absolutè, & sine limitatione, intelligitur quoad omnes tres effectus, quando verò non ponitur absolutè, sed cum restrictione, & limitatione, tunc prohibet tantùm eam actionem, quæ interdicitur, & omnem aliam, quæ in ea includitur, & sine qua, illa non potest fieri, non verò prohibet eam, sine qua actio interdicta fieri potest Bonac. *de interdict. disp. 5. punct. 3. num. 1.*

Hinc Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & pœnitentiæ licitè conferri & recipi possunt tempore interdicti, uti 119
colligitur ex *cap. quoniam 19. de sentent. excomm. in 6. & ex d. c. alma mater tit. eod.* ad illa tamen recipienda non admittuntur hi, qui dolo, fraude, vel culpa sua, causam dederunt Interdicto, vel consilium dederunt, vel præbuerunt favorem ad patrandum delictum propter quod Interdictum est impositum: neque illi qui personaliter, & specialiter sunt interdicti: iis inquam non conferuntur, nisi priùs pro delicto satisfaciant, vel de satisfaciendo pignoratitiam, vel fidejussoriam dent cautionem; ut percipitur ex *d. cap. alma mater.* Neque etiam ministri Ecclesiæ specialiter interdicti, possunt ullum Sacramentum administrare extra

casum

casum necessitatis, nisi priùs ab Interdicto absolvantur: quia sicut celebratio divinorum officiorum, ita etiam administratio Sacramentorum est prohibita interdictis, cùm sit quædam Sacri Officii participatio, Pirhing. *loco supra citato num.* 233.

120 Extra periculum Mortis, prohibitum est tempore interdicti Sacramentum Eucharistiæ recipere, aut ministrare, exceptis iis, qui speciale privilegium habent: nam in omni interdicto prohibitus est usus activus, & passivus Sacramentorum, nisi in casibus jure exceptis: usus autem Eucharistiæ non est exceptus extra sacrificium missæ, nisi quando datur per modum viatici, & sic non potest dari sanis, quàmvis sint Clerici, Navarr. *manual. d. cap.* 27. *num.* 178. Pirhing. *ubi supra num.* 232. *vers. notandum secundò*. Undè sententia communior tenet, quòd non licet sumere Eucharistiam in Paschate, quàmvis in illa die, concessum sit divinis interesse Bonac. *de interd. disput.* 5. *punct.* 3. §. 2. *num.* 12.

121 Sacramentum extremæ unctionis tempore interdicti, nec administrari, nec recipi posse, colligitur ex *cap. quod in te* 11. *de pœn. & rem.* nisi haberet quis speciale privilegium, Pirhing. *ubi supra num.* 234. sicuti certum est Sacramentum ordinis conferri non posse, *cap. non est vobis de sponsal. & matr.* Bonac. *loco supra cit.* §. 3. *num.* 3. Pirhing. *num.* 235. Sacramentum verò matrimonii contrahere,

122 quòd sit prohibitum, tenent plures cum Bonac. *ibid. num.* 8. at quòd non solùm validè, sed etiam licitè, tam tempore interdicti localis, quàm specialis personarum matrimonium contrahatur, de communi sententia astruit Pirhing. *loc. cit. num.* 236. quia (ut ipse ait) cùm Ecclesia per interdictum prohibeat participationem eorum Sacramentorum, quæ Christus per Ministros ordinatos dispensanda reliquit, & matrimonium (quod est etiam quidem contractus naturalis), non per tales ministros ordinatos, sed per ipsos contrahentes dispensetur, & qui sunt Ministri hujus Sacramenti, & non Parochus, seu Sacerdos assistens tanquam testis, non comprehenditur in prohibitione. Sayr. *autem de censur. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 43. 44. & 45. mediam sententiam sequens dicit, quòd matrimonium validè: sed non licitè contrahatur.

Divina autem officia, quæ tempore 123
interdicti prohibentur sunt, celebratio publica missæ, orationes publicæ ab Ecclesia institutæ, ut sunt horæ canonicæ in Choro, quæ nomine Ecclesiæ à Clericis cantantur, vel recitantur exequiæ funerales, processiones publicæ cum Cruce, & superpelliceis, cum solitis precibus à Presbyteris recitandis: omnes Sacræ benedictiones ab Ecclesia institutæ, & quæ ejus nomine, & ritu præscripto fiunt à suis ministris, ut sunt Sacramentalia, videlicèt, benedictio solemnis Episcopi, solemnis aspersio aquæ lustralis, benedictio Nuptiarum, Templi, Vasorum Sacrorum, Corporalium, Fontis Baptismalis, collatio primæ Tonsuræ, professio solemnis in Religione, &c. Navar. *d. cap.* 27. *num.* 177. Bonac. *loco citato punct.* 4. *num.* 2. & 3. Pirhing. *num.* 238. *vers. notandum tertio*, & latiùs omnium Sayr. *de censur. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 4. 14. & 19.

Estque notandum, quòd licèt tem- 124
pore interdicti generalis, possint à Clericis celebrari Missæ, aliaque Officia divina, submissa voce, Janius clausis, & pulsatis campanis, juxta permissum *cap. permittimus, & cap. alma mater §. adjicimus de sentent. excomm. in* 6. non tamen possunt, nec debent admitti ad audiendas missas, & ad alia divina officia laici, quàmvis essent domestici Clericorum: quia illis nihil est concessum, etiamsi tales laici, non sint personaliter interdicti, & est sententia communis, de qua testatur Bonac. *d. punct.* 4. *num.* 6. Pirhing. *num.* 239. nisi Sacerdos celebraturus, non posset habere ministrum Clericum, tunc enim posset adhibere Ministrum laicum specialiter non interdictum, Sayr. *d. cap.* 5. *num.* 33. Pirhing. *num.* 240. *vers. ult.*

Possunt tamen laici in Ecclesia preces 125
privatas fundere, ubi divina officia non fiunt, Sayr. *d. cap.* 5. *num.* 37. & in festivitatibus Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Mariæ Vir-

Virginis (exclusis specialiter Interdictis, & his, qui causam dederunt interdicto) licitè interesse divinis, non tamen Eucharistiam sumere; ut ex sententia Bonacin. probatum est supra: cui licèt non adhæreat Pirhing. *loc. cit. num.* 240. §. *Porrò*, qui tenet cum Suar. quòd etiam valeant in dd. festivitatibus Eucharistiam sumere: adhæret tamen Sayr. *de censur. lib.5. cap.7. num.* 24. & 25. qui sententiam Bonac. communem dicit, & in praxi sequendam.

126 Notandum secundò, quòd non omnes Clerici tempore interdicti, admittendi sunt ad Divina: nam admitti non debent, qui aliquo modo fuerunt culpabiles, & causa interdicti, quia isti specialiter interdicti sunt. Item non debent admitti Clerici conjugati: etenim hi, quatenus habeant requisita *cap. unic. de cleric. conjug. in* 6. gaudent solùm privilegio canonis, & fori, non autem, hoc, ut tempore interdicti, Divinis interesse possint, nisi adsit consuetudo præscripta illos admittendi, prout observat Sayr. *d. lib.5. cap.5. num.*34.

127 Notandum tertiò, quòd interdicto Populo, non est interdictus Clerus, nec interdicto Clero, Populus est interdictus, nisi ambo fuerint causa interdicti, ut notatur *in c. si sententia de sententia excomm. in* 6. interdicto autem Clero, interdictæ censentur omnes religiosæ personæ, Monaci, Moniales, & tam professi, quàm Novitii, secundùm sententiam Sebast. Medic. *tom.* 3. *sum. peccat. capital. de censur. tit.*9. *quæst.* 5. at Sayr. *de censur. lib.5. cap.* 4. *num.* 20. tenet, quòd sub interdicto Cleri non includantur Religiosi, nisi interdictum feratur sub nomine personarum Ecclesiasticarum, & Sayr. sequitur Bonac. *de interdict. disp.5. punct.*1. *num.* 14. Interdicto autem Populo, interdicuntur mares, & fœminæ, majores, & minores non tamen ratione carentes: similiter interdicta Civitate, interdicuntur suburbia, *cap. si Civitas de sentent. excomm. in* 6. sicuti interdicta Ecclesia interdicitur sacellum, & cœmeterium, non tamen interdicto cœmeterio, & sacello, dicetur interdicta Ecclesia: interdicta autem Ecclesia non dicuntur interdicti Clerici sicut interdictis Clericis non est interdicta Ecclesia Medic. *loc. cit. dict. quæst.* 5. Sayr. *d. cap.*4.

128

Notandum quartò, quòd Judex potest sua libera voluntate limitare effectum interdicti, verbi gratia: ab ingressu Ecclesiæ tantùm, vel sepultura, vel ab horis, vel à missa cum cantu, Item potest pro voluntate sua ab interdicto excipere, & subjicere aliquos, quos nominaverit, & etiam pro tempore sibi benè viso: nisi sit interdictum juris, quod regulariter declarat effectus, quos habet, Sayr. *de censur. d. lib.5. cap.*11. *num.*28. Guazin. *ad defens. anim. lib.*2. *cap.* 43. *def.*6. *num.*48. 129

Quoad effectum privationis sepulturæ certum est, tempore interdicti generalis, aut specialis personalis, aut localis, si simpliciter latum sit absque restrictione; Ecclesiasticam sepulturam in loco sacro fidelibus prohiberi, *cap. quod in te §. licèt autem de pœnit. & remiss. cap. si Civitas de sentent. excomm. clem.*1. *de sepult.* Sayr. *de censur. lib.5. cap.*8. *num.*3. Clerici tamen specialiter non interdicti, qui interdictum servaverunt, nec illi causam dederunt, nec illicita Divini Officii celebratione illud non violarunt, possunt in cœmeterio, ac etiam in Ecclesia sepeliri; cum silentio tamen sine pulsatione Campanarum, & absque ulla solemnitate, *d. cap. quod in te, de pœnit. & remiss.* Sayr. *ibid. num.*6. Pirhing. *loco supra cit. num.*241. 130

Nullum præterea interdictum loci obligat, nec servari debet, nisi sit nominatim denunciatum: sicut nec interdictum personæ; ita ut non prohibeamur communicare cum interdicto, eumque non teneamur excludere à Divinis, in sacro non sepelire, nisi nominatim sit denunciatus. Et propterea personaliter interdicti, sive Clerici sint, sive laici, si denunciati non sint, nec moriantur impœnitentes, possunt in loco sacro non interdicto sepeliri: quia quibus vivis communicavimus, etiam mortuis communicare possumus, ut inquit canon *sanè* 3. 24. *qu* 2. Navar. *d. cap.*27. *num.*187. Pirhing. *loco citato num.*242. Nicol. *lucubr. can. lib.* 5. *tit.*39. *num.*28. 131

Violans autem interdictum, si est laicus 132

cus semper peccat mortaliter, quoties sit generaliter interdictus, idest de populo interdicto, sive specialiter interdictus: Si verò interdictum sit locale, illud violans excluso contempto, & scandalo, peccabit saltem venialiter: at si aliquo modo sit causa, aut fomentum præstet violationi Interdicti localis, etiam tunc peccabit mortaliter, Sayr. *de censur. lib. 5. cap.14.num.1.2. & 3.* ubi addit, quòd si contemnar, possit excommunicari, & à suo Judice ad requisitionem Ecclesiæ exilio condemnari, & concordat Guazin. *ad defens. anim. lib.2. def.6. cap.43. num.49.* Si autem alios cogeret, aut impelleret ad illud violandum, vel divina celebrandum, vel monitus exire ab Ecclesia non paret, excommunicationem Papæ reservatam incurreret, *Clem. grave de sentent.excomm. in fin.*

133 Clerici quippè, tam Seculares, quàm Regulares Sacris Ordinibus initiati, violantes Interdictum, peccant mortaliter, sive sit Interdictum personale, sive locale; hoc est sive ipsi interdicti sint, sive in loco interdicto, sive in Ecclesia, à cujus ingressu suspensi sint, aliquem actum ordinis exerceant, ut missam, aut aliud officium divinum quodcumque de more celebrent; & ulteriùs irregularitatem incurrunt, *cap. is cui 20. de sentent. excommunic. in6.* Sayr. *d.cap.14. num.5. & 18.* Guazin. *d. num.49.* Graff. *decis.aur. part.1.lib.4. cap.26. num.8. & 9.* imò fiunt etiam ineligibiles, ita ut nec eligi, nec eligere possint, *cap. is qui 18. §.Si verò de sentent.excomm. in6.* Et solus Papa potest dispensare ab irregularitate contracta ex celebratione divinorum tempore Interdicti, Pirhing. *loco superius citato num.248. vers. notandum tertio*.

134 Ille autem, cui interdictus est ingressus Ecclesiæ, non potest, ubique reperiatur, Ecclesiam ingredi tempore divinorum officiorum, neque divina facere nec officiis divinis assistere in festis concessis in *dict. cap. alma mater*: neque dum divina celebrantur Sacramenta sumere, nec aliis ministrare; imò nec alteri divina celebranti, neque ut Clericus, neque ut laicus inservire, nec orationes privatas fundere: & si durante Interdicto moriatur, nisi pœnituerit, neque in Ecclesia, neque in Cœmeterio poterit sepeliri. Hoc tamen Interdictum in articulo mortis per quemcumque Sacerdotem potest tolli, & relaxari, ut tradunt Sayr. *de censur. lib.5. cap.9. à num.15. ad 26.* Bonac. *de interdict. disp. 5. punct.5. num.11.*

Episcopus autem ab ingressu Ecclesiæ interdictus, durante interdicto, non potest in Ecclesia celebrare, nec Sacramenta ministrare, nec aliquem Sacri Ordinis actum exercere, nec audire divina officia, nec psallere, nec orare, nec si interim moriatur in Ecclesia, vel Cæmeterio sepelitur: & sic hoc interdictum non servet fit irregularis, ut aliis allegatis tradit Passer. *in cap. quia pontificali num.13. de offic. jud.deleg. in6.* poterit tamen extra Ecclesiam celebrare, Passer. ibi. 135

De absolutione, seu relaxatione Interdicti. §. XIII.

Licèt nulla tradita sit specialis forma absolutionis Interdicti, uti tamen oportet aliqua forma verbali (quoties Interdictum à jure, vel ab homine latum simpliciter, & non ad tempus) removendum est: v. g.--*absolvo te à vinculo Interdicti, quod incurristi ob talem causam &c.* vel alia verba adhibere, quibus Interdictum tolli significatur, ut docet Sayr. *de censur. d.lib.5. cap.15. num.1.* 136

Interdictum hominis, ab eo, à quo fertur, potest auferri, vel suspendi in totum, aut ad aliquos effectus immediatos: quia censura ligat ad nutum, & voluntatem ferentis eam, Bonac. *de interd. disp.9. punct.ult.num.4.* Sayr. *d.cap. 15. num.19.* 137

Interdictum latum à jure ad certum tempus, vel sub conditione, elapso tempore, vel adimpleta conditione per se cessat, ita tamen, ut ante ejus impletionem Episcopus dispensare non possit, nisi Interdictum proveniat ex delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum: quia censetur tacitè reservatum, Pirhing. *in jus can. lib.5. tit. 39. num. 252.* 138

In-

139 Interdictum generale, locale, vel personale jure communi latum non reservatum, potest tolli ab Episcopo, ac suspendi ad tempus; vel ab alio habente jurisdictionem, quasi Episcopalem in Communitatem interdictam, Bonac. *loc. cit. num.* 5. Pirhing. *d. num.* 252. non tamen illud tollere posset, si esset latum à Papa tanquam ab homine, Bonac. *d. num.* 5. *vers. dixi* Guazin. jun. *ad defens. animar. lib.* 2. *def.* 6. *cap.* 43. *num.* 33. Nicol. *lucubr. can. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 236. §. 3.

140 Interdictum locale, aut personale Communitatis non reservatum, non tollit absolutio Parochi, aut alterius Confessarii: quia locus, & Communitas foro pœnitentiæ non subjiciuntur: imò mihi omninò verum videtur, quòd Parochus, cæterique Confessarii, non possint neque ab Interdicto personali particulari absolvere prout ita tenet Sayr. *dict. lib.* 5. *dict. cap.* 15. *num.* 22. Nam (quidquid dicant Bonac. *loco citato num.* 6. *vers. respondeo tertio*, Pirhing. *d. nu.* 252.) ut dixi in titulo de absolutione excommunicationis, censuræ auferri non possunt per absolutionem, seu relaxationem ejus, qui jurisdictionem in foro externo non habet, ut ex Suar. inquit Guazin. *d. cap.* 43. *num.* 32.

141 Neque dici potest, quòd si Parochus, seù alius Confessarius ab Interdicto personali, aliave censura non reservata non posset absolvere, frustra in ordinaria formula absolutionis Sacramentalis, Ecclesia apponeret illa verba -- *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti:* tum quia additur -- *in quantum possum*: tum quia intelligitur de excommunicationibus, & interdictis ignoranter incursis; tum quia intelligitur de absolutione quo ad culpam, & coram Deo, non autem quo ad forum Ecclesiæ: tum demum quia si Confessariis facultatem absolvendi à Censuris non reservatis jure competeret, frustra Papa Regularibus, & aliis nonnullis suo privilegio concederet, ut possint absolvere à censuris sibi, & Ordinariis non reservatis in foro conscientiæ tantùm: cùm verè frustra precibus impetretur, quod jam jure communi conceditur, *lib.* 1. §. *Celsus*, *ff. ad municip. glos. in c.* 1. *vers. ut liberè de rescript.*

Interdictum generale locale, non potest relaxari ad cautelam, ut habetur in *cap. præsenti* 10. *de sentent. excommun. in* 6. Interdictum verò personale speciale sic: quia homini specialiter interdicto negantur Sacramenta, sicut excommunicato, & ideò potest etiam absolvi à tali Interdicto ad cautelam, Bonac. *loco supra citato num.* 9. Pirhing. *num.* 253. *vers. ult.* 142

Interdictum ab Episcopis Suffraganeis latum, Archiepiscopus regulariter tollere nequit, nisi ei id ex præscripta consuetudine competat: vel nisi Suffraganei non servata forma juris aliquem indebitè interdixerint, & Archiepiscopus, per viam recursus interdictum relaxet, Sayr. *dict. cap.* 15. *num.* 21. & 22. 143

Interdictum relaxans partes vocare, & juramento de stando mandatis Ecclesiæ exigere debet: quia ante absolutionem præcedere debet satisfactio partis, vel saltem cautio de satisfaciendo, prout supra dictum fuit de absolutione suspensionis, Sayr. *d. lib.* 5. *d. cap.* 15. *num.* 26. Et ex hoc infertur, quòd si Parochus, vel alius Confessarius ab interdicto personali absolvere possent (ut plures DD. dicunt) evenirent inconvenientia, si hæc exigenda, & præstanda essent in foro pœnitentiali. 144

De cessatione à Divinis. §. *XIV.*

De cessatione à Divinis, quæ affinis est Interdicto, pauca hic sunt addenda. Hæc enim est Ecclesiastica prohibitio, ob quam Clerici cessare debent in certo loco, à Divinorum officiorum celebratione, & Sacramentorum administratione, & est quid facti, & omnes nocentes, quàm innocentes respicit, & solùm ab homine imponitur. 145

Cessatio igitur à Divinis duplex est; alia est generalis, qua prohibentur divina in loco universali, ut in Regno, Civitate, Castro, Villa: alia est particularis, ut in una, vel pluribus Ecclesiis: differt ab Interdicto locali, primò, quia cessatio à Divinis, non est Censura, sed simplex prohibitio, quæ, & suspensio Organorum) scilicet laudis Divinæ 146

vinæ) nuncupatur, facta in signum gravissimi doloris, quem Ecclesia concipit, ob enormem aliquam injuriam sibi, aut honori Divino illatam. Secundò, quia cessatio à Divinis non afficit personam secundùm se, sicut afficit Interdictum. Tertiò, quia Clericus violans cessationem à Divinis, licèt graviter peccet, non tamen incurrit irregularitatem; quam incurrit si violet Interdictum per exercitium sui ordinis.

147 Tempore cessationis à Divinis, non persolvuntur publicè horæ Canonicæ: non celebrantur missæ, nisi semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam: possunt tamen conferri Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Pœnitentiæ, tam sanis, quàm infirmis: Eucharistia verò infirmis tantùm, Extremæ Unctionis Sacramentum nulli, Ordinis, nisi urgente necessitate conferri non potest. Matrimonium contrahi potest, benedici tamen nequit. Clerici omnes sepeliri possunt in Cœmeterio: laici verò Ecclesiasticæ sepulturæ non sunt dandi.

148 Violantes autem cessationem generalem à Divinis, impositam ab Ordinario loci, vel à Sede Apostolica, vel à Concilio Provinciali, vel ab alio auctoritatem habente, si eam servet Cathedralis, vel Matrix, seu Parochialis loci, Religiosi exempti excommunicationem ipso facto incurrunt, ut habetur in *Clem. 1. de sentent. excommunic.* cæteri verò graviter peccant, etiam violando particularem.

149 Utitur autem Ecclesia cessatione à Divinis, ob injuriæ susceptæ propulsationem: quæ injuria debet esse gravis, notoria, & manifesta, & cum contumacia conjuncta, ut quos aliis censuris, & mediis vincere, corrigere, & ad pœnitentiam inducere non potuit, saltem hoc tam ingenti doloris sensu, rebelles exterreantur.

150 Porrò, qui interdictum, is etiam cessationem à Divinis potest indicere, ac etiam alius, cui id ex privilegio, vel consuetudine præscripta habet, in quo tamen casu, requiritur Episcopi consensus, & concursus requisitorum, quæ habentur *in cap. irrefragabili §. Caterum de offic. ord. & in cap. si Canonici, & cap. quamvis eod. tit. in 6.* Nam qui non habet jurisdictionem ordinariam ad ferendas censuras, nec cessationem à Divinis potest inducere, nisi servatis conditionibus, in citatis juribus contentis, quas enumerat Sayr. *d. lib. 5. cap. 18. à num. 13. cum seqq.* in cessatione autem ab Episcopo jure ordinario imposita, solùm sufficit, quòd causa sit gravis ut præmissum est, Nicol. *lucubr. can. lib. 5. tit. 39. num. 206. vers. quæ conditiones.*

Forma autem verborum, qua imponenda sit cessatio à Divinis, est similis formæ Interdicti loci, nimirum -- *Nos &c. ob talem causam, Civitatem, Villam, aut Ecclesiam talem, à Divinis officiis cessare præcipimus.* Sayr. *d. cap. 18. num. 11.* Forma verò tollendi cessationem non reperitur à jure præscripta, sed sufficit, quòd Judex Ecclesiasticus, qui eam indixit, vel ejus Superior; aut successor, verbis suam voluntatem explicet: nam cùm hæc prohibitio non sit à jure, sed ab homine feratur simpliciter, debet etiam simpliciter tolli. 151

Causa materialis proxima, & sufficiens ad imponendam cessationem potest esse, editio statuti contra libertatem Ecclesiasticam: impositio taleæ, seu collectæ Clericis, detentio Presbyteri per Judicem Sæcularem: & alia delicta laicorum similia, quæ arbitrio Judicis Ecclesiastici gravia, & sufficientia censeantur, Sayr. *d. cap. 18. num. 12.* Bonac. *decis. censur. disp. 6. punct. 2. num. 5.* 152

Antequam tamen ob prædictas causas Judex Ecclesiasticus, cessationem à Divinis imponat, debet admonere illum, ob cujus culpam ferenda est cessatio, ut pareat, & satisfaciat Ecclesiæ: sicut enim admonitio requiritur in ferendis censuris, ita etiam necessaria videtur in ferenda cessatione, quæ fertur, ut reus recedat à contumacia. Hæc de cessatione à Divinis tradunt, Sayr. *lib. 5. cap. 17. & cap. 18. per tot.* Bonacin. *de censur. disput. 6. punct. 1. 2. & 3. per tot.* Guazin. *ad defens. anim. lib. 2. def. 6. cap. 43. nu. 57. seqq.* Nicol. *lucubr. can. lib. 5. tit. 39. num. 244. cum seqq.* Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 39. num. 262. & 263.* 153

Quibus adde, quòd qui privilegium habet audiendi Divina officia tempore 154

In-

Interdicti, nôn ei suffragabitur, ut tempore cessationis à Divinis illa audire possit: quia magis cessandum est à Divinis tempore cessationis, quàm Interdicti, Bonac. *ubi supra punct.* 3. *num.*1. Sayr. *cap.* 19. *num.* 15. Neque qui privilegium habet illa audiendi tempore cessationis generalis, continuò audire poterit tempore cessationis particularis, ut inquit in utraque propositione Graff. *decis. aur. part.*1. *lib.*4. *cap.*28. *num.* 3. quod prius dixerat Navar. *in sæpè supra citato cap.* 27. *num.*189.

De Irregularitate. §. *XV.*

155 Licèt irregularitas non sit propriè censura, tamen quia ex violatione Censurarum sæpè promanat: ideò de ea aliquid dicendum venit.

Est irregularitas inhabilitas, sive impedimentum canonicum suscipiendi ordines, vel susceptos administrandi, & ea Beneficia obtinendi, quæ propter officium conceduntur: dicitur impedimentum canonicum, quia inhabilitas à natura, aut à jure Divino proveniens dispensari non potest, nec propriè est irregularitas, qualis est amentia, quæ est inhabilitas à natura, & sexus fœmineus, & infidelitas, quæ est inhabilitas à jure Divino, ut docent DD. communiter.

156 Præterea irregularitas inducitur non ab homine, sed solùm à jure: & regula est, nullam irregularitatem incurri nisi in casibus in jure expressis: quòd si dubitatio aliqua incidat, sive de jure, sive de facto, in foro contentioso negandum est semper: at in foro conscientiæ, tam in dubio facti, quàm juris potiùs affirmandum est, aliquem esse irregularem, Fagnan. *in c. si constiterit n.*50. *&* 51. *de accusat.*

157 Omnis irregularitas dividitur in eam, quæ est pura inhabilitas sine ulla culpa subjecti irregularis, ex qua immediatè provenit, & dicitur irregularitas ex defectu, & multiplex est. Prima ex defectu natalium, quo tenentur omnes extra matrimonium scienter suscepti, quos subsequens non legitimavit, *cap. tanta qui fil. sunt legit.* Nam matrimonio non valido, cum bona fide tamen Parentum contracto concepti defectu hoc non laborant, ut dixi *tom.*2. *tit.*13. *ad form.*13. *num.*37. Item nati in vero matrimonio, sed ex sacrilego congressu Conjugum, qui castitatem publicè voverint, aut statum religiosum susceperint, *cap. litteras* 14. *de fil. presb.* Item expositi, quorum Parentes ignorantur, juxta tamen distinctionem, quam dedi *tom.*2. *tit.*12. *ad form.*7. *num.*6. 7. *&* 8. Barbos. *de jur. Eccles. lib.*1. *cap.*11. *num.* 156. Item Neophyti in ætate adulta baptizati, Bonac. *de irregular. disp.*7. *quæst.*2. *punct.*1. *num.*4.

Secunda ex defectu libertatis, quem habent servi, *tot. tit. de serv. non ordin.* 158

Tertia ex defectu liberationis, qualis est illorum, qui tenentur pro aliquo officio ad ratiocinia, ut Curatores, Tutores, aliivè, qui publicæ vel privatæ administrationis rationem reddere debent, *cap. præterea dist.*51. *cap. unico de oblig. ad ratioc.* vel operam suam Reipublicæ præstant ex officio, quod gerunt ut sunt Judices, Fiscales, Notarii, Nuncii, *can. curiales* 53. *dist.* donec officia retinent. Sperell. *decis.*77. *num.*11. 159

Quarta ex defectu ætatis, quales sunt infantes respectu omnium ordinum, etiam minorum, & qui nondum vigesimum primum annum compleverunt respectu Ordinum Sacrorum, & respectu singulorum, qui ætatem non attingunt ordini, quem recipiunt, requisitam *glos. in Clem. generalem de ætat. & qualit. ordin. Concil. Trident. cap.*12. *sess.* 23. *de reformat.* 160

Quinta ex defectu bonæ famæ, sive ex infamia, quæ duplex est, scilicet facti, & juris. Infamia facti oritur ex delicto gravi, & notorio, propter quod delinquentes malè audiunt apud bonos, vel oritur ex facto hominis, nempè cùm Judex aliquem infamem pronunciat, aut condemnat de crimine, cui est adnexa infamia de jure; sivè cùm reus in publico judicio fatetur tale crimen. Infamia verò juris, oritur, cùm leges ipsæ decernunt, quem esse infamem, quales sunt: 161

Usurarii. Lenones. Simoniaci. Sodomitæ. Apostatæ à fide.
Sacrilegi. Prostituentes filias.
Duas Uxores habentes.
Ad bestias pugnantes.

Histrionica exercentes.

Duellantes.

Medici non servantes Bullam 3. Pii V.

Presbyteri condemnati ad Triremes postquam actu remigarunt, *Sac. Congreg. S. Offic.* 4. *Jan.* 1635. secus si non remigassent, Raynald. *observ. crim. tom.* 2. *addit. ad p. lib. ad cap.* 8. §. 1. *vers. quintus tandem casus*. Alii de quibus, *cap. infames* 3. *quaest.* 7. Bonac. *de irreg. disp.* 7. *quaest.* 3. *par.* 1.

162 Sexta ex defectu corporis: in quantitate, ut Pumiliones: in membris, ut

Mutilati: in sanitate, ut

Leprosi, & perpetuò morbidi: in deformitate, ut

Gibbosi, Claudi, & notabiliter impediti aliquo usu membrorum, *cap. evangelica dist.* 55. Item omnes, qui defectum aliquem corporis patiuntur, ob quem reddantur inhabiles ad ordines exercendos: vel non possint eos exercere sine aversione, & notabili adstantium offensione, *tot. tit. de corp. vitiat.* quorum judicium cùm de illis dubium est, an sint irregulares, ad Episcopum spectat, Bonac. *de irreg. disp.* 7. *quaest.* 2. *punct.* 2. *num.* 36. Leo *thes. for. Eccles. par.* 3. *cap.* 9. *num.* 10.

Septima ex defectu animae, ut sunt:

163 Amentes) Etiam cum dilucido inter-
Furiosi) vallo,

Daemoniaci.

Epileptici, *cap.* 3. 4. & 5. *dist.* 33.

Illiterati, qui carent litteratura ad ordinem, quem recipiunt requisita, *cap. praecipimus dist.* 34. *cap. illiteratos dist.* 36. & *cap. ult. de temp. ord. in* 6.

Octava ex defectu lenitatis, quam in-
164 currunt tantùm, qui directè volunt mortem, aut mutilationem, etiam ex affectu justitiae, & eam justè exequuntur, videlicèt, qui ad mortem, vel mutilationem noxiorum hominum concurrunt, nempè Judices Sententia mortis, vel mutilationis lata.

Accusatores ad vindictam tantùm, & sine protestatione.

Testes ultronei, & voluntarii.

Notarii, seù alii Processum formantes, tanquam Officiales.

Ministri immediatè deducentes, & exequentes sententiam mortis, vel mutilationis.

Non tamen incurrunt omnes isti, nisi effectu mortis, aut mutilationis secuto, prout dixi, *tom.* 2. *tit.* 13. *ad form.* 3. *num.* 34. Nicol. *lucubr. can. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 6. §. 9.

Item, qui post susceptum Baptismum in bello aggressivo, propriis manibus occidunt, aut mutilant etiam Saracenos, Haereticos, Proscriptos, & Paganos. 165

Non tamen incurrunt, qui intersunt bello justo, & assistunt, etiam Clerici ad strenuè pugnandum hortantes, ad fidem tuendam, ad Patriam defendendam. 166 Item non incurrunt, qui occidunt, vel mutilant defendendo se ipsos in bello, seu ab injusto invasore, vel qui rationis expertes, alium occidunt, ut sunt furiosi, dormientes, pueri: nec qui ex officio suo aliquid inculpabiliter faciunt, ex quo mors sequatur, ut sunt Judices justè torquentes reos, Medici pharmaca secundùm regulam artis praebentes, Chirurgi, quae sunt suae artis exequentes, Infirmarii Aegroros versantes, ut communiter tradunt Navar. *d. cap.* 27. *à num.* 206. *cum seqq.* Sayr. *de censur. lib.* 6. *cap.* 17. *per tot.* Bonac. *de irregular. disp.* 7. *quaest.* 4. *punct.* 1. 3. & 4. Nicol. *ubi sup. tit.* 12. Item neque hanc irregularitatem incurrit, qui scribit, aut transcribit sententiam mortis, vel mutilationis, non tanquam Officialis justitiae: sed tanquam famulus, aut privatus, scribit dictata à Judice, Assessore, vel Notario: nam is non influit, nisi materialiter, & per accidens in mortem, aut mutilationem, Sayr. *de censur. lib.* 6. *cap.* 16. *nu.* 6. Guazin. *ad defens. anim. lib.* 2. *defens.* 6. *cap.* 45. *num.* 60.

Nona ex defectu Sacramenti, sive ex Bigamia, quae triplex est: interpretativa: similitudinatia: vera. Prima verificatur, cùm quis corruptam duxit, vel cùm duo matrimonia contraxit, seu alterum dumtaxat invalidè. Secunda, cùm Virginem quis ducit, Ordine Sacro, aut voto solemni priùs adstrictus. Tertia cùm quis duas Uxores successivè accepit matrimonio valido, & consumato, *cap. à nobis*, *cap. fin. de bigam. cap. si quis viduam* 34. *dist.* Tondut. *quaest. benef. tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 5. §. 4. *num.* 6. 7. & *seq.* Garc. *de benef. part.* 7. *cap.* 6. *num.* 14. 167

Et

168 Et in eam, quæ appellatur ex delicto, & ad decem capita reduci potest, nempè. Prima, ex crimine Hæresis externo actu consumata, usque ad secundam generationem per lineam masculinam, & usque ad primam per fœmininam, nisi Parentes ante obitum abjuraverint hæresim, *cap. Statutum* 15. *de hæret. in* 6. Nicol. *lucubr. can. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 5. §. 11. ubi ad offensores Cardinalium hoc extendit per *text. in cap. felicis de pœnit. in* 6.

169 Secunda ex crimine Apostasiæ, *dist.* 50. §. *fin.*

170 Tertia ex reiteratione culpabili Baptismi, *cap. ex litterarum de apost. cap. confirmandis dist.* 50. Non tamen ex reiteratione Confirmationis, vel Ordinis, Sayr. *de censur. lib.* 7. *cap.* 8. *num.* 27. & 28. Bonac. *de irregul. disp.* 7. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 1. & 8.

171 Quarta ex irreverentia erga Ordines, scilicèt, suscipiendo furtivè, putà non examinatus, vel non approbatus, vel si se ingessit in locum examinati, aut alium prò se supposuit examini, *cap.* 2. & 3. *de eo qui ord. furt. suscep.* Item ministrando scienter, & seriò in aliquo Ordine Sacro, quem non habet, tanquam si esset ordinatus: vel censura excommunicationis, aut suspensionis irretitus, Ordines Sacros suscipiendo, Sayr. *dict. lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 1. 21. & *seqq.* Bonacin. *loco mox citato punct.* 4. *num.* 1. & 2. & *punct.* 6. *num.* 1. Sperell. *decis.* 115. *num.* 50. & 51. Item ligatus majori excommunicatione, vel suspensione, vel interdicto, etiamsi occultus, & toleratus, exercendo solemniter, vel ex officio actus majoris ordinis, nisi excusetur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, vel ignorantiæ, Bonac. *loco citato punct.* 5. *num.* 1. & *seqq.* Sayr. *dict. lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 1. & *seqq.*

172 Quinta ex crimine enormi notorio, & depositione digno, prout sunt, adulterium, & cætera peccata carnis eo majora: blasphemia, perjurium, sacrilegium, maleficium, simonia, falsum testimonium: Si enim hæc crimina notoria, & manifesta sint, inducunt irregularitatem, per ea, quæ latè deducit, Sayr. *de censur. d. lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 1. & *seqq. per tot.* ubi docet quomodò, & quando dicantur notoria, & manifesta.

Sexta ex homicidio voluntario, quòd ex industria fit, & quod solùm intelligitur, quando conceditur facultas absolvendi cum clausula -- *excepto homicidio voluntario*: & tripliciter contingere potest. Primò per assassinium, quod est maximè qualificatum, & ferè nunquam dispensatur. Secundò per improbitatem, ut est abortus fœtus animati. Tertiò ad vindictam, cùm propter honorem, & facultates vindicandas &c. aliis mors paratur, & infertur: item irregularitatem incurrunt (effectu secuto) non solùm occidens; sed consulens, exhortans, adjuvans, assistens, comitans, mandans, exequens, Sayr. *d. lib.* 7. *cap.* 1. 2. 3. & 4. *per tot.* & hoc verum est, etiamsi homicidium sit occultum, dummodò sit voluntarium, Sayr. *d. cap.* 1. *num.* 6. & *cap.* 7. *num.* 16.

Septima ex homicidio culpabili, excedendo notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ: nam homicidium necessarium inevitabiliter, & inculpabiliter, non inducit irregularitatem, si fiat ad defensionem propriam, *Clem. si furiosus de homicid.* vel eorum, quorum vita eadem cùm nostra existimatur, ut Parentum, filiorum, fratrum, uxorum &c. Bonac. *de irregul. disp.* 7. *quæst.* 4. *punct.* 6. *num.* 11. & 12. Nicol. *lucubr. civil. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 21. & *lucubr. can. lib.* 5. *tit.* 12. *num.* 5. §. 4. *lim.* 2. licèt Piasec. *in prax. part.* 1. *cap* 1. *art.* 5. *num.* 10. hoc tantùm admittat in defensione propria, & hanc sententiam sequitur Fagnan. *in cap. suscepimus num.* 16. & 17. *de homic.*

Octava ex homicidio casuali, quod præter expressam intentionem agentis evenit ex ipsius opere illicito, jure positivo prohibito (dummodo ex natura sua, ut plurimum inde sequi solet mors) vel etiam licito, non adhibita diligentia, ne mors sequeretur, ut colligitur ex *cap. presbyterum*, & *c. ad audientiam de homicid.* Quare irregularitatem istam incurrunt.

Mandantes verberari cum prohibitione occidendi, si ex verberibus, aut percussione mors sequatur, *cap. ultim. de homic. in* 6.

Clerici, vel Monachi Chirurgiam exercentes, licèt omnia secundùm artem, & omni

omni diligentia adhibita exequentes, morte enim infirmi, aut mutilatione sequuta, fiunt irregulares, *cap. tua nos de homic.* Sayr. *de censur. lib.7. cap.5. num.*13. Leo *thes. for. Eccles. par.*3. *cap.*9. *num.* 44.

Qui officium suum exercentes, negligenter agunt, vel id committunt, unde quos curant, moriantur, ut Medici excedentes, aut notabiliter negligentes in pharmacis.

Chirurgi, & Judices excedentes in tortura reorum.

Infirmarii corpora Ægrotorum tractando, & immutando cum negligentia, aut impatientia notabiliter culpabili, Suarez *disput.*47. *sect.*7. Sayr. *d. cap.* 5. *num.* 9. *vers. secunda est*, Bonac. *de irregular. disput.*7. *quæst.*4. *punct.*5. *num.* 1. & 2.

176 Non incurrunt, qui dant operam rei licitæ, si sequatur mors adhibita omni diligentia, nè sequeretur vel saltem remota morali negligentia: atque etiam qui dant operam rei illicitæ, ex qua rarò mors contingit, ut docent Sayr. *d. cap.* 5. *n.*13. *& seqq.* Bonac. *loc. cit. punct.*7. *n.*9.

Nona ex mutilatione, abscindendo aliquod membrum, vel detruncando illius insignem partem necessariam ad functionem aliquam, ut eruens oculum, abscindens manum, brachium, &c. detruncans partem notabilem manus alteri, vel sibi, vel mutilans aliud corporis membrum, quod habet actum peculiarem distinctum à cæteris membris, Sayr. *lib.*6. *cap.*15. *num.*14. Bonac. *loco citato punct.*8. *num.*3.

Non incurrunt, qui vulnere, vel percussione debilitant membrum, etiamsi in curatione membrum abscindatur: hi enim verè non mutilant, qui membrum non amputant, nam membrum debilitatum non desinit esse membrum: Ex quo infertur, quòd si quis reddat aliquem cæcum, non eruendo oculum, vel oculos, non est irregularis, ut tradunt, Sayr. *loco cit. d. num.* 14. Bonac. 7. Guazin. jun. *ad defens. anim. lib.*2. *defens.*6. *cap.* 45. *num.* 10. Vide illa plura apud Gavant. *in manual. verb. irregular. per tot.* & *præsertim num.* 95. & *tribus seqq.* & apud me *tom.*2. *tit.* 13. *ad form.* 3. *à num.*31. *ad* 38.

Decima ex ommissione voluntaria, non impediendo homicidium, quod quis ex justitia tenetur impedire, ut accidit quando quis tenetur ex officio, vel ex stipendio, vel ex promissione alterum defendere. Dicitur *ex commissione voluntaria*, nam qui involuntariè non impedivit, non fit irregularis. Dicitur, *qui ex justitia tenetur impedire*: nam si quis tenetur impedire ex sola charitate, non incurrit irregularitatem. Et hinc sequitur Principem non impediendo neces, Judicem non impediendo injustam Sententiam contra vitam innocentis, Medicum non curando eos, à quibus pretio conductus est, Dominum non adhibendo debitam diligentiam, nè animalia, quæ consueverunt nocere, puta Ursum, Aprum, vel Leonem, & sub suo dominio, vel custodia existant, vulnera inferant, tenendo illa debito modo ligata, evadere irregulares, sequuta morte, Bonac. *loco citat. punct.* 8. *num.* 37. & *trib. seqq.* Fagnan. *in cap. ad audientiam num.* 43. *de homic.* 177

Quomodo tollatur Irregularitas.
§. XVI.

Quatuor modis tollitur irregularitas. Primò per cessationem, vel ablationem causæ, qui modus intervenit in irregularitate ex defectu: cessante enim morbo, immatura ætate, infamia, quæ cùm est facti per lapsum longi temporis, vel loci mutatione deletur, cessat etiam irregularitas. Secundò per Baptismum. Tertiò per Religionis ingressum. Quartò per dispensationem. 178

Baptismus tollit omnes irregularitates, quæ proveniunt ex delicto, excepta Bigamia: non tamen tollit eas, quæ ex defectu natalium, aut vitio corporis procedunt. Religionis professio tollit irregularitatem, quæ ex defectu natalium provenit, & habilitat intrantem ad omnes Ordines etiam Sacros; non verò alias, quæ ex propria culpa, aut defectu aliquo corporis procedunt, Sayr. *de censur. lib.*7. *cap.*13. *num.*2. 3. & *seqq.* nisi Religio habeat amplius privilegium, Bonac. *de irregular. disp.*7. *quæst.* 5. *punct.*2. *num.*4. 179

Per

180 Per dispensationem aufertur omnis tam publica, quàm occulta irregularitas à Summo Pontifice; cujus auctoritate omnes occultæ solent à Sacr. Pœnitentiaria dispensari: publicæ verò à Dataria, prævia consultatione, & Voto Sac. Congreg. Concilii. Item omnis occulta, inclusa etiam in homicidio voluntario pro jam ordinato à Summo Urbis Pœnitentiario, & quo ad Religiosos etiam pro ordinando. Item omnis occulta, dempta inclusa in homicidio voluntario, aufertur dispensatione Episcopi vigore Conc. Trident. *cap.6.sess.24. de reform.* & etiam à Superioribus Religionum, quo ad proprios Alumnos, si gaudeant privilegio Concilii ex indulto Apostolico: item, & à Capitulo Sede vacante, ut volunt Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg.*39. *num.*16. Guazin.jun.*ad defens.anim. lib.* 2. *defens.*6.*cap.*45.*num.*101. Sperell.*decis.* 111. *num.*41. Sicuti etiam Episcopus dispensat in irregularitate contracta ex Bigamia Similitudinaria scilicet, quando Clericus in Sacris Ordinatus matrimonium contraxisset cum unica, & Virgine, tam quoad ordines susceptos, quàm quoad suscipiendos, *cap.* 1. *ibique gloss. qui cler. vel vovent.* Innoc. *in cap.*2. *eod: tit.cap. sané de cleric. Conjug.* Sanch. *de matrim. lib.*7. *disp.*86. *num.*20. Piasec. *in prax.part.*1.*cap.*1. *art.*10. *num.*13. Barbos. *in c.* 2. *num.* 4. *qui cler.vel vovent.* Pithing. *in jus can.lib.*4. *tit.*6. *num.* 2. *ver.notandum secundo*; secus si cum Vidua contraxisset Sanch. ibi Corrad. *prax. disp. lib.*2. *cap.* 1. *num.* 16. Horum tamen facultas non extenditur ad retentionem Beneficiorum & fructuum fortè amissorum, Nicol.*lucubr. can. lib.*5. *tit.*12. *num.*8. *vers. sub facultate tamen*, ubi ad hoc Decret. Sacr. Congreg. Concilii allegat.

181 Qui autem tempore Jubilæi, vel alia occasione, facultatem habet absolvendi ab omnibus casibus, Censuris, pœnis, & sententiis, irregularitates tollere, & auferre non potest: tum quia verbum *absolvere*, relaxationi censurarum tantùm accommodari solet: tum quia praxis Pœnitentiariæ est in contrarium: tum quia licèt irregularitas, quæ provenit ex delicto, sit quoque pœna, est tamen intrinsecè semper inhabilitas, quæ sine dispensatione, non tollitur, Bonac. *loc. cit. num.*8. *ubi de communi testatur*, Sayr. *d. cap.*13. *num.*2. 3. & 4.

Forma verborum, sub qua irregularitas tolli debet, nulla certa præscripta est: docent tamen DD. utendum esse sequenti — *Dispenso tecum super irregularitate, vel irregularitatibus, quam, vel quas contraxisti, ob hanc, vel ob has causas; & te habilem declaro ad suscipiendum, vel exequendum Ordinem, & restituo te ad legitimos actus, in nomine Patris & Filii, &c.* Sayr. *d. lib.*7. *cap.*14. *num.*18. Guazin.jun. *ad defens.anim.lib.*2. *defens.* 6. *cap.*45. *num.*110. Si autem dubium sit, an quis irregularitatem incurrerit, tunc sub conditione dicendum erit — *dispenso tecum in irregularitate, si fortè incurristi ob hanc vel illam causam &c.* Leo *thes. for. Eccles. p.*3. *cap.*4. *num.*48. 183

De effectibus Irregularitatis. §. *XVII.*

Irregularitas privat licita susceptione ordinum; quare si recipiantur, peccatur mortaliter, validè tamen recipientur, & recipiens solùm privatur usu, Sayr. *de censur.lib.*6. *cap.*1. *num.*25. Item privat eorundem administratione: ideoque si administrentur, pariter graviter peccatur, sed validè administrantur. Item privat licita retentione Beneficii, quod exigit usum ordinis personalem. Item reddit quem inhabilem ad obtinendum Beneficium: adeout collatio facta irregulari, ipso jure nulla sit, juxta veriorem sententiam, de qua testantur, Sayr. *de censur. lib.*6. *cap.*2. *num.*21. Bonac. *de irregul. disp.* 7. *quæst.*1. *punct.*4. *num.* 6. & alii plures ab eis allegati, Tondut., *de pension. cap.* 68. *num.*5. & 18. ubi hoc ampliat procedere etiam in pensione obtinenda. 183

Non privat tamen irregularitas Beneficiis jam obtentis, neque fructibus antè sententiam Judicis; neque retentione Beneficii, quod non exigit usum ordinis, vel quod si exigat, potest per alium suppleri, Suar. *disp.*40. *sect.*2. *num.* 19. neque privat jurisdictione exteriori, quæ non includit exercitium ordinis, facultate delegandi, & per alios sacramenta administrandi, Bonac. *loco supra citato num.* 15. 16. 184

15. 16. & 17. Guazin. *num.*85. Item non privat ab usu Officiorum, quo laici usi possunt, & sic irregularis poterit licitè canere, & psallere in choro, & pronunciare per se, & cum aliis, officia Divina; dummodò abstineat ab actibus propriis ordinum, & ab officio Hebdomadarii, prout vult Navar. *cons.*14. *num.*4. *de rescript.* & *in manual. confessar. cap.*27. *num.* 171. Si autem Ordines exerceret antè obtentam dispensationem, mortaliter quidem peccaret, novam tamen irregularitatem non incurreret, Sayr. *de censur. lib.*6. *cap.*2. *num.*26. & est communis opinio, Bonac. *irregul. disp.*7. *quest.*1. *punct.* 4. *num.*4.

185 Advertendum præterea est circa effectus Censurarum, quòd in persona Religiosorum Virorum, excommunicatio major impedit, quòd hac censura ligatus, non possit eligi ad Prælaturas Ordinis, sivè excommunicatio sit à jure, sive ab homine, sive publica, sive occulta, sive electo, & electoribus scita, sive ignota, *cap. postulastis de cleric. excomm. cap.*1. *de rescript. in* 6. Donat. *de regular. tom.*2. *part.*1. *tract.*5. *de eligend. quest.*9. *numer.* 1. Passer. *de elect. cap* 25. *num.* 445. & 450. licèt si sit toleratus, validè eligat nullo reclamante, Passer. *loco citato cap.* 10. *num.*76.

186 Ligatus autem excommunicatione minori, quamquam eligi valeat, tamen si scienter eligeretur, electio esset irritanda, per *text. in c. si celebr. de cleric. excomm.*

187 Religiosus autem simpliciter Suspensus, sive à jure, vel ab homine, eligi non potest ad Prælaturas, neque alios eligere, *cap. cum dilectus de consuetud.* hoc tamen intelligitur de suspenso nominatim denunciato: nam Suspensus toleratus, & non denunciatus validè eligit, Passerin. *de elect. d. cap.*10. *num.*96. licèt eligi non possit, etiamsi non sit denunciatus, Passerin. *d. cap.*25. *num.*478. Suspensus autem ab ordine, non est prohibitus eligere, quia electio non est actus ordinis, Donat. *ubi supra quest.* 16. *num.*1. Passerin. *dict. cap.* 10. *num.*95.

Item Religiosus interdictus, privatur jure, & facultate eligendi *cap. ad hoc de postul. prelat. cap. tanta est* 18. *de excess. prelat.* eligit tamen validè, si non sit notoriè, vel nominatim denunciatus, quamquam peccet eligendo, Passerin. *d. cap.* 10. *num.*100. 188

Ubi verò Religiosus esset irregularis, 189
ammitteret potestatem eligendi activam, & passivam, juxta opinionem Donati *d. tract.*5. *quest.*19. *num.*1. *per text. in cap. is qui de sentent. excom. in* 6. & hoc procedere in irregulari occulto, & tolerato, ac à censuris absoluto, affirmare non dubitat. At Passerin. *de elect. d. cap.*10. *num.* 102. & *seqq.* tenet cum aliis pluribus, quòd irregularis, præsertim toleratus, & non denunciatus, non privetur jure eligendi, nisi adsit speciale Statutum Ordinis in contrarium: & in *d. cap.*25. *num.*511. & *seqq.* firmat, quòd electio Religiosi irregularis sit quidem cassanda, at non ipso jure nulla; & hæc secunda sententia magis placet.

Et tandem te monitum volo, quòd si 190
quæratur, an excommunicatio, vel alia censura liget, quando pro excommunicato, vel alia censura irretito, adest opinio probabilis, quòd non potuerit à Judice, vel Superiore excommunicari, seu interdici; respondendum est affirmativè: nam quando tam pro reo; quàm pro Judice adest opinio probabilis, cùm tunc sit casus dubius, & in dubio obediendum sit Judici, reus tenetur in foro externo censuram servare, Guazin. *jun. ad def. animar. cap. ult. addit.*3. *num.* 12. ibique concordantes.

Et hæc de censuris, & irregularitate in præludio sint satis.

FOR-

FORMULARIUM LEGALE PRACTICUM

Fori Ecclesiastici.

PARS TERTIA.

TITULUS I.

De Censura Excommunicationis in particulari.

De Excommunicatione contenta in Can.Si quis suadente 17. q.4.

FRequenter in foro Ecclesiastico externo de hac Censura disceptari contingit: quare si quem per juridicas probationes illam incurrisse constiterit, Judex citato priùs reo ad dicendum causam quare non debeat declarari incidisse in d.excommunicationem, poterit parte, vel Procuratore Fisci instante, ad declaratoriam devenire, in hunc, qui sequitur, modum.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA I.

VIsis depositionibus testium, aliisque juribus validè, riteque ab hac nostra Curia receptis, totoque processu constructo contra N. *reum inquisitum, de, & super violenta manuum injectione in Clericum* N.visaque *Canonica monitione* contra eundem reum, ad dicendum causam quare non debeat declarari incidisse in excommunicationem *legitimè exequuta*, & reproducta, nihilque, quod relevet, *& eum excusare possit* deducto; per hanc nostram *sententiam declaratoriam* dicimus, & pronunciamus, d.N. reum inquisitum incurrisse in excommunicationem majorem SS. D. N. Papæ *reservatam* contentam in *Canone Si quis suadente* 17. q.4. & proinde contra ipsum, (ut ab omnibus evitetur) esse relaxandos cedulones, prout relaxamus, *& excommunicatum denunciari mandamus, ad loca publica omni &c.*

N. Vic. Gen.

Excom-

Excommunicationis Cedulonum.

FORMULA II.

SUMMARIUM.

1 *Quæ sint personæ, quæ subjiciuntur canoni* si quis suadente *ostenditur*.
2 *Ad incurrendam excommunicationem can.* si quis suadente, *requiritur manuum injectio, animus injuriandi, & violentia*.
Qui mandat, vel ratam habet percussionem Clerici, secuto effectu, excommunicationem incurrit. ibi.
Qui conatur percutere, vel verbis injuriosis Clericum afficit, non incurrit.
3 *Personæ, quæ gaudent privilegio canonis referuntur*.
4 *Percussor Clerici antequam denuntietur, debet citari cum præfixione termini ad dicendum causam quare &c.*
5 *Denunciatio excommunicati sine monitione est nulla, nisi factum sit notorium, & num.6.*
7 *Excommunicationis declaratoria, an ferri possit die feriato in honorem Dei, ostenditur*.
8 *Citatio, seu monitio excommunicandi debet fieri personaliter, & quando fieri possit Domi, vel per Edictum, ostenditur, num.9. &* 10.
11 *Citatio si per errorem Nuncii exequatur in alterius Domo, vel alio modo nulla fit, si excommunicandus de ea aliunde haberet scientiam, eum arctaret, & fortiùs si compareret*.
12 *Citandus si maneat in loco, ad quem non datur tutus accessus, quomodo sit facienda citatio ostenditur*.
Subditus potest citari verbaliter à Judice Domicilii, etiam extra territorium. ibi.
13 *Nuncius debet referre, se citasse, prout habuit in mandatis; aliàs citatio non esset certa, & committeret nullitatem*.
14 *Qui sint, qui ab incursu Censuræ can.* si quis suadente *excusantur, enumerantur*.
15 *Declaratoria censurarum triplex est & de eis datur distinctio*.
16 *Excommunicandus, an possit audiri per Procuratorem, enucleatur, & num.*17. 18. 19, 20.
21 *Qui sint, qui absolvi possunt ab Episcopo, & in quibus casibus, exponitur, & declaratur, & num.*22.23. 24.25.26.27. 28. 29. 30.31.32.33. 34. 35. 36. 37. 38. *&* 41.
39 *Offensio facta Clericis, dum divina celebrant, semper est gravis, & enormis, & graviter punitur*.
40 *Ad judicandum, an percussio Clerici sit enormis, necnè, septem sunt consideranda*.
42 *Excommunicandus, si compareat, & petat veniam, an & quando sit audiendus, & affixio Cedulonum suspendenda ostenditur, & explanatur, & num.*43. 44.
45 *Regulares si percutiant Clericos seculares, & incidant in excomm. can.* si quis suadente, *possunt ab Episcopo publicè denunciari*.

HIC auctoritate ordinaria denunciatur excommunicatus excommunicatione majori SS. D. N. Papæ reservata, & à consortio, & communione fidelium segregatus, & participatione Sacramentorum, ac suffragiorum Ecclesiæ, & sepultura Ecclesiastica (in eventum mortis) privatus N. N. ex eo, quia suadente Diabolo manus violentas injecit in Clericum N. graviter illum percutiendo vel vulnerando; Ut igitur ab omnibus evitetur, prout omninò evitari mandamus, præsentes jussimus affigi, & publicari, & taliter maneat, donec à Sede Apostolica absolutionem obtinere meruerit. Datum &c.

N. Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

Con

VEL

CON autorità ordinaria si denuncia scomunicato di scomunica maggiore reservata al Sommo Pontefice, e segregato dal consortio civile, e comunione de' fedeli, e privato della participatione de' Santi Sagramenti, e de' suffragi della Santa Chiesa, e della sepoltura Ecclesiastica in evento di morte, NN. per havere con diabolico impulso, & insulto percosso, (ò ferito) gravemente con .·. il Chierico N. Ed accioche da tutti sia fuggito, e schivato, sì come comandiamo, che lo fuggano, e schivino, si è affisso, e pubblicato, il presente cedolone, e così starà scommunicato, fin tanto che non sarà assoluto dalla Sede Apostolica. Dato &c.

N. Vic. Gen.

Luogo del ✠ Sigillo. *N. Attuario.*

ADNOTATIONES.

1 *REUM INQUISITUM*. Personæ contra quas potest inquiri, & quæ subjiciuntur *Canoni si quis suadente*; sunt Viri, & Mulieres, etiam impuberes, & inferiores, Clerici, & laici, & Religiosi, habentes Dignitatem, & non habentes, Episcopi, & Cardinales, dummodo sint baptizati, & habeant usum rationis, & peccare mortaliter possint, Barbos. *in d. c. si quis suadente nu. 2. cum trib. seqq.* Donat. *prax. rer. regul. to. 4. tract. 5. qu. 12. n. 12.*

2 *Super violenta manuum injectione*. Ut dispositio *Canonis, si quis suadente*, habeat locum, tria copulativè requiruntur primò *injectio*, secundò *animus injurandi*, tertiò *violentia*, Graff. *de effect. Cleric. effect. 9. num. 311.* Undè excommunicationem ibi contentam incurrit, qui percutit violenter personam Clerici vel persequitur furiosè, itaut cogat aliquod malum pati, vel illum detinet in custodia, aut per vestes violenter, vel lacerat, vel cohibet equum, super quo insidet fræno, vel lacerat cingulum, vel percutit Clericum spontè se subjicientem verberibus, vel se ipsum. Item qui mandat, vel ratam habet nomine suo factam percussionem: qui consentit, consulit, auxilium, & favorem præstat, sequuto effectu percussionis, Leo *Thes. for. Eccles. part. 3. cap. 4. num. 45.* qui potuit prohibere percussionem Clerici, & non prohibuit, quod procedit non solùm in eo, qui habet potestatem, & jurisdictionem in verberantem, ut sunt Judices, Gubernatores, ac Præfecti, sed etiam in eo, qui dolosè non prohibet, ut communiter tradunt Graff. *citat. effect. 9. num. 61.* Bellett. *disq. cler. de fav. can. §. 1. num. 8. & 9.* Barbos. *in d. can. si quis suadente à num. 30. ad 46.* Qui autem afficit Clericum verbis contumeliosis, vel conatus est eum percutere; sed non percussit, excommunicationem non incurrit: quia à Canone punitur violenta manuum injectio, non antem conatus, & verba, Bonac. *de excommun. disp. 2. quæst. 4. punct. 1. num. 3.* Sayr. *de censur. lib. 3. cap. 26. num. 21.*

3 *In Clericum N.* Personæ, quæ gaudent privilegio *Canonis si quis suadente* sunt, Clerici omnes, etiam habentes solùm primam Clericalem Tonsuram: Clerici Conjugati, dummodò deferant habitum, & serviant alicui Ecclesiæ, nec sint bigami; quamvis dimiserint habitum modò illum reassumant, & matrimonium contraxerint cùm Virgine: Religiosi omnes tam mares, quàm fœminæ, etiam Novitii, Tertiarii Collegialiter sub aliquo voto, & Regula viventes, & habitum gestantes. Oblati, qui se suaque bona Monasterio irrevocabiliter obtulerunt; & obedientiam Monachalem promiserunt: Eremitæ gestantes habitum subjecti alicui Regulæ approbatæ, & superiori. Equites Hierosolymitani, & mi-

& milites ordinis Christi, Bellet. *d.* §. 1. *d num.*29. *ad* 45. Graff. *d. effect.* 9. *num.* 131. *&* 134. Barbos.*in d. can. si quis suadente à num.*7. *ad* 27. Donat. *prax. rer. regul.tom.*4. *tract.*14. *de eremit. quest.*21. *à num.* 18. *cum seqq.* ego ipse *part.*1. *in Appendic. annot.ad Decret. de eject. num.* 9. *part.*143.

Visaque canonica monitione. Licèt enim inferens violentas manus in Clericum fit
4 statim, & ipso jure excommunicatus, requiritur nihilominus denunciatio: adhoc ut tanquam talis aliis vitetur: quæ denunciatio fieri à Judice non debet, nisi priùs citato reo, ut possit, si aliqua ei competit defensio, illam deducere, Graff. *dict. effect.* 9. *num.* 319. *&* 320. In hac autem citatione, seu monitione, debet præfigi inquisito cõmpetens terminus *ad dicendum, & allegandum causam quare non debeat declarari incidisse in excommunicationem Canonis si quis suadente*, cùm comminatione, *quòd termino elapso, si nihil relevans deduxerit, prima die juridica immediatè sequenti declarabitur excommunicatus, & publicè denunciabitur, ulterius eo monito, neque citato*. Cùm enim agatur de excommunicatione à jure lata, unica monitio est competens, & canonica pro declaratione, nec requiritur trina, Sayr. *de cens. lib.*1. *cap.*12.*num.*24. Bellet. *de favor. can.* §.4. *num.*24. *&* 25.

5 Hanc verò unicam monitionem si Judex omitteret, declaratoria esset nulla, *per text. in cap.cùm secundùm de heret.in* 6. Gloss.*in Clem. præsenti in verbo constiterit. de cens.*Navar. *cons.*9. *num.*5. *&* 8. *& cons.*31.*num.*2.*de sentent.excomm.*Graff. *eod.tit. consil.*8. *num.*1. *& seqq. lib.*5.*p.*1. Bonac. *de censur. in commun. disput.* 1. *quest.*1. *punct.* 9. *num.* 4. *dub.* 4. Guazin. jun.*ad defens. anim. lib.*2. *defens.*6. *cap.* 41. *num.*23. nisi fortè excessus esset notorius, tunc enim non oportet, quòd hæc monitio præcedat, sed potest Judex absque ulla monitione sententiam declara-
6 toriam proferre, & reum publicè excommunicatum denunciare, Ricc. *collect.*869. Bellett.*loco citato num.*26. Graff. *decis.aur. par.*2. *in appendic.lib.*3. *de excommun.cap.*1.*num.*42. Fagnan.*in cap. non potest à num.*13. *cum seq.de sentent. & re judic.* ubi *num. ult.* ait, quòd de notorio satis est, quum Judici constet etiam extrajudicialiter, vel rationabiliter timeatur de fuga citandi, Ricc. *dict. collect.* 869. Gen. *cap.*28. *num.*16.

Dicitur in monitione, quòd si citatus fuerit contumax, elapso termino præfi- 7
xo, *die prima juridica* immediatè sequenti declarabitur excommunicatus, ad removendum dubium, an possit quis excommunicari etiam per viam sententiæ declaratoriæ, quando præcessit causæ cognitio, die feriato in honorem Dei: aliqui enim DD.& præsertim Sayr. *de censur. lib.*1. *cap.*14. *num.*7.Bonac.*de censur. in commun.disp.*1. *quest.*1. *punct.*12. *num.* 4. & alii ab eis allegati, asserunt id validè fieri posse, sed non licitè: alii verò, quos refert, & sequitur Pasqualig. *ad Lauret. de Franc. contr. par.*2. *quest.* 9. *num.* 4. 5. *&* 6. tenent, quòd per modum sententiæ Declaratoriæ non possit quis excommunicari, quando requiritur causæ cognitio in die festo, etiam si causæ cognitio præcesserit, aliàs sententia irrita sit, & quòd idem sit tenendum de denunciatione, per *text. in cap. fin. de feriis* cui opinioni in praxi adhærendum puto, quoties reus non sit suspectus de fuga, vel alia rationabilis causa ad id non impellat, ut ipse textus innuit: secus si causæ cognitio non exigitur, Guazin. jun. *ad defens. anim. lib.*2. *defens.*3. *cap.*25. *num.*12.

Legitimè exequuta. Citatio, sive monitio, præsertim in hac subjecta materia, 8
ut legitimè dicatur facta, exequi debet personaliter, Sayr. *de censur. lib.*1. *cap.* 12. *num.* 11. Bonac. *d. punct.* 9. *num.*8. Guazin. jun. *d. cap.*41. *num.* 30. & alii communiter. Si tamen citandus dolo se absconderet, vel impediret quò minùs personaliter citari posset, tunc docto per relationem Nuncii (cui credi- 9
tur, Genuen. *in prax.cap.mihi* 67. *num.* 3. Ricc. *collect.*4216. *vers. notandam secundo*) ipsum latitare, & personaliter exequi non potuisse, satis est, ut ad Domum solitæ habitationis excommunicandi fiat, & si domicilium non habet, sufficit, quòd moneatur per Edictum ad valvas Ecclesiæ Cathedralis, vel alterius loci publici, juxta stylum, & consue-

ſuetudinem Tribunalis. Imò, quòd in declaratoria cenſuræ, de qua hìc agi-
10 mus, ſufficiat citatio exequuta domi ſolitæ habitationis, tenet Bellett. *disqu. cleric. de favor. can.* §. 4. *num.* 54. *in fin.* ibi — *In declaratione item excommunicationis, non requiritur citatio perſonalis, ſed ſatis eſt, quòd fiat domi ſolitæ habitationis*, & citat Roman. *conſ.* 48. *num.*5. & 6. Antonin. *var. reſol. lib.* 1. *reſol.*71. *num.*7.

11 Et eſt notandum, quòd ſi citatio in alterius domo per errorem Nuncii, vel alio modo nulliter exequuta eſſet, & excommunicandus de ea aliundè haberet ſcientiam certam, & de quà conſtaret Judici, defectus diceretur ſanatus, & citatio illum arctaret, & afficeret, ac ſi legitimè fuiſſet citatus, ad tradita per Rot. coram Cerro *deciſ.* 204. *num.*3. quod, & certiùs procederet, ſi citatus compareret: cùm per comparitionem citatio nulliter exequuta convalidetur, etiam ad effectum, ut poſſit deveniri ad excommunicationem, prout ex doctrina Felin. *in cap. cum contingat de reſcrip.* firmat Gratian. *diſcept.*946. *num.*12. & 13.

12 Notandum ſecundò, quòd ſi ad locum, in quo manet citandus, non detur tutus acceſſus, tam in caſu hujus cenſuræ, quàm in aliis à jure latis, vel ab homine ferendis, probato priùs per teſtes, quòd ſit moraliter impoſſibile, vel quòd non ſit tutum eum citare in perſona, vel in domo, ſufficit citatio per Edictum, Seraph. *deciſ.* 1245. *num.* 3. ut autem poſſit Judex in hoc caſu ad denunciationem excommunicationis procedere, probari debet, & per teſtes, & per relationem Nuncii, duo, nempè, quòd edictum fuit appoſitum in vicinis partibus, & quòd ad notitiam rei veriſimiliter potuerit pervenire, ut in praxi ſervandum eſſe docet Leo *Theſ. for. Eccleſ. part.*2. *cap.*2. *num.* 29. & 30. Si autem citandus eſſet abſens extra territorium, tunc Ordinarius domicilii, poſſet illum ibi citari facere, cùm actus citationis verbalis validè poſſit fieri contra ſubditum extra territorium, etiam ad effectum excommunicandi, ut docent Fagnan. *in cap. licet num.* 13. & 14. *de for. comp.* Card. de Luc. *de juriſdict. diſc.*20. *num.*16. & 17. tutiùs eſt tamen Judicem territorii requirere, Pac. Jord. *elucubr. tom.*3. *lib.*14. *tit.*1. *num.*92.

Notandum tertiò, quòd ſi Judex committat citari reum ad inſtantiam Promotoris Fiſci, vel domi ſolitæ habitationis, 13
& Nuncius referat citaſſe ad inſtantiam Adhærentis, vel citaſſe domi ſimpliciter, committeret nullitatem, ex quo relatio non eſſet certa, neque vera, quia referret ſuper eo, de quo non habuit commiſſionem, ut probat Zuff. *de legitim. proceſ. quæſt.*208. *per tot.* ubi *num.*9. docet, quòd ſanatio nullitatis citationis, non inducitur per notitiam præſumptam in reo, ſed per certam, & plenam ſuperventam, & *num.*11. monet, quòd Judex non debet, nec poſſit ſententiam ferre, niſi prius Nuntius referat *ſe citaſſe prout habuit in mandatis* quod erit benè advertendum ab Actuariis, dum recipiunt Nunciorum relationes.

Et cum excuſare poſſit. Porrò à Cenſura *Canonis ſi quis ſuadente*, plures excuſantur. Primò, percutiens Clericum, 14
ignorans probabiliter, & rationabiliter eſſe Clericum, vel percutiens Clericum, volens percutere laicum.

Secundò, percutiens joco, non ex odio, vel indignatione, ſed levitate.

Tertiò, percutiens caſualiter, vel indeliberatè non pertingens ad culpam mortalem, putà ob ſubitam paſſionem iræ, animo non plenè advertente ad id, quod agitur, vel ob circumſtantias perſonarum minuentes culpam.

Quartò, percutiens vim vi repellendo, vel detinens Clericum ob defenſionem ſui, & ſuorum, vel etiam proximi, dummodo modum defenſionis notabiliter non excedat.

Quintò, Mulier percutiens Clericum pudicitiam ſuam ſacto tentantem.

Sextò, percutiens Clericum inventum, & deprehenſum turpiter colluctantem, aut actus impudicos agentem cum Uxore, Matre, filia, vel ſorore.

Septimò, Prælatus, Præceptor, Pater, bono zelo ducti diſciplinæ, & correctionis cauſa Clericum percutientes: de Prælato loquitur *text. in cap. univerſitatis* 24. *de ſentent. excom.* ubi quòd Abbas per ſe ipſum, vel converſum Religionis,

Mo-

Monachum verberare possit. Episcopus verò potest mandare ex justa causa, quòd Clericus capiatur, carceretur, & torqueatur absque metu excommunicationis, Sayr. *de Censur. lib.3. cap.27. num.26.* Bellet. *disq. cler. de favor. can.* §.2. *num.32.* De præceptore, sivè ludi Magistro est *text. in cap.1. de sentent. excomm.* dummodo discipulum verberet, moneat, & doceat, ut discipulum sine sevitia, *cap. cum voluntate* §. *fin. eod. tit* ubi Glos. *verb. magisterii* dicit, quòd modica, & levis castigatio permissa est, & quòd nimia sævitia annumeratur culpæ, & quòd hoc Magistri privilegium extendatur ad Clericum constitutum in Sacris, dicit Graff. *consil.6. num.10. de sentent. excom. par.2. lib.5.* De Patre, solet dubitari, an Filium in Sacris constitutum possit verberare absque incursu excommunicationis, & verior sententia est negativa, quam amplectitur Graff. *d. cons.6. diffic.1. num.6.* Barbos. *in d. cap. si quis suadente num.68.*

Octavò, Judex laicus, seu etiam privata persona capiens, vel detinens Clericum præparatum ad inferendam injuriam alteri, ut consignet Episcopo.

Nonò, Judex laicus, vel ejus familia capiens Clericum sæcularem, vel Regularem repertum in flagranti delicto, ut illum remittat, & deducat ad suum Judicem infrà terminum viginti horarum.

Decimò, Judex laicus, sive Creditor capiens, & detinens Clericum debitorem in causa civili de fuga suspectum, præsertim ubi non adest copia Judicis Ecclesiastici, dummodò tamen quantò citiùs remittat ad suum Judicem.

Undecimò, faciens violentiam Clerico pro recuperatione rei ablatæ, seù propter defensionem rerum suarum.

Duodecimò, officialis laicus percutiens Clericum involuntariè, & casualiter arcendo turbam. Quas excusationes referunt Graff. *de effect. cleric. effect.9.* Bellet. *disq. Cler. de favor. can.*§.2. Barbos. *in d. cap. si quis suadente à num.50. ad 74.* Bonac. *de censur. in commun. disp.1. qu.2. punct.2.* quibus adde.

Tertiodecimò, Officialis percutiens Clericum mortuum, nam licèt Barbos. *in d. cap. si quis suadente num. 47.* Graff. *dict. effect.9. num.141.* & Bellet. *loco cit.* §.1. *num.12. & 13.* innixi auctoritati Felin. *in cap. à nobis de sentent. excomm.* teneant, quòd percutientes Clericum mortuum injuriosè, evadant excommunicati: nihilominus verior sententia est negativa, quia mortuo directè injuria non infertur cùm non sit amplius homo, & hanc amplectuntur, Graff. *lib.5. cons. part.1. consil.7. num.9. de sentent. excomm.* Fagnan. *in cap. à nobis il 2. num.29. de sentent. excomm.* Nicol. *lucubr. can. lib.5. tit.39. num.155. vers. verius tamen.*

Decimoquartò, Judex laicus detrudens in carcerem Clericum, qui non habet requisita Conc. Trid. *sess.23. cap.6.* ut declaravit Sacr. Congregat. Conc. *Augusti 1625.* teste Nicol. *loco mox cit. num.15c. vers. sed dubium.*

Decimoquintò, percutiens Clericum privilegiis Clericalibus à suo Episcopo privatum, juxta à me tradita *part.2. tit.15. annot. ad form.4. & 6.* vel publicè exercentem Macellum, vel munus Tabernarii, vel artem mimicam postquam ter fuit monitus, *cap. unico de vit. & honest. cler. clem.1. eodem tit.*

Decimosextò, qui ratione Officii, quod in Ecclesia obtinet, repellit turbantes Divina Officia, *cap. veniens 16. & cap. cum voluntate 54. de sentent. excommun.*

Sententiam declaratoriam. Triplex sententia declaratoria in materia censurarum dari potest, scilicèt declaratoria criminis, cui debetur excommunicatio: Declaratoria incursus in excommunicationem latam à jure. Declaratoria excommunicationis priùs latæ ab homine: à duabus primis, quia respiciunt factum, quod, & potest esse non verum, vel non deductum legitimè in processu, datur appellatio, quæ potest suspendere jurisdictionem Judicis, & impedire, nè possit declarare appellantem excommunicatum, tertia verò declaratoria, quæ supponit hominem jam per sententiam excommunicatum, fert secum executionem, & appellationem non admittit, ut inter unam, & alteram distinguendo tradit Passerin. *ad tit. de appel. quæst. unic. art.17. num.479. & 477. in 2. part.6. lib. decret.* Hinc infertur, quòd si excommunicandus monitus comparuerit, & exceptiones, excusationesque deduxerit, & posteà à declaratoria

fortè

fortè à Judice lata non attentis exceptionibus, ipsum in excommunicationem incidisse, appellaverit, ejus appellatio erit admittenda, præfixo eidem congruo termino ad prosequendam appellationem, cum comminatione, quòd si defecerit, appellatio habebitur pro deserta, juxtà commonitionem *text. c. cùm sit Romana de appellat.* & praxim traditam à Genuen. *cap. mihi* 69. *num.* 3. Quòd si monitus non compareat, tunc tanquàm verus contumax, habebitur pro confesso, & non poterit appellare; Judex ad executionem suæ declaratoriæ, & excommunicationis denunciationem per affixionem Cedulonum deveniet, Genuen. *prax. c. mibi* 28. *num.* 19. Ciarlin. *controv. tom.* 2. *cap.* 147. *num.* 40. & 41.

16 At dubium oriri potest, quando compareret per Procuratorem, an scilicèt tunc excommunicandus dici possit contumax, vel potiùs sit per eum audiendus ad impediendam denunciationem. Et videbatur, quòd non debeat per Procuratorem audiri: cùm enim sententia excommunicationis ob delictum sit criminalis, Pac. Jord. *elucubr. tom.* 3. *lib.* 13. *tit.* 5. *num.* 96. & pœna gravissima plùs quàm ordinaria, & in foro Ecclesiastico magis sit aliquem excommunicate quàm capite plectere, ut dicit Card. de Luc. *de benefic. disc.* 60. *num.* 70. & *in Miscellan. disc.* 20. *num.* 7. ubi excommunicationem assimilat pœnæ capitali, & de Jure Canonico dicatur pœna corporis afflictiva; ut habetur expressè per Glos. *in cap. Romana* §. *contrahentes notabile* 3. ibi — *quia excommunicatio est pœna afflictiva persona de for. com. in* 6. Seb. Medic. *de legit. & Stat. par.* 4. *quest.* 20. *num.* 3. Bellet. *disq. cler. de favor. can.* §. 5. *num.* 12. Sabell. §. *pœna num.* 24. *vers. item*, sequitur, quòd Procurator non debeat admitti, cùm regula juris sit, quòd non admittatur in causis, in quibus pœna infligitur corporalis, Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *quæst.* 80. *num.* 1. & *seq.* quem omnes sequuntur.

17 Verùm contra hæc stat alia pariter juris regula, quòd Procurator, pro reo criminoso possit admitti in casibus, in quibus absens condemnari potest, quàm admittit Menoch. *d. quest.* 80. *num.* 96. Quare cùm contumax legitimè excommunicari possit, ex quo pœna consistat in privatione extrinsecorum bonorum, qualia sunt locus, honor, Officium, Beneficium &c. nec sit necesse quòd excommunicandus personaliter adsit, poterit per Procuratorem specialiter constitum comparere, & exceptiones ac defensiones proponere, ut colligitur ex Glos. *in cap intelleximus de judic.* Menoch. *d. quest.* 80. *num.* 127. Bellet. *disq. cler. de fav. can.* §. 4. *num.* 51. Passer. *in cap.* 1. *num.* 47. *de judic. in* 6. Pignatell. *consult.* 55. *num.* 2. *tom.* 6. Vulpin. Succ. Farinac. *part.* 11. *qu.* 99. *num.* 4.

Neque obstare videtur, quòd excommunicatio sit pœna corporalis ex auctoritatibus supra allegatis, & proinde pro illa evitanda Procurator non debeat admitti: quia dicitur pœna corporalis similitudinariè, & impropriè, non autem verè; nam pœnæ corporis afflictivæ, pro quibus evitandis Procurator non auditur, dicuntur illæ tantùm, quæ in corpus verè, realiter, ac principaliter irrogantur, ut sunt mortes, amputationes, fustigationes, pedum in compedibus detentiones, & aliæ hujusmodi: cæterùm quæ corpus non attingunt, ad fortunas, aut extimationem pertinent, licèt per quandam consequentiam dicantur corpus affligere, non tamen inter corporales numerantur, alioquin sequeretur omnes omninò pœnas esse corporis afflictivas: quia omnis pœna etiam pecuniaria propter delictum publicum imposita irrogat infamiam, quæ plerumque magis homines excruciat, quàm fames, & miseria, ut benè observat in proposito admissionis Procuratoris absentis in pœnam relegationis damnandi Ricc. *dec. Cur. Archiep. Neap.* 344. *num.* 7. & *plurib. seqq. par.* 4. & in terminis excommunicationis impediendæ *decis.* 321. *num.* 5. & 6. *ead. par.* 4. 18

Pro resolutione igitur dubii dico, quòd si excommunicandus pro delicto citetur more solito ad dicendum, & allegandum causam quare &c. vel citetur simpliciter ad comparendum, & allegandum &c. possit tunc comparere, & se defendere per Procuratorem specialiter constitutum (qui debet admitti) ad 19

respondendum sic, & sic juxta cauthelam traditam à Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cas.*263. *num.*3. Si verò citetur ad comparendum *personaliter*, & dicendum, & allegandum &c. quòd tunc non sufficiat comparitio Procuratoris, nisi reus sit persona illustris, sed debeat per se ipsum comparere, si non vult fieri contumax: potest enim Judex ex motivo, & causa rationabili in causis criminalibus, reum cogere, ut coram se omninò compareat, ut ex theorica originali Bartoli, docet Menoch. *d. quæst.*80. *num.*97. & *d. cas.* 263. *num.*5. & est communis opinio apud DD. quos refert & sequitur Passer. *in d. cap.* 1. *num.*67. *de judic. in* 6.

20 Quod tamen absolutè intelligendum non est, sed in ferendis censuris hoc erit practicandum in casibus exemplaribus publicis, & mali exempli: si enim Judex arbitrio, quod habet à jure citandi reum ad comparendum personaliter, abuteretur, & præsentiam rei in omnibus excommunicationis casibus exigeret, imprudenter ageret, cùm non debeat, nec possit in causis à relegatione infra, & in quibus non infligitur pœna corporalis, nec excommunicationis regulariter, vel si causa est civilis, Procuratorem repellere, ut probant auctoritates supra allegatæ *in* §. *Verùm*, & *num.*20. & monuit Menoch. *d. cas.* 263. *num.*7. & in terminis Ricc. *in prax. crim. exec. litt. Apost. resol.*4.

21 *Papa reservatam*. Absolutio Censuræ incursæ ob violentam manuum injectionem in Clericum, reservatur Papæ, ut habetur expressum in *d. cap. si quis suadente* 17. *quæst.* 4. Enumerantur tamen varii casus, quos refert Sayr. *de censur. lib.*3. *cap.*28. *num.*9. in quibus quædam personæ dicuntur privilegiatæ, itaut non solùm à mediocri, imò etiam in aliquibus ab enormi percussione ab Episcopo absolvi possint: qui casus, & personæ in his sequentibus versibus continentur.

Regula, Mors, Sexus, Hostis, Puer, Officialis,
Deliciosus, Inops, Æger, Senexque, Sodalis,
Janitor, Astrictus, Dubius, Causa, Levis illus,
Debilis, absolvi sine summa Sede merentur.

22 *Regula*. idest, Monaci, aliique Regulares, si se invicem percutiant, ab eorum Prælatis, dummodo percussio non sit enormis, absolvi possunt, *cap. quoniam de vita, & honest. cleric. cap. pervenit, cap. cùm illorum*, & *cap. canonica de sentent. excommunic.* in enormi enim Prælati Regulares non absolvunt, nisi habeant speciale privilegium, Sayr. *d. cap.* 28. *num.* 12. & habetur expressè in *cap. cum illorum*. Si autem Regularis percusserit Clericum sæcularem, poterit ab Episcopo absolvi, quando percussio est levis, *cap. Religioso de sentent. excomm. in* 6. si enim esset enormis, ad Episcopum non pertinet absolutio, sed ad Papam *d. cap. cùm illorum* §. *si verò*. Moniales verò, quæ incidunt in censuram hujus Canonis, per Episcopum, in cujus Diœcesi Monasterium existit, quamvis exemptæ sint, ab Episcopo etiam ab enormi absolvi poterunt, *cap. de Monialibus juncta Glos. de sentent. excommunic.*

23 *Mors*. Idest quando quis est in mortis periculo, in quo non solùm Episcopus, sed quilibet Sacerdos absolvere potest, servato tamen modo in preludio hujus operis tradito de absolutione excommunicationis §.4. *vers. item datur*. Mortis autem articulus dicitur non solùm, quod provenit ex infirmitate, sed etiam quodlibet periculum probabiliter morti vicinum, v.g. si quis timeat hostem, prædonem, vel crudelitatem alicujus Potentis, vel sit navigaturus, vel transiturus per loca periculosa, vel sit obsessus in loco, ubi tela jaciuntur.

24 *Sexus*. Idest Mulieres cujuscumque conditionis sint, & absque ulla differentia, fortes scilicet, an debiles sint, Viduæ, an maritatæ, aut qualiter percusserint, leviter, mediocriter, vel enormiter; omnes enim quocumque modo Canonis Censuram incurrant, absolvi possunt ab Episcopo, *c. mulieres, c. ea noscitur, &c. quamvis de sent. excomm.*

25 *Hostis*. Idest habens capitales inimicitias, vel aliam excusationem, ob quas sine periculo vitæ, non possit se Sedi Apostolicæ præsentare, etiam si proveniant ex culpa sua, *cap. de cætero de sent. excom.*

Puer

26 *Puer*. Ideſt Impuberes, qui ſunt doli capaces abſolvi poſſunt ab Epiſcopo, *cap. 1. huamvis, & cap. fin. de ſent. excomm.* & hoc ſivè ante, ſivè poſt pubertatem abſolvi poſtulent.

27 *Officiales*. Ideſt, qui prætextu officii arcendo turbam, non animo, & propoſito lædendi, aliqua tamen culpa interveniente, Clericum percuſſit leviter, aut mediocriter, abſolvitur ab Epiſcopo non tamen ab enormi, *cap. ſi verò 3. de ſent. excomm.*

28 *Delicioſus*. Ideſt nobiles, potentes, delicati, qui laborem accedendi ad Sedem Apoſtolicam nequeunt ſuſtinere, *d. c. Mulieres de ſent. excomm.* cujus rei judicium remittitur ad arbitrium Epiſcopi, qui antequam abſolvat, ſtatum perſonæ Sedi Apoſtolicæ ſignificare tenetur., & ſecundùm conſilium ejus, de commiſſo ſcelere erit corrigenda.

29 *Inops*. Ideſt, qui arte victum quærit, & iter agendo illam exercere nequit: non enim tenetur quis mendicare, ut ad Curiam pro obtinenda abſolutione accedat, *c. quod de his, & d. c. quamvis de ſent. excom.*

30 *Æger*. Ideſt Infirmi, ſeu valetudinarii, à quacumque corporis infirmitate detenti, juxta judicium Medicorum, & arbitrium Epiſcopi, *d. c. quod de his, & d. cap. quamvis*, etiamſi non immineat periculum mortis, prout eſt in febri tertiana, quartana, & podagra.

31 *Senex*. Senes, licèt videantur fortes ad ambulandum, adhuc abſolvi poſſunt ab Epiſcopo, *d. cap. ea noſcitur & d. cap. quamvis*. Qui autem dicantur Senes, Judicis arbitrio relinquitur, niſi ſint in Septuageſimo anno, nam tunc Judex arbitrari non poterit, eos non eſſe Senes, Menoch. *de arbitr. caſ. 59. num. 2.* quem ſequitur Barboſ. *in cap. quoniam frequenter num. 7. de lit. non conteſt.* At in noſtro jure, ad ſenectam perveniſſe dicitur qui quinquageſimum annum complevit, quæ quinta dicitur hominis ætas, juxta computationem *Gloſſ. in proœm. Sexti Decretal. verb. perfectus*, ideòque teſtis quinquagenarius debet quàm primum examinari, nè probationes pereant; quoniam periculum eſt in mora, ut dicit Alciat. *de præſumpt.*

Sodalis. Ideſt Clerici collegialiter, vel in communi ſub eodem tecto viventes, & dormientes, dummodo percuſſio non ſit enormis, abſolvuntur ab Epiſcopo, *c. quoniam de vit. & honeſt. cler.* 32

Janitor. Ideſt Oſtiarius, qui prætextu ſui officii percuſſit Clericum non enormiter, poteſt ab Epiſcopo abſolvi, *cap. ſi verò 3. de ſent. excomm.* qui caſus diſtinguitur à caſu ſexto de Officiali, quia ibi percuſſio eſt caſualis; hìc verò intenta, & animo injurandi, ut obſervat *Gloſſ. in d. cap. ſi verò verb. abſolvi*: nam ſi non feciſſet animo doloſo; non eſſet excommunicatus. 33

Aſtrictus. Ideſt, qui non ſunt ſui juris, ut ſervi; hi etenim, ne Dominus ſine ſua culpa grave damnum patiatur propter Servi abſentiam, dummodo exceſſus non ſit enormis, abſolvuntur ab Epiſcopo; & idem dicendum de Viro, qui percutit Clericum, ut ſe abſentet ab Uxore, quæ ſi abſentaretur, gravi damnum ſentiret: filii verò familias, licèt ſub patria poteſtate maneant, abſolvuntur in ſolo caſu, quo ſint impuberes, puberes enim ad Curiam pro abſolutione mitti debent, Gloſ. *in d. c. mulieres verb. ſui juris de ſent. excomm.* 34

Dubius. Ideſt is, de quo eſt publica fama, quòd Clericum percuſſerit, & ſe purgaverit arbitrio Epiſcopi, ab eo abſolvi poterit, *arg. cap. cum deſideres §. Secundæ quæſtioni de ſent. excomm.* 35

Cauſa. Ideſt quicunque excommunicatus, ob Clerici percuſſionem, aut etiam ob quamlibet aliam cauſam, cujus abſolutio Sedi Apoſtolicæ reſervatur, qui habet legitimum impedimentum non eundi ad Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatum, à Latere, abſovi poteſt ab Epiſcopo, ſervata duplici moderatione prima eſt, ut ſatis fiat Clerico injuriam paſſo: Secunda eſt, ut juret, quòd ceſſante temporali impedimento, præſentabit ſe Apoſtolicæ Sedi, illius mandatis pariturus. Quòd autem dicatur legitimum impedimentum, arbitrio boni, & prudentis viri determinandum relinquitur: falſo autem exiſtente, nulla erit abſolutio, Sayr. *de cenſ. d. lib. 3. cap. 28. num. 39.* 36

Levis ictus. Ideſt omnis, qui leviter Clericum percutit, abſolvitur à ſuo Epiſco- 37

piscopo jure proprio, & ordinario, ut docent Summistæ. Quæ autem dicatur levis, mediocris, & enormis percussio, colligitur ex *extrav. Joannis XXII.* quam integram refert Piasec. *par. 2. c. 2. art. 3. de cas. Episcop. refer. num.* 7. cujus est tenor.

38 *Perlectis literis vestris circa absolutionem excommunicatorum, vos in eis dubitare perspeximus, quæ esset modica, aut levis injuria, circa quam, sicut talis loquitur, absolvendi vobis contulimus potestatem. Ad quod cùm sit facti potiùs, quàm juris quæstio, vobis prout possumus respondemus: illam videlicet modicam percussionem, aut impulsionem pugni, palmæ manus, pedis, digiti, aut baculi, vel lapidis, quæ ad livorem, mutilationem membri, fractionem dentis, depillationem capillorum non modicam, vel effusionem sanguinis, non excedit, nec si cum levissimi ictus aut pugni percussione sanguis exiret, transire in atrocem injuriam profitemur, ut propter hoc sit ab absolutione talium abstinendum. Ut tamen non solùm ipsum factum, imò etiam facti qualitas, percutiendi modus, aut injurandi circa hoc diligentius attendatur, & ipsius facti circumstantiæ, loci videlicet, & etiam persona, quæ sit levis, & modica, gravis aut enormis injuria manifestus cognoscatur; loci quidem ut in Theatro, vel in foro, coram Rege, Prælato, vel Judice, in Ecclesia, coram multis in aliquo loco publico alicui injuria inferatur; Persona, veluti si Magister, vel Judex, aut etiam Magistratus, aut Prælatus, Pater, aut Patruus, vel aliquis in dignitate, vel personatu constitutus ab inferiori, vel humili contra naturam juris patiatur. Per hæc quidem graves videantur injuriæ, & quæ sint leves, aut modicæ tamquam ex opposito cognoscantur. Sanè quia negocii natura non patitur, ut ad plenum omnia differantur, judicium talis enormis injuriæ vestro duximus arbitrio committendum, ut potestatem vestram, cùm ad hæc processeritis, temperetis, ut citra metas hujusmodi potiùs, quàm ultra eas circa absolutionem talium procedatur, ne injuriantes de vicina absolutione confisi, de facili in atroces prorumpant percussiones, vel injurias, & sententiam Canonis jam periculo sui contemnentes, in Excommunicationis Sententias proclives prolabantur. Tolerabilius est enim aliquos qui per vos etiam possunt absolvi, nobis vel Superioribus absolvendos, relinquere, quàm contra Statuta Canonum imagine quadam absolutionis (quod non fit sine grandi periculo) quemquam relinquere innodatum &c.*

Hanc eandem extravagantem referunt (sed multilatè, & diversis verbis conceptam) Navarr. *in manual. confess. c.* 27. *num.* 91. Sayr. *de censur. d. cap.* 28. *num.* 8. Nicol. *lucubr. can. lib.* 5. *tit.* 39 *post num.* 151. & de ea mentionem faciunt Graff. *consil. lib.* 5. *part.* 2. *concil.* 3. *diffic.* 2. *de sent. excomm.* Genuen. *in prax. cap. mihi* 28. *num.* 7. ubi plures casus gravis percussionis refert. Et hoc unum in hac re verum est quòd quævis legis injuria, sivè offensio facta Clerico Sacris vestibus induto, Divina officia celebranti, semper est judicanda atrox, ut advertunt Bellet. *disq. cleric. de favor. can.* §. 3. *num.* 36. Vulpin. *Suc. Farinac. part.* 12. *quæst.* 105. *insp.* 4. *num.* 26. D. Raynald. *observ. crimin. supplem. ad cap.* 1. *supplem.* 6. *num.* 11. At etiam Imperiali lege sancitum est, ut qui hoc attentare præsumpserit tormentis subjiciatur, & in exilium mittatur: & qui Divina officia celebrari prohibuerit, pœna capitali puniatur, ut habetur inter Novell. Justinian. *const.* 115. *tit.* 488. *num.* 52. quam refert Pithæus *in Codic. pag.* 618. in qua sic habetur. *Si quis divinis Mysteriis, vel aliis Sanctis Ministeriis celebrandis in Sancta intraverit Ecclesia & Episcopo vel Clericis, vel aliis ministris Ecclesiæ injuriam fecerit jubemus eum tormentis subjectum in exilium mitti: Sed & si ipsa Sancta Oratoria vel Divina Mysteria conturbaverit, vel celebrare prohibuerit, capitali supplicio puniatur. Hoc eodem observando, & in Litaniis, in quibus Episcopi, vel Clerici inveniuntur, ut si quidem contumeliam tantùm fecerit: tormentis, & exilio tradatur, sin autem Litaniam conturbaverit, capitale periculum subsistat &c.* 39

Cœterùm extra hunc casum generaliter, & regulariter loquendo, ad judicandum an percussio sit enormis nec nè, septem consideranda sunt. 1. causa percussionis. 2. persona offensa, & offendentis.

3. tem-

3. temporis consideratio 4. locus delicti, & offensæ, & locus corporis offensi 5. consideratio qualitatis offensæ, putà si notoriæ 6. quantitatis percussionis 7. si sit scandalosa: ut tradit Graff. *decis. aur. par.2. lib.2. cap.17. num.4. & par.1. lib.2. cap.49. num. 51. & seqq.* in quibus locis plures casus gravis, & levis percussionis enumerat.

Qui autem Ecclesiæ, actionibus inhonestis, indecentibus, ac propudiosis esset profanator, erit illi interdicendus ingressus Ecclesiæ, & in subsidium excommunicandus.

41 *Debilis*. Idest membris destitutus ut Cæcus, Claudus, & alii multifariam membris impediti: hi enim ab Episcopo absolvuntur, *d. cap. ea noscitur de sentent. excommunic.* Et hæc omnia fusiùs explicant Sayr. *de censur. in sæpè citato cap. 28. lib.3. à num.* 10. *ad* 32. Bellet. *disqu. cleric. de favor. canon.* §. 3. *per tot.* Bonac. *de excommunic. disp. 2. quæst. 4. punct.5. num. 9. & plur. seq.* ac ex eorum dictis, & juribus allegatis desumitur. Primò, quòd habentes perpetuum impedimentum, ut sunt Senes, Moniales, Mulieres, valetudinarii, membris destituti; impuberes doli capaces; absolvuntur ab Episcopo à quacunque percussione etiam enormi, absque ulla præcepti injunctione se præsentandi Sedi Apostolicæ. Secundò, quòd absoluti propter impedimentum temporale, ut sunt infirmi, habentes inimicitias, inopes, tenentur sublato impedimento se præsentare Summo Pontifici, & hac de causa quando impenditur absolutio, injungendum est præceptum cum juramento hoc adimplendi, *cap. quamvis de sent. excomm.* si enim sublato impedimento, & oblata commoditate, non se præsentarent, reinciderent in eandem excommunicationem, data mora culpabili, *cap. eos qui tit. eod.* Tertiò quòd Clericis viventibus in communi, Officialibus, & Janitoribus arcentibus turbas, quia absolvi possunt à mediocri, non tamen ab enormi, non est injungendum præceptum, ut se Apostolicæ Sedi præsentent. Quartò, quòd qui non potest ob legitimum impedimentum Papam adire, ab Episcopo absolvi non potest, quando Legatum à Latere, vel alium habentem facultatem absolvendi, adire potuit, Sayr. *d. cap.28. num. 34. & seq.* Bonac. *loco citato num.* 16. 17. & 18.

Et excommunicatum denunciari mandamus. Hìc jam quæritur, an sit denunciandus excommunicatus, qui comparet antequam Cedulones affigantur, & petit, ac instat humiliter pro illorum suspensione? Respondeo, quòd ubi aliquis incidit in hanc Censuram, vel aliam cujus absolutio sit Papæ reservata, & comparendo instat pro Cedulonum suspensione, vel defixione, solet ei dari terminus unius, vel duorum mensium ad procurandam absolutionem, & interim suspenduntur, vel removentur Cedulones; dummodo tamen excommunicatus Domi se contineat data cautione in ea manendi: quo termino elapso, si non præsentet absolutionem, affiguntur Cedulones, juxta praxim traditam à Genuen. *cap. mihi* 28. *num.*10. & à Ricc. *prax. rer. for. Eccl, par. 4. res.*17. Si verò agatur de excommunicatione per Sententiam hominis lata, comparens non auditur ad retardandam denunciationem, præsertim quando reus est persona temeraria, sed affiguntur Cedulones, ut magis confundatur, & alii terreantur, ut pluries ita in Curia Archiepiscopali Neapolitana practicatum fuisse testatur idem Genuen. *d. cap.* 28. *num.* 1. 42

Verumtamen quia Censura instituta est ad frangendam contumaciam, sive inobedientiam erga Ecclesiam, *cap. ex parte de verb. sing.* putò quòd tam in excommunicatione à jure lata, quàm ab homine, si reus monitus compareat, & humiliter petat veniam, & offerat satisfactionem, sit audiendus, & non denunciandus, ac satisfacta parte absolvendus, si ab Episcopo absolvi possit, propter mala, quæ affert excommunicatio, Glos. *in cap. qua fronte de appellat.* (dummodo tamen non sit recidivus in eodem genere mali) debet enim Prælatus (in casibus maximè ordinariis) esse pius Pater, & excommunicare eo fine, ut spiritus salvus fiat, & non illam fulminare in laqueum, & destructionem animarum: nam gladius Ecclesiæ vivificat, & non occidit, *cap. inter hæc* 33. *quæst.*2. Grat. 43

Grat.*consil. lib.5. part.2. consil.3. diffic.3. num.3.* & qui periculosè justi sumus, sub securitate semper ignoscimus.

44 Tunc autem censeo, quòd denunciatio excommunicationis non sit suspendenda, etiamsi denunciandus compareat, & petat absolvi quando casus Censuræ latæ sit exemplaris, & magni momenti, ad bonum publicum promovendum, & pervicaciam hominum retundendam, & expediat Reipublicæ delictum notum fieri, juxta terminos *Clem.1. de pœn.*& advertit quoque Ricc. *loco allegat. resol.16. post. num.4. par.4.*

45 Quid autem dicendum, si aliquis Regularis ob percussionem Clerici Sæcularis incideret in Censuram nostri Canonis: an, inquam, poterit ab Episcopo publicè denunciari excommunicatus, ut à suis subditis vitetur? hæc quæstio est non parùm agitata à DD. siquidem Auctores Morales Ordinum Regularium propriam causam tuendo, quos coegerunt, & sequuntur Pasqual. *ad Lauret. de Franc. contr. part.1. num.*138. Donat.*prax. rer. regular. tom.1. par.2. tract.13. quæst.26. &* 27. & quibus favere videtur D. Raynald. *observ. crim. suppl. ad cap.32. supplem.4. num.* 31.*& seqq.* sustinent, Episcopum non posse Regulares exemptos publicè excommunicatos denunciare, etiamsi crimen propter quod in Censuram latam à jure inciderunt, sit notorium. Alii autem, & meliùs (inter quos non desunt Regulares) absolutè firmant, quòd si delictum, quòd habet annexam excommunicationem inflictam à jure, sit certum, & notorium, in quo nulla requiritur citatio, Leo *thes. for. Eccles. par.3. cap.7. num.* 110. & alii supra allegati in §. *Hanc verò*, rectè possit Episcopus publicè denunciare excommunicatos Regulares exemptos, ad hoc ut à subditis evitentur: quia denunciatio, circumscripta citatione, non est actus jurisdictionis, cùm pœna denunciata, à jure jam sit inducta, & denunciatio nihil addat, ita ex Regularibus tenent Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 1. *disp.15. quæst.7. num.*38. Nicol.*lucubr. can. lib.5. tit. 39. de sentent. excommun. num.*29. ubi Decretum S.Congreg. refert Pirhing. *in jus can. lib.2. tit. 31. num.* 115. & ex nostris Ricc.*prax. rer. for. Eccl. par.2. resol.*210. *num.*4. Barbos.*de offic.& pot. Episcop. alleg.*105. *num.*73. Genuen.*in prax. cap. mibi* 57. *num.* Piasec. *prax. par.* 2. *cap.3. art.6. de visit. regular. num.*78. *vers. ad extremum* Fagnan. *in cap. grave num.*75. *de offic. ord. & in cap. non potest à num.*15. *ad* 25. *de sent.& re jud.* Ventrigl. *prax. part.*1. *annot.*48. *num.*134. ibique Carol. Anton. de Luc. *post num.*5. Card. de Luc. *in miscellan. disc.*14. *num.*6. *&* 7. *& de jurisd. disc.29. num.*2.*&* 3. Panimoll. *dec.* 84. *adnot.*1. *num.*65. Pignatel.*consult.*10. *à num.*1. *ad* 6. *tom.*7. *& consult.*52. *num.*6. *& seqq. tom.*9. & horum sententia verior est, & in praxi sequenda præsertim quando non solùm factum percussionis, sed etiam de excessu moderaminis inculpatæ rutelæ notorium est; quia jam à S. Congr. Concilii sic declaratum fuit in decretis per extensum relatis à Barb. *post Vot. decis.* 125. *lib.3. Decr.*45. Quod autem dicatur notorium jam ostendi *part.2. tit.15. annot. ad form.*11. *num.*5.

De Censura Excommunicationis contenta in cap. conquesti de sent. excom.

Effractionis Ecclesiarum delictum, est valdè grave, & ideò à Sacr. Canonibus diversis pœnis, & præsertim excommunicatione punitur: Unde Episcopus sivè ejus Vicarius illis inhærendo, nequitiam perditorum hominum qui illud committere non verentur, mucrone excommunicationis, percellere non negligat, ut divini muneris participatione careant, quod sacrilegis ausibus habuere despectui, ut inquit Gelas. Papa *in cap. qui, & divinis* 24. 12. *qu.*2.

Habita propterea patrati facinoris relatione, si ex processu desuper construendo, de eo sufficienter constabit, citatis priùs reis, saltem per edictum, si domicilium non habeant, vel reperiri non possint, ad declaratoriam procedat sequenti modo, vel simili.

Sen-

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA III.

VIsa relatione N. in actis nostræ Curiæ exhibita *super violenta effractione* valvarum (sivè fenestræ, sivè parietis) Ecclesiæ S. N. loci N. hujus nostræ Diœcesis, sequuta die .·.·. & super ablatione, furto, & spoliatione supellectilium sacrarum, aliorumvè mobilium ejusdem Ecclesiæ: visa recognitione corporis delicti per visum, & repertum formiter facta, nec non examinibus testium, per visum de personis patrati facinoris reis *deponentium nominatim*, visa citatione per Edictum, totoque processu desuper constructo dicimus, & declaramus, constare de effractione, & spolio, & ideò N. & N. loci N. iniquitatis filios violentæ effractionis, & spolii Auctores, incidisse in excommunicationem majorem contentam in *cap. conquæsti 22. de sent. excomm. & in alias pœnas à* S. Canonibus *contra Sacrilegos* Ecclesiarum effractores inflictas, & esse publicè denunciandos, prout per affixionem Cedulonum in locis publicis denunciari mandamus, omni &c.

N. Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

Denunciationis, & Cedulonum.

FORMULA IV.

SUMMARIUM.

1 *Effractores Ecclesiarum sunt ipso jure excommunicati quando cum effractione adest furtum.*
Hodie sunt ipso jure excommunicati fures rerum Ecclesiæ vigore Concilii Trident.
2 *Qui dicantur effractores Ecclesiarum, ostenditur.*
3 *Ecclesia enormiter effracta, seu combusta, quando indigeat, vel non, nova consecratione, indicatur.*
4 *Excommunicatio est publicanda contra personas certas, & nominatim.*
5 *Præsumptiones juris, sunt liquidæ probationes.*
6 *Pœna sacrilegii est multiplex, & Judici arbitraria.*
7 *Sacrilegium quomodo, & quando commissum dicatur, ostenditur.*
8 *Delictum sacrilegii est mixti fori.*
9 *In delicto sacrilegii, quando detur præventio ostenditur.*
10 *Effractores Ecclesiarum cum spolio sunt ubique persequendi.*
11 *In delictis mixti fori, reus absolutus ab uno Judice, non potest ab alio molestari, quando Judices sunt ejusdem Monarchiæ.*

HIC auctoritate ordinaria denunciantur excommunicati majori excommunicatione S. N. Papæ reservata N. & N. de loco N. iniquitatis filii; ex eo quia violenter confregerunt valvas (sivè fenestram, sivè parietem) Ecclesiæ S. N. loci N. hujus Diœcesis, & inde suppellectilia sacra, & alia mobilia ejusdem Ecclesiæ furto abstulerunt. Ut igitur memorati sacrilegi effractores ab omnibus Christi fidelibus vitentur, & abhorreantur, præsentes publicari jussimus, & tandiù à communione fidelium eliminati, & anathematizati exi-

existant, donec juxta Sac. Canonum dispositionem d. Ecclesiæ damna resarciant, & satisfaciant, & à Sede Apostolica absolutionem meruerint obtinere. Datum &c.

N. Vic. Gen. (sivè Episcopus N.)

Loco ✠ Sigilli. N. *Actuarius.*

V E L

CON autorità ordinaria si denunciano scomunicati di scomunica maggiore riservata al Sommo Pontefice, N. & N. del luogo N. figliuolo d'iniquità, per havere con violenza rotte le Porte della Chiesa di S.N. di questa Diocesi, e portato via da quella con furto sacrilego le suppellettili sacre, & altri mobili preziosi della medesima Chiesa: ed acciochè siano fuggiti, & abominati da tutti, si sono publicati i presenti Cedoloni: e stiano così scommunicati, e privi del consorzio de fedeli, sin tanto, che non havranno risarcito il danno, e soddisfatto alla detta Chiesa, secondo la disposizione de' Sagri Canoni, & ottenuta dalla Sede Apostolica l'assoluzione. Dato &c.

N. Vic. Gen.

Luogo del ✠ Sigillo. N. *Attuario.*

ADNOTATIONES.

1 *SUPER VIOLENTA EFFRACTIONE*. Ex hac clausula datur intelligi, quòd juxta dispositionem hujus Textus, tunc fures rerum Ecclesiarum sunt ipso facto excommunicati, quando cum furto adest violenta confractio, vel incendium, *c.canonica* 107.11.*q*.3. si enim sequeretur furtum absque effractione, vel incendio non essent excommunicati ipso jure, sed excommunicandi per sententiam juxta *text.in c.conquestus* 16. *de for.comp. gloss.in d.c.conquesti de sent.excomm.* Graff. *consil.lib.*5.*par.*2.*consl.*2. *nu.*2. At hodie sunt ipso facto excommunicati, vigore Concilii Trid. *sess.*22. *cap.*11. *de reform.* & à Papa sunt absolvendi, Sperell. *decis.*137. *nu.*17.

2 Effractores autem dicuntur non solùm illi, qui ferro, vel incendio muros, vel Januas Ecclesiæ violenter confringunt, & spoliant illam, sed etiam alii, qui Arcam, vel Armarium ejusdem Ecclesiæ effringerent, ut probat *text. in l.tertia* §. *effractura, ff.de offic. praefect. vigil.* ibi — *effracturæ fiunt plerumque in insulis* (idest domibus, ut ait ibi *Glos.*) *in horreis, ubi homines pretiosissimam partem fortunarum suarum reponunt, cùm, vel Cella effringitur, vel armarium, vel arca, &c.* aut vitream fenestram frangerent, vel vectes, aut tectum, Sayr. *de cens. lib.*3. *cap.*29. *num.* 16.

Quid dubitaretur, an per enormem effractionem, vel ignis combustionem, Ecclesia evaserit execrata, adeò ut nova indigeat consecratione? Et respondetur, quòd si parietes interiores sint combusti, vel devastati, & abrasi ex toto, vel ex majore parte, indiget nova consecratione: quia consecratio consistit in externa parte, seù superficie parietum, qui Chrismate liniuntur, & in quibus crucis Signum apponitur; ideoque ex combustione, vel notabili abrasione parietum, violatur consecratio, etiamsi parietes, non corruerint, ut ex *c.Ecclesiis* 20. *dist.*1. *de consec. & ex Glos.ibi ver. Altaria*, firmat Pirhing. *in jus can.lib.*3. *tit.*40. *nu.*8. secus autem si ex vetustate, vel alia causa totum Ecclesiæ tectum corrueret, parietibus illæsis remanentibus: tunc enim non indiget consecratione: quia consecratio fit in parietibus, ut dictum est, & non in tecto *c.ligneis* 6. *de consecr. Eccles.*

4 *Deponentium nominatim*. Hoc dicitur in sententia declaratoria, ad ostendendum, quòd jam constat de certa, seu certis personis denunciandis: nam si testes, effractores, & fures nominatim in examine non indicarent, sed tantùm per indicia, & conjecturas de illis deponerent, & Judici aliundè non constaret de certitudine Auctorum effractionis, & furti, non posset validè ad denunciationem excommunicationis devenire, quia tunc sententia incerta esset, & rei judicatæ auctoritatem non contineret, *Glos. notabilis in cap. si Sacerdos verb. removere de offic. judic. ordin.* cum aliis apud Sayr. *de censur. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 27. Ricc. *prax. par.* 4. *resol.* 203. *post num.* 9. *in fine* nisi fortè ex aliquibus circumstantiis, & juris præsumptionibus, cognosci certò possit quinam sint: cùm præsumptiones juridicæ stent loco testium,
5 & dicantur liquidissimæ probationes, Medic. *de difinit. par.* 2. *difin.* 18. *num.* 12. & ex eis imponi possit pœna ordinaria delicti, Amôstaz. *de caus. piis tom.* 2. *cap.* 12. *num.* 48.

6 *Et alias pœnas*. Præter pœnam excommunicationis, pro casuum diversitate, diversas alias pœnas imposuit Sacrilegis Jus Canonicum, videlicet infamiam, carcerem, mulctas pecuniarias, & exilium, ut habetur *in cap. attendendum, cap. quisquis inventus* 17. *quæst.* 4. ibique Glos. ideòque hodiè pœna Sacrilegii est Judici arbitraria, ut probat Sperel. *decis.* 4. *num.* 5.

Contra sacrilegos, Sacrilegium pro-
7 priè dictum, est sacræ rei violatio, sivè in se, sivè in alio, idest sivè sit res ipsa sacra, sivè ipsa persona Ecclesiastica, Glos. *c. Sacrilegium* 17. *quæst.* 4. Quatuor autem sunt species sacrilegii. Prima est, quando percutitur, vulneratur, & occiditur Clericus, vel Monachus, seù alia religiosa persona, *cap. si quis suadente* 17. *quæst.* 4. Secunda committitur per copulam carnalem cum Moniali, & est peccatum gravissimum morte dignum, cùm in eo concurrant sacrilegium, adulterium, & incestus. Tertia committitur circa locum sacrum, ut quando Ecclesia violatur violenta manuum injectione, & hominis percussione, effusione violenta sanguinis, effractione, devastatione, vel incendio, vel per fornicationem etiam occultam commissam in Ecclesia, Bellett. *de favor. Cleric. real.* §. 4. *nu.* 16. Quarta committitur circa res: & hoc casu tribus modis, videlicet auferendo sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro, *cap. quisquis inventus* 17. *quæst.* 4. & his casibus, si variè contingere possunt, ita diversa erit delinquentium punitio, Leo *Thes. for. Eccles. par.* 3. *cap.* 4. *à num.* 44. *ad* 55. Barbos. *in d. c. quisquis inventus num.* 4. & 5.

Delictum sacrilegii, quoties delin- 8
quens sit laicus, est mixti fori, & ideò inter Judicem Ecclesiasticum, & laicum datur præventio, adeò ut altero eorum præveniente, & procedente, alterius forus sileat: cùm Judex Ecclesiasticus non solùm ad pœnas spirituales, sed etiam temporales citrà sanguinem contra laicos Sacrilegos procedere possit, ut benè probat Sperell. *decis.* 4. *per totam*. Vult tamen Tondut. *de prævent. par.* 2. *cap.* 29. *num.* 32. id procedere quando reus non est in contumacia; si enim esset contumax, utpotè quia non comparеat, sed aufugit, tunc possit (ut ipse ait) uterque judex procedere: cùm contumax non possit opponere de præventione, & sic judex Sæcularis imponet contumaci pœnas temporales, & Ecclesiasticus Spirituales, & huic opinioni adhærent Graff. *de eff. cleric. effect.* 1. *num.* 620. *in fin.* Bellett. *de favor. cler. real.* §. 4. *num.* 7.

Hocque ex eo provenire videtur, quia 9
in Criminalibus per solam accusationem, informationem, & examen testium causa non dicitur præventa: nam requiritur, vel executio citationis verbalis contra reum legitimè executioni demandatæ, vel personæ captura, quæ sola sufficeret ad præveniendum, & uti fortior, citationi verbali, & cæteris actibus prævaleret, ut tradit idem Tond. *cit. p.* 2. *cap.* 54. *à num.* 5. *ad* 9. *par.* 3. *cap.* 20. *num.* 2. quæ conclusio vera est, quando captus non opponit de præventione verbali coram alio judice (ad quem, si opponat, est remittendus) & quando reus est verè captus: secus si spontè coram judice, qui eum non citavit, se constitueret; quia præsumitur

tur dolosè, & in fraudem se constituisse, prout conclusionem prædictam enucleando tradit Guazin. *ad defens. reor. defens.* 1. *cap.* 9. *à num.* 14. *cum seqq.* quem non pigeat videre.

10 Præterea ut effractores Ecclesiarum cum spolio, gladio Spirituali Ecclesiæ ubique persequuti confundantur, quoties casus eveniat eos denunciari publicè posse, & debere, Episcopus litteris suis subsidialibus requirat alios Episcopos Provinciæ, ut illos denunciare quoque faciant in suis Diœcesibus, quia delictum est atrox, & exemplare, tàm de jure civili *in l. si quis in hoc genus* 10. *ibiq. DD. Cod. de Episc. & Cleric.* quàm Canonico in *cap. si quis* 29. §. *Qui autem* 17. *quæst.* 4. inter capitalia delicta numeratur, Bellett. *disq. cler. de pœn. Cleric.* §. 45. *num.* 2. imò quòd excedat omnia alia crimina præter crimen læsæ majestatis, ex Bartol. censuit Graff. *consil. lib.* 5. *par.* 2. *tit. de priv. consil.* 2. *diffic.* 2. *num.* 3. & 4.

Cæterùm regulare est in delictis mixti fori, quòd absolutus à Curia laica, quæ prævenit, non debet ampliùs à Curia Ecclesiastica molestari, Sperell *decis.* 4. *num.* 4. & hanc opinionem sequuta est *Sac. Congreg. Immun. in una Nucerina* 8. *Julii* 1687. *lib. Dec. Martell. pag.* 130. Et vice versa absolutus à Curia Episcopali, non potest ampliùs à Curia laica, molestari, etiamsi non intercesserit captura Rei, ut declaravit eadem *S. Congr. in Perusina* 30. *Septembris* 1614. *lib.* 3. *Decret. Vallem. pag.* 619. Quod tamen intelligendum venit, ubi Judex Laicus, & Ecclesiasticus sunt ejusdem Monarchiæ, nam si essent sub diversis Principibus, constituti, quilibet eorum procederet nulla habita ratione præventionis factæ per alium, ut observat Tondut. *de prævent. par.* 2. *cap.* 32. *num.* 27.

De excommunicatione contenta in cap. noverit, &c. gravem de sentent. excomm.

Tradit antiquitas, quòd laici oppidè Clericis infesti sunt: ideoque sæpè oneribus, & gravaminibus directè, vel indirectè eos subjicere moliuntur. Quare cùm Episcopus in sua Diœcesi hoc attentari perspexerit, sivè Edictis, sivè Statutis, quibus ut plurimum libertas Ecclesiastica lædi solet; contra violatores procedere non negligat, & immunitatem Clericorum juxta Canonum instituta tueatur. Et si Statuto, vel Edicto laicorum v. g. prohibeatur, quòd nemo ex habitatoribus, & incolis Civitatis, aut alterius loci, possit molere frumentum, vel olivas macinare, nisi in certis molendinis ipsorum laicorum: debet judicialiter monere, quos oportet Consiliarios, seu Officiales de regimine sub pœna denunciationis excommunicationis incursæ, *ad faciendam declarationem*; *Statutum*, *sivè Edictum non comprehendere Ecclesiasticos*, *neque eorum Molendina*, & quatenus in termino ab eo præfiniendo illam facere recusent, in excommunicationem eos incidisse declaret modo sequenti.

Sententiæ Declaratoriæ.

F O R M U L A V.

Visa particula Statuti laicalis hujus Civitatis N. in Actis per Promotorem Fiscalem nostræ Curiæ exhibita (sivè viso Edicto gubernii laicorum evulgato), quo prohibetur Incolis omnibus, & universis, ne audeant sub pœna ... frumentum, molere, aut olivas macinare facere, nisi in certis molendinis ipsorum laicorum, visaque monitione *sub pœna denunciationis excommunicationis* incursæ per nos facta, & contra N. N. & N. N. hujus Civitatis Consiliarios (sive Syndicos, sivè Consules, sivè Priores, sivè Confalonerios) legitimè executa, *ad faciendam declarationem*, Statutum præfatum (seu Edictum) hac in Parte non comprehendere personas Ecclesiasticas, neque eorum molendina,

quam

quam in termino eis à nobis præscripto facere noluerunt, & allegata per eundem nostrum Promotorem *eorum contumacia*, dicimus, & declaramus, memoratum Statutum (sivè Edictum) *tanquam læsivum*, & subversivum immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ *esse nullum*, & invalidum, nec observandum, & prædictos N. & N. qui dictam declarationem facere renuerunt, imò d. Statutum (sivè Edictum) servare volunt, & fecerunt, incurrisse excommunicationem majorem contentam *in cap. noverit, & cap. gravem de sent. excomm.* & esse publicè denunciandos per affixionem Cedulonum, prout denunciari mandamus omni, &c.

N. Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli.

N. *Actuarius*.

SUMMARIUM.

1 *Pœna excommunicationis est comminanda in monitione, aliàs reus non sit contumax.*

2 *Laici statuentes contra libertatem Ecclesiasticam, tenentur sub pœna excommunicationis declarare, statutum non comprehendere Ecclesiasticos.*

3 *Episcopi in causis libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ procedit jure suo ordinario non obstante impedimento, sivè inhibitione Metropolitani, aut A.C. & non obstante appellatione ad Papam.*

4 *Intellige quando excessus est notorius, & nullo casu licitus.*

5 *In casibus dubiis à declaratoria censurarum incursarum ob violatam immunitatem datur appellatio ad utrumque effectum.*

6 *Declaratoria item est nulla, quando prima citatio fuit circumducta, & absque alia citatione proceditur ad censuras.*

7 *Statuta, sive edicta laicorum, quando dicantur lædere libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam, ostenditur, & num* 8.

9 *Statuta, sivè Edicta laicorum servanda non sunt à Clericis, etiamsi respiciant publicam utilitatem.*

10 *Statuta, sivè Edicta ubi notoriè sunt contra immunitatem Ecclesiasticam ab Episcopo nulla sunt declaranda.*

11 *Episcopus in causis gravioribus immunitatis Ecclesiasticæ, ubi casus patitur dilationem, debet petere consilium à S. Congregatione, & affertur monitum Bellarmini.*

12 *Absolutio à censuris ob violatam immunitatem Ecclesiasticam à solo Papa conceditur, & dari potest, & num.* 13. & 14.

15 *Episcopus non obstante inhibitione, seù absolutione A. D. procedit contra lædentes immunitatem, & redditur ratio.*

16 *Episcopus in causis immunitatis Ecclesiasticæ non potest allegari suspectus.*

17 *Episcopus in eisdem causis pro Decreto absolutionis nihil percipere debet, exceptis actis Curiæ.*

18 *Magnates, & Magistratus laici, molestantes, & carcerantes indirectè Parentes, vel consanguineos Ecclesiasticorum, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt.*

19 *Censuræ sunt aggravandæ, & reaggravandæ, quando rei, & lædentes immunitatem non resipiscunt.*

Aggravatio Censurarum quomodo fiat, ostenditur Ibidem.

De-

Denunciationis Excommunicationis.

FORMULA VI.

HIC auctoritate Ordinaria denunciantur excommunicati excommunicatione majori N.&N. ex eo quia per nos legitimè moniti sub pœna declaratoriæ excommunicationis, ad faciendam declarationem, quòd Statutum laicale (sivè Edictum) quo prohibetur Incolis, & habitatoribus hujus Civitatis, nè molere faciant frumentum, nec olivas macinare, nisi in certis molendinis ipsorum laicorum, non comprehendat personas Ecclesiasticas, neque eorum molendina, illam in termino à nobis eis præfixo cum maxima immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ læsione, & injuria, facere noluerunt. Ut igitur ab omnibus vitentur, præsentes affigi, & publicari jussimus, & tanquam violatores Immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ tamdiù excommunicati existant, donec, facta valida declaratione, *à Sede Apostolica absolutionem meruerint obtinere*. Datum, &c.

N. Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

VEL

CON autorità ordinaria si denunciano scomunicati di scomunica maggiore N.N.& N.N. perchè essendo da noi legitimamente stati citati sotto pena d'essere denunciati scommunicati, à dichiarare in forma valida, che lo Statuto laicale, nel quale si proibisce à gli habitanti di questa Città universalmente di poter macinare grano, ò Olive in altri molini, che in quelli della stessa Città sotto pena di .·. non comprenda gli Ecclesiastici, ne li loro molini, hanno con gran danno, lesione, & ingiuria dell'Immunità, e libertà Ecclesiastica ricusato, e negato di farla nel termine da noi paternamente prescrittoli: acciochè dunque siano da tutti evitatti, e fuggiti, si sono pubblicati i presenti Cedoloni, e come violatori della libertà Ecclesiastica, staranno così scommunicati, fin tanto, che fatta ch'haveranno la detta dichiarazione, siano assoluti dalla Sede Apostolica. Data, &c.

N. Vic. Gen.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 *SUB POENA DENUNCIATIONIS EXCOMMUNICATIONIS*. Hoc dicitur in declaratoria ad demonstrandum, quòd in exequutione monitionis servata fuit forma legitima, quæ servanda est in pœnis spiritualibus ferendis: debet enim excommunicatio comminari; aliàs reus non constituitur verus contumax, & inobediens, ut tradunt Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 14. Bellett. *disquis. cleric. de favor. can.* §. 4. *num.* 47. Guazin. jun. *ad defens. anim. lib.* 2. *def.* 6. *cap.* 41. *num.* 34.

Ad faciendum declarationem. Suppo- 2 sito

fito enim, quòd Statutum, sivè Edictum sit generale, & indefinitum, ex eo quia Ecclesiastici justè timent facto vexari posse; laici conveniri debent, ut declarent, illud non ligare, neque comprehendere Clericos, & ad id cogi possunt, Barbos. *dec. Apost. collect.* 442. *num.* 7. Nicol. *in flosc. verb. laicus num.* 4. & alii ab eis allegati. Quæ conclusio de plano procedit in casu expresso nostræ declaratoriæ, in qua cùm Statutum, sivè Edictum prohibens macinare frumentum, sivè olivas nisi in certis molendinis, sit contrà libertatem Ecclesiasticam, prout decisum jam fuit à *Sacr. Congreg. Immunit.* in *Baren. Terræ Modugni* 17. *Septembris* 1634. *lib. decr. fol.* 200. certum est, quòd laici, qui talia prohibent, tenentur declarationem facere, ut eadem *Sacr. Congreg.* respondit in *Firmana* Terræ *Montis Georgii* 19. *Novembris* 1630. *lib.* 2. *Dec. fol.* 65. & in *Laquedonen.* 23. *Decembre* 1636. *lib.* 3. *Dec. fol.* 59. *à tergo*: aliàs quatenus renuant, proceditur contra eos ad censuras, *eadem Sacr. Congreg. in Cefaluden.* 11. *Augusti* 1631. *d. lib.* 2. *Dec. fol.* 85. *à tergo*.

3 *Et allegata eorum contumacia*. In faciendo scilicet d. declarationem; nam etiamsi moniti comparerent, & excipiendo se excusatos prætenderent, non per hoc contumaciam purgarent: quia cùm à jure jam sint excommunicati in *d. cap. noverit*, non possunt de injustitia petitionis excipere, cùm sententia juris semper præsumatur justa: sed parere tenentur Episcopo, qui in causis violatæ immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ procedit ordinaria sua auctoritate, non attento quocunque impedimento, sivè inhibitione Metropolitani, aut A. C. ut pluries declaravit *Sac. Congr. Imm.* videlicet in *Celsonen.* 28. *Nov.* 1673. *lib.* 1. *Dec. p.* 870. *in Baren.* 28. *Jan.* 1679. *lib. Dec. p.* 1700. & *in Balneoregien.* 18. *Augusti* 1700. *lib.* 2. *Dec. Vallem.* & non obstante appellatione, *ead. Congreg. in Pisauren.* 25. *Septembr.* 1627. *lib.* 1. *Dec. pag.* 67. & *in Bisaccien.* 6. *Feb.* 1694. *lib.* 1. *Dec. par.* 102. & etiamsi appellatio esset interposita ad Papam, nam non admittitur, nisi in devolutivo, ut *eadem Congr.* respondit in *Matheranen.* 9. *Septembr.* 1631. *lib.* 2. *Dec. pag.* 89. *à tergo*, & *in Beneventana* 22. *Novemb.* 1639. *lib.* 5. *Dec. pag.* 104. Unde si Episcopus non obstante appellatione procederet ad Censuras prout tenetur, Sperell. *decis.* 181. *num.* 83. validè procederet; sic respondit d. *Sacr. Congreg. in Montis Falisci* 8. *Julii* 1687. *lib. Decr. Martell. pag.* 129. Sperell. *decis.* 48. *nu.* 42.

Hæc tamen probè intelligenda sunt, quoties excessus contra immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam, est notorius, & nullo casu licitus prout est in nostra hypothesi Sperell. *decis.* 48. *num.* 43. 44. & 45. in cæteris enim casibus dubiis regulariter à declaratoria excommunicationis incursæ ob violatam immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam, datur appellatio ad utrumque effectum, ut ex Decreto ejusdem *Congreg.* 27. *Augusti* 1650. emanato, probat Pignatell. *consult.* 60. *num.* 32. *tom.* 2. & *consult.* 19. *num.* 6c. *tom.* 6. Item censuræ essent nullæ, quando prima citatio, seu monitio, per productionem, & admissionem jurium, vel Judicis Decretum, esset circumducta, & post interpositam appellationem Episcopus sivè ejus Vicarius procederet ad denunciationem Censurarum absque nova Citatione, ut de aliis sententiis dixit Rot. *coram Greg. decis.* 140. *num.* 7. *ibique Add. num.* 16. *decis.* 339. *num.* 2. & *decis.* 457. *num.* 7. Pac. Jord. *elucubr. tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 1. *num.* 122. & in terminis censurarum pro tuitione immunitatis Ecclesiasticæ latarum, *Sacr. Congreg. Immunit. in Cisignamen.* 18. *Nov.* 1687. *lib. Decr. pag.* 181. *in Conversanen.* 10. *Febr.* 1699. *lib. Dec. pag.* 22. *Narnien.* 2. *Dec.* 1698. *lib.* 2. *Dec. pag.* 189. *à tergo*.

Tanquam læsivum, Statutum, sivè edictum, sivè Bannimentum laicorum, tunc dicitur læsivum immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, quoties aufert, Clericis, quæ eis competunt, vel prohibetur, aut impeditur uti rebus, facultatibus, & privilegiis sibi de jure naturæ, Civili, & Canonico concessis, Innoc. in *hoc cap. noverit*, Sperell. *decis.* 12. *num.* 39. & 45. Bellet. *disq. cler. de exemp. Cleric. à Stat. Secul.* §. 1. *num.* 22. Leo *thes. for. Eccles. par.* 1. *cap.* 14. *num.* 37. 38. & 39. Panimoll. *decis.* 32. *num.* 21. 22. & 23. vel dominium, & jus, vel tollitur, vel minui-

unitur, aut restringitur, Passerin. *in cap. Statutum n.59. de haeret. in 6.* & alii multi ab eis allegati. Et non solùm quando directè, & nominatim disponit de Clericis, sed etiam quando sub generali dispositione, & sic indirectè, & in consequentiam illos comprehenderet: quia libertas Ecclesiæ neque directè, neque indirectè, & neque in totum, neque in partem à laicis lædi potest, ut probant auctoritates mox allegatæ.

8 Hocque exemplificatur in illis statutis & Edictis, quibus præcipitur, ne subditi laici contrahant cum aliis, quàm cum subditis, ne vendant, nec emant nisi à subditis: non admittantur ad successionem bonorum, & honores, nisi subditi: vel prohibetur quòd nemo extrahat frumentum à Civitate, seù Territorio, nemo vendat fructus nisi soluta certa gabella, nemo admittatur ad Clericatum, vel ædificet Ecclesiam sine licentia Domini temporalis, vel alia similia præcipiunt, vel prohibent, de quibus videri possunt Ricc. *prax. rer. for. Eccles. par.3. res.214. per tot.* Barbos. *de jur. Eccles. lib.2. cap.3. à num.*

9 192. *cum pluribus seqq.* Hæc inquam laicorum statuta, Edicta, vel Bandimenta à Clericis servanda non sunt, etiamsi aliquando essent utilia, & respicerent publicam utilitatem; nam quando talia sunt, Episcopus mediante suo Edicto publicæ utilitati providere debet, ut dixi *part.1. tit.5. adnot. ad form.17. num. 11. & part.2. tit.15. adnot. ad for.3. num.14.* ubi Decreta allegantur, & hoc idem probant aliæ auctoritates: quas cumulat Panim. *decis.32. num.27. & 28.*

10 *Esse nullum*. Sicuti quando statutum, sive Edictum laicorum prohibens emptionem, venditionem, extractionem, & alia similia fieri, est generale, & ambiguum sine expressione Ecclesiasticarum personarum, potest Episcopus illos, ad quos pertinet cogere, ut declarent non comprehendere Ecclesiasticos, eo quia de facto lædere potest Ecclesiasticam libertatem, ut probatum est supra: ita ubi notoriè est contra libertatem Ecclesiæ, ut hic, idem Episcopus, potest declarare illud esse nullum, ut benè distinguit Passer. *in cap. fin. nu.4. & 5. de immun. Eccles. in 6.* & fortiùs si de Ecclesiis vel Clericis faciat expressam mentionem, nam tunc non solùm potest, sed tenetur ad instantiam Promotoris fiscalis hanc nullitatis declarationem facere, ut mandavit fieri Sac. Cong. Immun. in *Mediol. 11. Januar.* 1633. *lib.2. Dec. pag.* 147.

Verùm Episcopus non debet ad supradicta improvidè, & festinanter procedere, sed matura deliberatione facti, loci, & personarum qualitate semper inspecta, dum periculum, damnum, vel scandalum non imminet, & casus patitur dilationem, consilium (facti narratione exposita,) à Sacr. Congregatione expostulare, nam ita faciens, consilium custodiet illum, juxta Sapientis effatum, *prov.* 3. Et in hoc meminisse juvabit monitum traditum à pio, ac doctissimo *Cardinali Bellarmino*, qui in Opusculo, cui titulus est -- *Admonitio ad Episcopum Theanensem Nepotem suum*, illum instruens de modo tuendi Ecclesiasticam libertatem, in septima admonitione, seù controversia, sic inquit: *Hæc enim videtur hoc tempore esse lapis offensionis, & petra scandali, & valdè difficilè est sic eam defendere, ut indignationem eorum (idest Principum laicorum) non incurramus, vel sic eam negligere, ut non incurramus in offensionem Dei, & ejus Vicarii. Duo in re tam ardua mihi occurrunt. Primum, ut nihil temerè, & sine maturo consilio agamus, & si nobis non adsint in præsentia viri periti, quorum consilio fidere possimus, scribamus, si tempus adest ad absentes. Alterum, ut sic vivamus, ut intelligant Principes, vel Principum administri, nos non quærere occasiones cùm illis rixandi, sed solo Dei timore, & honore duci, ut libertatem Ecclesiæ defendamus, & alioquin eorum amicitiam optare, & magnificare, & reverà conemur officiis, & beneficiis amicitiam illorum diligenter conservare, & nutrire: multa enim Principes sæculi amicis Episcopis concedunt, quæ non concederent iis, quos adversarios sibi esse sciunt, aut credunt.* Hæc Bellarminus. 11

A Sede Apostolica absolutionem meruerint obtinere. Quamquam Censura, de qua loquimur hìc, & habetur *in cap. fin. de immunit. Eccles. in 6.* non legatur reservata: adhuc tamen hodie non solùm absolvi non potest ab Episcopo; sed neque ab

A. C.

A. C. qui est judex ordinarius appellationum quæ interponuntur ad Sed. Apostolicam, tanquam reservatæ Summo Pontifici, ut pluries S.Congr. immun. declaravit, & præsertim in *Licien.*13. *April.* 1638. in qua dubio proposito per Vicarium illius loci, sic respondit — *Sacra &c. c. censuit absolutonem à censuris in causa violatæ jurisdictionis, seu immunitatis, vel libertatis Ecclesiasticæ, esse reservatam Summo Pontifici, nec ab alio posse concedi sub quocunque prætextu etiam restitutionis factæ Ecclesiæ, & opinionem contrariam esse improbatam, ideoque illa non obstante eundem Vicarium procedere debere ad fulminationem censurarum contra Violatores lib. 3. Dec. fol.* 66. *à tergo.*

13 Et proposito in eadem Congr. dubio: *An A.C possit dare absolutionem à censuris illatis in causa immunitatis, libertatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ? An etiam cætera Tribunalia Urbis* Die 4. Augusti 1626. censuit, *non posse, & resolutum fuit* in his consulere debere *Sacr. Congreg. lib.*1. *dec. fol.*10. Imò quòd neque absolutio obtenta à Sac. Pœnitentiaria suffragetur in foro externo, testatur D. Raynald. *supplem. ad c.*1. *suplem.* 6. *num.* 25.

14 Et iterum habito recursu super eodem dubio ad instantiam Episcoporum Regni Neapolitani, eadem Congregatio die 7. Maji 1643. respondit — *servandum esse Decretum editum die* 4. *Augusti* 1626. *à Sanctissimo approbatum, ut A.C. à Censuris promulgatis ex causa jurisdictionis, immunitatis, vel libertatis Ecclesiasticæ non possit absolutionem concedere, etiam cum reincidentia, uti reservatam Summo Pontifici pro tempore existenti, ideoque D. Secret. notificet A.C. lib.* 3. *Decr. fol.* 176. *à num.* 6. & sæpè alibi.

Et hinc est, quòd si A.C. Inhibitiones
15 vel absolutiones à Censuris ob causam violatæ immunitatis, aut libertatis Ecclesiasticæ concederet, illis non obstantibus Episcopus procedere validè posset; *eadem Sacr. Congreg. in Melphim.* 22. *April.* 1673. *lib.*1. *Decr. pag.*792. *& in Ravel.*30. *Augusti* 1698. *lib.*2. *Decr. pag.* 172. *à tergo*: quia in hac Materia standum est Decretis Sacr. Congreg. immun. ut ait D. Raynald. *observ. crim. supplem. ad cap.*24. *supplem.*2. *num.*116. & si judex habet dubium circa illorum interpretationem debet eandem Congreg. consulere, prout ipsa Congreg. respondit in *Mediol.* 22. *Junii* 1660. *lib. dec. Rocci p.*264.

Et nota Primò, quòd Episcopus in causis immunitatis Ecclesiasticæ non potest 16
allegari suspectus, prout eadem Congreg. olim declaravit in *Ostunen.* 20. *Martii* 1630. *lib.*2. *Decr. pag.*33. Secundò quòd pro Decreto absolutionis censuratum incursarum ob læsam immunitatem, seù li- 17
bertatem Ecclesiasticam interponendo vigore facultatis, sibi à S.Congreg. delegatæ nihil recipere debet, salvo tamen quod debetur pro reintegratione immunitatis ac pro actis Curiæ ejusd. Episcopi, *ead. Cong. in Majoricen.*14. *Apr.*1674. *lib.*1. *Dec. pag.* 924. Tertiò, quòd Baronus, Magnates, & Magistratus laici, qui indirectè carcerant, molestant, & vexant Parentes, vel consanguineos Ecclesiasticorum, incurrunt Excommunicationem, à qua ab- 18
solvi non possunt, nisi à Sede Apostolica ut declaravit *Sacr. Congr. immunit. in Ortana* 18. *Octobr.*1633. *lib.*2. *Dec. Paul. for.* 174. Leo *thes. for. Eccles. par.*3. *cap.*7. *n.*29. Quartò, quòd quando excessus prosequuntur, & rei non resipiscunt, censuræ sunt aggravandæ, & reaggravandæ, scilicèt 19
per Edictum, per publicationem à Parochis faciendam singulis diebus Dominicis inter missarum solemnia pulsatis campanis, & per concionatores ex Suggestu, & per litteras missas vicinis Episcopis, Graff. *de sent. excomm. cons.*2. *num.*3. *par.*1. *lib.*5. Gavant. *verb. excommunicatio num.*45. *S. Congr. immun. Torpien.*22. *Julii* 1630. *lib.* 2. *Dec. fol.* 53. *& in Beneventana* 20. *Jan.* 1637. *lib.*3. *fol.*22.

De excommunicatione contenta in c. nullus judicium de foro compet.

Quia non semel judices, & Magistratus laici usurpantes sibi potestatem exercendi jurisdictionem in personas Sacras, & Ecclesiasticas, eas ad Tribunal suum trahendo, judicando, carcerando, vel condemnando, irrogant injuriam Ecclesiæ, & contra jura Divina pariter, & humana Sacrilegium committunt ideòque excommunicatione, quam incurrunt, publicè sunt feriendi, præ-sertim declaratoria modo sequenti.

Sen-

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA VII.

VIsa *judiciali monitione*, requisitoria legitimè exequuta contra Judicem N. & N. Notarium illius Actuarium, & N. Carcerum laicalium Custodem, ad remittendum ad nos, & tribunal nostrum infra ∴. Clericum N. nulliter, & sacrilegè per eos in dd. suis Carceribus detentum *sub pœna publicæ denunciationis excommunicationis majoris incursæ*, visaque, & attenta eorum *damnabili contumacia* in Parendo, dicimus, & declaramus, memoratos Judicem N. Actuarium ejus N. & N. Custodem Carcerum, incurrisse excommunicationem majorem contentam in *cap. si quis suadente* 17. *quæst.*4. *& in cap. nullus Judicum de for. comp. in Bulla Cœnæ canon.*19. *& in aliis Constit. Apostolicis*, & sic Summo Pontifici reservatam: & propterea esse pubilcè declarandos, & denunciandos, prout per affixionem Cedulonum denunciari volumus, & mandamus.

N. Vic. Gen.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Qui latitat, & subterfugit citari, habetur pro citato.*
2 *Judex laicus, qui Clericum distinguit censuras plures à Sac. Canonibus inflictas ipso jure incurrit, & num.*9.
3 *Judex laicus non remittens suo Judici Clericum carceratum graviter peccat, non obstante gravitate delicti.*
4 *Judex laicus est incapax jurisdictionis spiritualis, & ideò illam præscribere non valet.*
5 *Etiam in Crimine Assassinii.*
6 *Judex, qui ob graves respectus Clericum carceratum Judici suo tradere recusat, debet saltem declarare illum retinere ad dispositionem Episcopi.*
7 *Rigor juris in quibus casibus temperetur ostenditur.*
8 *Judex laicus potest dimittere Clericum detentum innocentem absque eò quòd teneatur illum remittere suo Judici.*

Denunciationis Excommunicationis.

FORMULA VIII.

HIC auctoritate Ordinaria denunciantur, & declarantur excommunicati excommunicatione majori SS. D. N. Papæ reservata N. Judex N. Laicus, N. ejus Actuarius, & N. Carcerum Custos; ex eo quia per nos judicialiter moniti, & requisiti ad excarcerandum, & remittendum, ad nos, & nostrum Tribunal, Clericum N. in Carceribus laicis injustè, & sacrilegè detentum, illum remittere, prout juris est, & obedire noluerunt. Ut igitur ab omnibus vitentur, & præsentes publicari jussimus: & tamdiù tanquam Sacrorum Canonum, immunitatis, & jurisdictionis Ecclesiæ violatores, & perturbatores excommunicati existant, donec d. Clerici libera, & honesta dimissione, & ad Cu-

Curiam nostram remissione sequuta, meruerint à Sede Apostolica absolutionem obtinere. Datum &c.

V E L

CON autorità ordinaria si dichiarano, e denunciano scommunicati di scommunica maggiore riservata al Sommo Pontefice, N. Giudice laico, N. Notario Attuario, & N. Custode delle Carceri: perchè richiesti da noi con interpellatione giudiciale, à rimettere al nostro Tribunale il Chierico N. carcerato, e ritenuto da essi Sacrilegamente nelle loro Carceri (come è di ragione) non hanno come dovevano, e voluto rimetterlo, nè ubbidire. Accioche dunque siano da tutti fuggiti, & evitati, si sono publicati i presenti Cedoloni: & i sopra detti come violatori de Sagri Canoni, & usurpatori della giurisdizione della Chiesa, staranno così scommunicati; cioè privi del consorzio de fedeli, de Santi Sagramenti, de i Suffragi, & orazioni della Chiesa, e privi della sepultura Ecclesiastica in caso di morte, fin tanto che non haveranno ubbidito, e sodisfatto alla Chiesa, & ottenuto dalla Sede Apostolica l'assoluzione. Data &c.

N. Vic. Gen.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 VISA JUDICIALI MONITIONE. Formulam hujus monitionis jam dedi in *par. 2. tit. 15. form. 8.* quæ si personaliter exequi non posset, utpotè quia Judex Nuncium non admitteret, vel alio modo subterfugeret citationem personalem; puta auxilio potestatis laicalis, sufficit, quòd fit ad domum solitæ residentiæ dimissa copia, vel etiam per edictum affigendum ad valvas d. Domus, ut tradunt relati à Sperell. *decis. 48. n. 34. & plurib. seqq.* hic enim habetur pro citato, *per text. in c. quoniam frequenter §. Porrò verb. impedit ut lit. non contest.*

2 *Sub pœna denunciationis excommun. incursa.* Judex enim qui personaliter Clericum distringit incurrit ipso facto excommunicationem nostri textus: nam est nonnulli DD. quos refert, & sequitur. Barb. *in eod. c. nullus* teneant, quòd hæc censura non sit latæ, sed ferendæ sententiæ: verior tamen sententia est, quòd ipso iure incurratur, quia ita per alium *text. in c. nuper 29. de sent. excom.* expressè declaratur, ut benè advertit Pirhing. *in jus can. lib. 2. tit. 2. num. 82. notab. 3.* cùm quo convenit Fagnan. *in d. c. nullus num 13.* Et præter hanc censuram incurrit alteram *can. si quis suadente* Fagnan. *ibi n. 12.* Graff. *de effect. Cleric. effect. 1. num. 221.* Guaz. jun. *ad defens. anim. lib. 2. defens. 1. cap. 13. n. 90.* & alii à me allegati *d. par. 2. annot. ad d. form. 8. num. 6.* Item incurrere etiam censuram Bullæ Cœnæ, non ambigitur, ut clarè demonstrat Fagnan. *in d. cap. nullus n. 14. de for. comp.*

Damnabili contumacia. Debet enim Judex laicus constituto quòd carceratus est Clericus, statim illum remittere ad suum Judicem; aliàs graviter peccat, Graff. *de effect. cler. effect. 1. num. 334.* Bellet. *disq. cleric. de favor. person. §. 12. num. 7.* & hoc patet ex eo, quòd si non peccaret, tot censuras non incurreret, cùm excommunicatio non feratur ab Ecclesia sine culpa mortali. Neque excusatur Judex propter gravitatem delicti à Clerico carcerato commissi: quia pro quocunque crimine, etiam enormi, & gravissimo non est sibi subjectus: & sicuti non potest illum judicare, ita nec retinere, nisi in casibus jure expressis *in cap.*

4 *cum non ab homine de judic. & in cap. perpendimus de sent. excomm.* non obstante quacunque prætensa consuetudine, si ea sola sit, & nullo titulo, seu privilegio saltem præsumpto Sedis Apostolicæ adjuvetur, tum quia hoc secluso, laicus Judex est incapax jurisdictionis Spiritualis, & consequenter nunquam eam præscribere potest, cùm incapax possidendi, sit incapax præscribendi, *c. causam de prescript.* tum quia talis consuetudo est contra libertatem Ecclesiasticam, & est irrationabilis, ac invalida, cui sacri canones semper resistunt, ita ut nunquam præscribi possit, ut latè ostendit Pirhing. *in jus can. lib. 2. tit. 2. à num. 81. ad nu. 86.*

5 Quod procedit, & ampliatur etiam in crimine Assassinii, pro quo si clericus reperiatur carceratus per Judicem laicum, remitti oportet ad suum Judicem, qui debet ferre sententiam declaratoriam super facto, idest, quòd Clericus commiserit assassinium, ut in puncto tenet Fagnan. *in cap. contingit il 2. de sentent. excommunum. 21. 22. &* 23. Nec obstat plurium DD. opinio, quòd Clerici committentes crimen assassinii ipso facto pœnam depositionis, etiam ab ordine statim incurrant, & ammittant omne privilegium clericale; itaut possint capi, & puniri per Judicem laicum vigore *text. in cap. 1. de homicid. in 6.* quia sententia communis Canonistarum tenet, per hunc textum, Clericum de crimine assassinii culpatum, non ammittere ipso jure privilegium clericale, sed præcedere debere sententiam declaratoriam Judicis Ecclesiastici, adhoc ut Judex laicus illum capere, & punire possit, Bellet. *disqu. cler. de favor. person. §. 7. num. 6.* Barbos. *in d. c. 1. de homic. in 6. num. 14.* Pirhing. *in jus can. loco supra citato num. 26.* Passerin. *in dict. cap. 1. de homic. in 6. num 9.* ubi sic ait -- *Nec iste Clericus sic depositus ex vi assassinii potest à Judice sæculari capi, & puniri ex vi talis depositionis, sed necessaria est priùs sententia declaratoria Judicis Ecclesiastici, &c.* Vulpin. *Succ. Farinac. part. de inquisit. quæst. 8. num.* 28. ex hac Criminalistarum lucerna hæc habet -- *Clericus assassinus potest à Judice sæculari puniri, etiam absque ulla degradatione, dummodo de assassinio constet, & ubi assassinus fuerit ab Ecclesiastico Judice bannitus, diffidatus, & condemnatus.*

Verùm enim verò, si Judex laicus Clericum delinquentem in carceribus suis detentum, Judici Ecclesiastico requirenti remittere recuset ob aliquos graves respectus, & Episcopus prudentialibus motivis adactus ad publicationem Censurarum (ne eveniant majora scandala) trepidet devenire: tunc saltem omninò curare debet, ut Judex præfatus scripto declaret, *illum retinere nomine, & ad dispositionem ipsius Episcopi*, certiorata super hoc Sac. Congreg. & monitis paternaliter Judicibus, & Officialibus de censuris incursis, prout dixi *in par. 2. tit. 15. for. 8.* 6

nam rigor juris aliquando temperatur ratione locorum, aliquando ratione Causæ, aliquando ratione personæ, ut docet, & monet *gloss. in c puerit 60. verb. rigor. de sent. excom.* ac etiam quando Prælatus videt excommunicationis medicinam non esse infirmo profuturam, *c. duo dist. 13.* Si verò ipsi Judici laico constet, quòd Clericus, quem detinet carceratum, est innocens delicti, pro quo repetitur in carceribus, tunc potest illum liberum demittere absque eo quòd teneatur eum tradere Judici suo, Grass. *de effect. cleric. eff. 1. num. 1285.* 7

8

9 *Et in aliis Constitut. Apostolicis.* Idest *Honori III. Const. 1. Bullar. tom. 1. p. 43.* in qua confirmat legem Fiderici II. Imperatoris pro immunitate, & libertate Ecclesiastica emanatam, Bonifacii IX. *Const. 4. eod. tom. 1. pag. 232.* Martini V. *Const. 10. eod. tom. 1. part. 261.* Leonis X. *Const. 7. §. 40. p. 478. & Constitut. 10. §. 11. pag. 483.* Pauli V. *Const. 63. tom. 3. §. 19. pag. 252.* in quibus Judices laici perturbantes Jurisdictionem Ecclesiæ, & personas Ecclesiasticas capientes, excommunicatione majori Papæ reservata feriuntur.

De excommunicatione contenta in cap. Administratores 23. quæst. 5.

Judices, & Magistratus laici per hunc text. & per alia jura à me allegata *par. 2. tit. 15. form. 9. num. 7.* requisiti à Judice Ec-

Ecclesiastico, tenentur præstare brachium sæculare pro exequutione sententiarum, & mandatorum ejus, quòd si illud judicialiter deindè moniti concedere neglexerint, potest Episcopus, sivè alius Judex Ecclesiasticus, qui habet jurisdictionem excommunicandi, illos à communione Ecclesiæ repellere, & excommunicare. Unde si detur casus denegationis, & Episcopus judicet expedire hoc remedio uti, & eos ita compellere, factis monitionibus, deveniat ad declaratoriam modo sequenti.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA IX.

Visa *requisitione* implorationis auxilii brachii sæcularis Judici N. nomine nostro honorificè facta de, & super exequutione sententiæ (seù mandati) per nos judicialiter latæ contra N. de crimine ∴ processato, convicto, & ser. ser. condemnato: *visis monitionibus* deinde contra eundem Judicem renitentem, ad præstandum d. auxilium cum præfixione termini, & comminatione excommunicationis, legitimè exequutis, & nihil relevans, *quòd eum excusare possit* deducto, & attenta ejus culpabili negligentia, & contumacia in re gravi propter quam ea, quæ Deo sunt placita prosequi non possumus, ideò duximus *esse excommunicandum*, & à communione Ecclesiæ repellendum, prout excommunicamus, & à consortio, & à communione fidelium repellimus, separamus, donec paruerit: & auxilium præstaverit, Cedulones decernimus, & excommunicatum declarari, & denunciari, volums, & mandamus omni &c.

Ita pronunciavi ego N. Vic. Gen.

N. *Actuarius*.

SUMMARIUM.

1 *Judex laicus requisitus, si denegat suum auxilium est cogendus censuris, & num. 7.*

2 *Monitiones contra Judicem laicum, qui auxilium dare recusat, quomodo sint concipienda, ostenditur.*

3 *Unica monitio pro tribus quando sufficiat, & qua forma sit concipienda, ostenditur.*

4 *Judicis arbitrio remittitur intervallum dierum inter unam, & alteram monitionem requisitum.*

5 *Monitio facta cum termino, qui nimis arctat, est nulla.*

6 *Judex laicus in quibus casibus possit suum auxilium, sive brachium denegare, ostenditur.*

8 *Judex laicus denegans suum auxilium Judici Ecclesiastico, compellitur censuris, etiam in causis mixti fori.*

9 *Judex laicus denegans suum auxilium pro tuenda clausura Monialium, excommunicationem incurrit ipso jure.*

10 *Clerici non debent inservire Episcopo in officio Satellitum.*

11 *Clerici in civilibus de commissione Episcopi, possunt intimare mandata: Et Episcopus per modum defensionis gladio temporali uti.*

Denunciationis Excommunicationis.

FORMULA X.

HIC auctoritate Ordinaria declaratur, & denunciatur excommunicatus excommunicatione majori nobis reservata N. Judex laicus, ex eo, quia per nos honorificè requisitus, & postea judicialiter monitus ad præstandum auxilium sui brachii sæcularis pro exequutione nostræ sententiæ juridicè latæ contra N. pro ∴ illud contra juris statuta, cum maximo justitiæ, & publici boni detrimento, præstare renuit, & recusavit. Ut igitur tanquam contumax, & inobediens Ecclesiæ in re gravi, ab omnibus vitetur, præsentes publicari jussimus; & ita excommunicatus permaneat, donec parendo condignam dederit satisfactionem, & à nobis meruerit absolvi. Datum &c.

N. Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

VEL

CON autorità ordinaria si dichiara, e denuncia scommunicato di scommunica maggiore à noi reservata N. Giudice laico, perche essendo stato a nostro nome con il dovuto rispetto richiesto, e di poi anche giudizialmente interpellato, a concedere l'ajuto del suo braccio secolare per l'essecutione della sentenza giuridicamente promulgata da noi contro N. per ∴ hà contro la disposizione, e dritto legale, con gran danno e disprezzo della giustizia, e del publico bene, negato di concederlo: ed accioche come contumace e disubbidiente alla Chiesa in cosa grave sia da tutti fuggito, e vitato, si sono publicati i presenti Cedoloni; e stia scommunicato, fin tanto che averà ubbidito, e dato alla Chiesa la condegna sodisfazione, & ottenuta da noi l'assoluzione. Dato &c.

N. Vic. Gen.

Loco ✠ Sigilli.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 *VISA REQUISITIONE*. Qua forma sit facienda brachii sæcularis imploratio, jam ostendi *p.*2.*tit.*15.*for.*9. ubi *n.*8. monui, quòd Judex laicus est priùs requirendus benignè, & posteà per Censuras cogendus, si deneget auxilium, ut præter authoritatem Romaguer. *ad Synod. Gerund. lib.*5.*tit.*10. *cap.*9. *num.*23. quam ibi allegavi, docet etiam Graff. *de effect. cleric. effect.*1. *num.*1018.

2 *Visis monitionibus*. Dicitur hoc in plurali, quia secundùm litteram nostri textus admonitio debet esse trina, hæc enim vocatur legitima, *gloss. in cap. contingit il* 2. *vers. tertio de sent. excomm.* idest. Prima, ad *præstandum infra .. dies*

anxi-

auxilium brachii sæcularis pro exequutione sententiæ contra N. sub pœna excommunicationis. Secunda *ad dicendum*, *&* *allegandum infra .·. dies*, *causam quare non debeat excommunicari*. Tertia *ad comparendum infra .·. dies*, *&* *videndum*, *&* *audiendum se excommunicari*, & successivè *excommunicatum declarari*, *&* *pro excommunicato publicè denunciari*, *Cedulones decerni*, *&* *affigi per loca solita*, *&c.* ut docent Canonistæ quos refert, & sequitur Bellet. *disp. cleric. de favor. can.*§.4. *num.*22.

3 Verùm si monitiones non fierent distinctè, sed unica, quæ tres complectatur, sufficit pro validitate, juxta aliam literam *cap. constitutionem* §. *Statuimus de sentent. excomm. in* 6. nam una monitio cum intervallo aliquorum, saltem duorum dierum, habet vim trinæ monitionis, hoc est si dicatur — *Monetur N. in termino peremptorio sex dierum*, *quorum primi duo sibi assignantur ad dandum*, *&* *præstandum brachium sæculare pro exequutione Sententiæ per nos latæ contra N. sub pœna excommunicationis*, *alii duo ad dicendum*, *&* *allegandam causam quare non debeat excommunicari*, *alii verò duo ad comparendum*, *&* *videndum*, *&* *audiendum se excommunicari*, *&* *successivè pro excommunicato publicè denunciari*, *Cedulones decerni*, *&* *affigi per loca solita*, *&c.* hæc enim monitio taliter concepta æquivalet tribus, ut docent DD. *in dic. constitutione de sent. excomm. in* 6. Graff. *consil. lib.* 5. *p.* 1. *cons.*4. *num.*7. 8. *&* *seqq. de sent. excom.*

4 Temporis verò intervallum istius Canonicæ monitionis est judici arbitrarium, itaut augeri, & minui possit, pro rerum, & facti qualitate, Ricc. *prax. rec. for. Eccles.par.*3. *res.*132. *num.*3. Bellet. *disq. cler.loco supra cit.num.*23. *&* 43. *in fin.*Sperell.*decis.*48. *num.*58. *&* 59. At cautus, & circumspectus in hoc debet esse judex: nam si juxta facti, & delicti speciem, tempus præfixum, & præsertim in ex-
5 communicatione ab homine ferenda, esset nimis breve, & incongruum pro defensione citati, monitio esset nulla, tanquam nimis eum arctans, ut in causa civili minoris relevantiæ dixit Rot. coram Merl. *decis.*430. *num.*12. *&* 13.

Quod eum excusare possit. Per hujus clausulæ expressionem datur intelligi, quòd judex laicus potest aliquando justè denegare suum auxilium, v. g. si judex Ecclesiasticus requirens, fidem non faceret de processu: vel si in crimine sæculari, vel mixti fori de quo ipse judex laicus potuisset cognoscere (nam in cæteris merè Ecclesiasticis est merus executor) sententiam protulisset, sivè mandatum relaxasset juris ordine non servato, sed extrajudicialiter, & de facto processisset: vel illud quod judex Ecclesiasticus vult exequi, esset evidenter iniquum, & injustum, vel evidenter nullum dixi *evidenter*, nam si injustitia, aut nullitas esset latens, & occulta, & de ea non constaret, judex laicus in dubio debet exequi, & obedire, ut hæc declarando bene advertit Graff. *de effect. Cleric. effect.*1. *à num.* 1025. *cum pluribus seqq.* Pirhing. *in jus can. tom.*1. *tit.*31. *num.*48. cum aliis auctoritatibus allegatis *d.par.*2. *tit.*15. *ad form.* 9. *num.*4. 6

Esse excommunicandum. Licèt Gloss. hic in fine dicat, quòd judex laicus ter monitus denegans auxilium, incurrat excommunicationem ipso jure: nihilominus ut advertit Grat.an.*in cap. antecedente* §. *præterea* (& est communis opinio) censura hujus canonis non est latæ, sed ferendæ sententiæ. Quòd autem possit, & debeat judex laicus censuris compelli ad præstandum auxilium, sive brachium judici Ecclesiastico illud jure requirenti, si præstare renuat, est certum, in jure, & probant DD. *à me citati d.par.*2. *tit.*15. *ad form.*9. *num.*7. Barbos. *in cap. statuimus num.* 8. *de maledic.* & alii in magno numero cumulati à Romaguer. *in Glos.ad Synod. Gerund.lib.*5. *tit.*10. *c.*9. *num.*23. 7

Et tam pro causis merè Ecclesiasticis, quàm mixti fori, cùm enim Episcopus in omnibus delictis, in quibus secundùm juris dispositionem potest inquirere, & punire, debeat, si opus fuerit, implorare (ut delinquentium contumacia reprimatur) hujusmodi sæculare auxilium, ut habetur expressum in *cap.* 1. *de offic. ordin.* & tradit Gloss. *in c.plerisque verb. brach. secul.tit. eod. &* *in cap. quoniam*, sequitur, quòd indistinctè possit ad illud 8

præstandum compellere, Glos. *in d. c.*1. *verb. præjudicandum*, *& in cap. statuimus verb. contra eum de maledic.* Dian. *par.*1. *tract.*2. *resol.*108. scilicet censura excommunicationis, vel etiam interdicti, cum ejus arbitrio puniendus sit judex laicus, Menoch. *de arbitrar. lib.*2. *cap.*452. *num.*3. licèt praxis admittat, ut judex laicus inobediens excommunicatione plectatur donec paruerit, Ricc. *prax. rer. for. Eccles. p.*1. *post. resol.*298. *notabilia in mater. implorat. brachii n.*2. nisi ageretur de implo-
9 ratione brachii sæcularis ad tuendam clausuram monialium: quia in ea si judex sive magistratus laicus, auxilium non impenderet, esset ipso facto excommunicatus vigore *Concilii Trid. sess.*2. *cap.*5. *de regul.*
10 Quid si judex laicus non habeat familiam armatam, nec alio modo valeat auxilium imploratum præstare? an tali casu vel aliàs si brachium sæculare implorare nollet, possit Episcopus pro exequutione suorum mandatorum, uti opera Clericorum? & dicas, quod non; quia honestas ipsa Clericalis non patitur, quòd Clerici exerceant officium Satellitum, quod est infame, Sperell. *decis.*77. *num.*2. Si enim Episcopus mitteret Clericos armatos ad capiendum reos, vel pignora, esset res pessimi exempli, pluries à Sacr. Congreg. damnata, ut testantur Nicol. *lucubr. can. lib.*5. *tit.*39. *post num.*109. *ver. At Episcopus* Pignatell. *consult.*66. *num.*21. *tom.*5. Pellegr. *prax. Vicar. crim. par.*4. *sect.*8. *num.*63. Unde Præsules ab hujusmodi commissione omninò abstinere debent: quamquam in civilibus intimatio alicujus mandati, possit 11
à suo Superiore etiam Clericis committi, Rot. cor. Buratt. *decis.*176. *num.*2. imò per modum defensionis liceat Episcopo uti etiam gladio temporali, Gloss. *fin.* & DD. *in cap. dilecto de sent. excomm. in* 6.

De excommunicatione contenta in cap. diffinivit. 17. *quæst.* 4.

Frequenter de hac excommunicatione in foro Ecclesiastico contingit dubitari, & disceptari: quia frequenter confugientes ad loca Sacra, & immunia, temerè à judicibus laicis, eorumque exequutoribus absque Episcopi licentia, vi extrahuntur, Propterea constito de violenta à loco immuni extractione, Episcopus nulla interposita mora, præmissa monitione contra judicem mandantem vel approbantem, & extrahentes, ad restituendum extractum loco immuni, si parere detrectent, procedat ad declaratoriam modo sequenti.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA IX.

Visa relatione Promotoris nostri fisci *de, & super violenta extractione* N. *Confugæ laici* ab Ecclesia N. loci N. per satellites Curiæ N. facta die ..... Visa informatione capta, *& monitione exequuta* contra N. Judicem mandantem (vel approbantem) & Promotorem ejus fiscalem, & exequutores, *ad restituendum d. Ecclesia* extractum, & attenta eorum contumacia in parendo, dicimus & declaramus d. N. Judicem, promotorem ejus fiscalem, & extrahentes, de quibus in processo, damnabiliter incidisse in excommunicationem majorem contentam tam *in cap. deffinivit.*17. *quæst.*3. quàm in Constitut. 7. *Greg. XIV. cum aliis*, & esse nominatim publicè denunciandos; ideoque Cedulones decernimus affigi, ac publicari volumus, & mandamus omni, &c.

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Extrahens confugam ab Ecclesia malis artibus sine violentia incurrit excommunicationem.*

2 *Extrahens confugam ab Ecclesia auctoritate privata, an incurrat excommunicationem, ostenditur, & n.3.*

4 *Qui conatur extrahere, licet non sequatur extractio, censuram Bullæ Greg. XIV. incurrit.*

5 *Extractus de ordine Episcopi ad formam Bullæ, si fugam arripiat à carceribus, & iterum capiatur in loco non immuni est benè captus.*

6 *Quando est dubium, an captus gaudeat immunitate, vel est consignandus Curiæ Ecclesiasticæ, vel declarandum, quod retineatur illius nomine.*

7 *Confugæ à loco immuni extrahi non debent nisi abutantur confugio, etiamsi adsit facultas S. Congreg.*

8 *Confugæ quando dicantur abuti confugio, ostenditur exemplis.*

9 *Litteræ S.Congreg.& Statuta Religionum de non recipiendis in Monasteria hominibus facinorosis, non tollunt immunitatem.*

10 *Examen confugæ receptum in loco immuni est nullum.*

11 *Bona asportata in loco immuni sequestrari non possunt, neque auctoritate Episcopi, neque Nuncii Apostolici.*

12 *Heretici, excepto hæresis crimine gaudent immunitate.*

13 *Clerici sæculares, & Regulares etiam pro delictis Ecclesiasticis gaudent immunitate Ecclesiæ, & num. 14. 15. 16. & 17.*

18 *Monitio ad restituendum extractum qua forma sit concipienda ostenditur, & num.19.*

20 *Monitio, ubi factum est notorium, non est necessaria, præsertim in notorio facti permanentis, & num.21. Sed cautius fit illam adhibendo.*

22 *Restitutio extracti, cui sit facienda ostenditur.*

Traditur formula aggravatoria.

24 *Aggravatoria est remedium ordinarium adversus excommunicatos contumaces.*

Denunciationis.

FORMULA XII.

HIC auctoritate ordinaria declarantur, & denunciantur excommunicati, excommunicatione majori SS.D.N.Papæ reservata N. Judex laicus, & N. ejus Promotor Fiscalis: necnon N.& N. Exequutores, ex eo, quia nulla nobis facta requisitione, nec habita licentia, temerè ausi fuerunt N. laicum prætensum delinquentem, & in Ecclesia S. N. loci N. morantem, ad quam confugerat, & se receperat, capere, & inde eum extrahere, & ad Carceres adducere laicales non formidarunt. Quare ut memorati Ecclesiæ Sacrilegi, violatores ab omnibus vitentur, præsentes publicari jussimus: & tandiu excommunicati existant donec reintegrara d.Ecclesia, reportatione d.N.extracti, à Sede Apostolica absolutionem meruerint obtinere. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

V E L

CON autorità ordinaria si dichiarano, e denunciano scomunicati di scomunica maggiore riservata al Sommo Pontefice N. Giudice Laico, N. Promotor

motor Fiscale, & N. & N. Essequutori, per havere senza nostra licenza estratto violentemente dalla Chiese di S. N. del luogo N. in cui s'era rifugiato N. laico, preteso delinquente; e così estratto l'hanno condotto temerariamente legato alle Carceri laicali. Pertanto, accioche come Sacrileghi violatori dell'immunità della Chiesa, siano da tutti fuggiti, si sono publicati i presenti Cedoloni: e così stiano Scommunicati, sin tanto che reintegrata la detta Chiesa colla restitutione, e reportatione del d. estratto, meriteranno d'essere assoluti dalla Sede Apostolica. Dato &c.

N. Vescovo N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 Super violenta extractione. Exprimit hæc clausula casum minus dubitabilem, & inhæret literæ *text.in cap.inter alia de immun.* ibi – *non est violenter ab Ecclesia extrahendus*, non tamen excludit extractionem sequutam absque violentia. Nam si quis non vi, sed dolo seductione, mendaciis, vel timore incusso, ab Ecclesia quem educeret, ut caperetur, diceretur violenter extraxisse, & deberet extractus Ecclesiæ restitui, quia tunc non spontè ab Ecclesia reputatur exiisse Ricc. *prax. rer. for. Eccles. par.*2. *res.* 328. *&* 430. *per totas* Ventrigl.*p.*2. *annot.*23. §.1. *num.*41. Panimoll. *decis.* 56. *num.*25. *& trib.seq.*

2 Dubium solùm oriri potest, an ad incurrendam excommunicationem Bullæ *Greg.XIV.* requiratur, quòd extractio rei ab Ecclesia, fiat authoritate publica, vel sufficiat, quòd sequatur authoritate privata? Ventrigl.*loc.cit.num.*78. tenet cum Bonac. *tom.*3. *de excomm. in partic. extr. Bull.Cœn. disp.*2. *quæst.*3. *punct.*16. §.14. *nu.* 9. quòd illam incurrat etiam privata persona attentans præter, vel contra d.Constit.sed hæc doctrina nimis generalis indiget declaratione.

3 Aut enim privata persona extrahit vi, vel dolo confugam, adhoc ut cadat in fortiis Curiæ Sæcularis, & tunc doctrina vera est, & in his terminis loquitur Genuen. *in prax.c.*22.*nu.*6. *ab eod.*Ventrigl.*allegat.* & decretum *S.Congreg. Imm.in Theatina* 21. *Junii* 1651. *lib.*4. *Decr. pag.* 151. *quod addi potest*. Aut confugam extrahit ex alia causa, & intentione, verbi gratia, ex odio, & inimicitia, animo illum percutiendi, vel ad lares proprios reducendi, & tunc d. Censuram non incurret, quia bulla loquitur de extractione in ordine ad capturam, & carcerationem, ut advertit Guaz. jun.*ad defens. enim. lib.* 2. *defens.*1.*cap.*14. *num.*11. subjacet tamen censuræ, *d.text.cap. diffinivit* 17. *quæst.*4. prout declaravit *Sacr.Congreg. Immun.in Capuana* 2. *Maji* 1673. *lib.* 1. *Decr. pag.* 796. *& in Lucer.* 13. *Maji* 1698. *lib.* 1. *Decr. pag.* 188. à qua poterit ab Episcopo absolvi auctoritate ordinaria, ut eadem *Congreg.* respondit *in Aquinat. & Cariaten.* apud Pignatel.*consult.*59. *num.*43. *to.* 2. 1. *Octobr.*1669.

Item si quæras, an attentantes extrahere reum à loco immuni ad effectum carcerandi, non tamen sequuta vera extractione, incurrant d.Bullæ censuram, & affirmativa est responsio: licèt enim in aliis delictis non puniatur conatus, nisi sequatur effectus: tamen hic regula fallit, propter verba Bullæ §.8. ibi – *Si quis attentare præsumpserit*, & sic conatus est sub censura prohibitus Graff. *consil.lib.*3.*part.* 2. *cons.* 2. *num.* 15. *de immun. Eccles.* Bonac. *tom.*3. *de excomm. in partic. disp.* 2. *quæst.*3. *punct.* 16. §.14. *num.*4. Guaz. d. *cap.*14. *num.*10. Ventrigl. *d. annot.*33. §.2. *num.*77. 4

Notandum præterea est, quòd si extractio fieret de ordine Episcopi ad formam Bullæ, & reus extractus fugam arripe- 5

pe-

peret à Carceribus Episcopi, vel laicalibus, in quibus post extractionem detinebatur nomine Ecclesiæ: si deinde iterum capiatur in loco non immuni, erit bene captus, nec potest amplius de attentata captura excipere, quia jam expiravit articulus immunitatis, ut respondit *Sacr. Cong. Immun. in Oppiden.* 2. *Decemb.* 1661. *lib. Decr. Rocci pag.* 376. *à tergo*, *& in Montis Falisci* 15. *Julii* 1681. *lib.* 2. *Dec. pag.* 2225.

6 Notandum secundò, quòd si est dubium an extractio sit facta in loco immuni, vel non: extractus est consignandus Curiæ Ecclesiasticæ, vel Curia laica debet declarare, quòd illum retinet nomine Curiæ Episcopi, donec ipse cognoscat, *Sacr. Congr. Immun. in Mantuana* 27. *Octobr.* 1674. *lib.* 1. *Decr. pag.* 1018. *& in Neapol.* 23. *Maji* 1676. *eod. lib. pag.* 1255. Quod faciendum, & practicandum erit, quando confuga erit extractus ob prætensum delictum exceptum ead. *Sac. Congr. in Alexandr.* 1. *Decembr.* 1700. *lib.* 2. *Decr. Vallem. pag.* 220. *à tergo*.

7 Notandum tertiò, quòd Episcopus, si habeat facultatem ab eadem Congregatione extrahendi à locis immunibus confugas, etiam in casibus non exceptis, non potest illos extrahi facere, nisi abutantur confugio, ut dixi *par.* 2. *tit.* 15. *ad form.* 13. & recenter declaravit *ead. Sacr. Congreg. in Januen.* 8. *Januarii* 1695. *& in Recineten.* 18. *Julii* 1698. Si verò abutantur confugio, & de hoc constet Episcopo etiam extrajudicialiter, poterit tunc eos extrahi facere cum debita decentia, & deinde conficere processum, & ad dictam Congregationem transmittere, eadem *Sac. Congreg. in Brugnaten.* 6. *Martii & in Placentin.* 21. *Aprilis* 1694. *lib.* 1. *Decr. Vallen. pag.* 107. *à tergo & pag.* 117.

8 Dicuntur autem abuti confugio, quando perturbant exercitia Spiritualia Ministrorum Ecclesiæ *Sacr. Congreg. Immun. in Rossanen.* 5. *Novemb.* 1665. *lib.* 1. *Decr. Altov. pag.* 168. *& in Urbinaten.* 18. *Junii* 1669. *dict. lib.* 1. *pag.* 169. Quando in spretum justitiæ, exeunt in publicas vias, *ead. Sac. Cong. in Perusina* 27. *Jan.* 1677. *lib.* 2. *Decr. Altov. pag.* 1336. Quandò incutiunt timorem suis minis, vel frequenter, & temerariè exeunt in vicinos habitatores ead. *Sacr. Congreg. in Spoletana* 8. *Martii* 1681. *lib.* 2. *dec. Altov. pag.* 2163. Quando in locis immunibus tenent ludos publicos, *ead. Sac. Congreg. in Pisauren.* 13. *Januar.* 1674. *lib.* 1. *Decr. Altov. pag.* 886. Vel committunt scandala, & alia indigna, Nicol. *lucubr. civil. lib.* 1. *tit.* 8. *de immun. Eccles. num.* 35. *vers. Similiter*.

Notandum quartò, quòd litteræ Sacr. Congreg. Episcop. & Regular. quas referunt, per extensum Pax Jordan. *elucubr. tom.* 2. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 233. & Lantusch. *in Theatr. Regul. verb. Bannitus*; nec non Statuta nonnullarum Religionum etiam Sede Apostolica approbata, quibus prohibetur receptio Bannitorum, latronum, & facinorosorum hominum, non tollunt immunitatem, sed tantùm prohibent Superioribus Conventuum, nè illos recipiant, seu pœnis ipsis receptoribus ibi inflictis, seu infligendis: Unde si fuerint recepti, non potuerunt è locis immunibus extrahi, sine læsione immunitatis, & incursu censurarum, Jord. *ibi num.* 225. Ventrigl. *d. annot.* 23. §. 1. *num.* 36. 9

Notandum quintò, quòd Judices, & complices laici, non solùm per violentam extractionem confugæ à loco immuni; sed etiamsi illius examen (quod nullum est) in Ecclesia, vel alio loco immuni reciperent, censuras incurrerent, ut pluries declaravit *d. Sacr. Congreg. Immun.* & in specie in *Sagonen.* 16. *Septembr.* 1630. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 59. *à terg. in Nucerin.* 1. *Septemb.* 1671. *lib.* 1. *Alt. pag.* 592. *& in Pisaurien.* 26. *Martii* 1658. *lib. Decr. Rocci pag.* 80. in qua dictum fuit hoc procedere, etiamsi Superior loci immunis permisisset. 10

Notandum sextò, quòd non solùm à loco immuni vetita est extractio confugæ, sed nec bona ibi asportata possunt sequestrari, neque auctoritate Episcopi, neque auctoritate Nuncii Apostolici, ut respondit *ead. Sacr. Congr. in Taurinen.* 28. *Novembr.* 1634. *lib.* 2. *Decr. Paul. pag.* 208. 11

Notandum septimò, quòd si confuga extractus, esset Hæreticus, loco immuni restituendus veniret: nam hic, excepto hæresis crimine, si ad Ecclesiam confugiat 12

fugiat pro aliis delictis non exceptis, gaudet immunitate, juxta veriorem Sententiam, quam sequuntur Pad. Jord. *lucubr. tom.2. lib.11. tit.3. num.* 379. Pignatell. *consult.*10. *num.*2. *&* 3. *tom.9.*

13 *N. Confuga laici*. Cohærendo Bullæ Greg. XIV. exprimitur hic laicus, quia in ea solùm de laicis explicita fit mentio: & etiam quia supponitur, quòd delinquens sit laicus, & quòd à suo Judice cui subest persequatur. Cæterùm loci immunitas suffragatur etiam Clericis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, si non vigore d.Bullæ Greg.XIV. (quæ non tollit; sed roborat immunitatem,) certè vigore Sacr. Canonum, hoc est *c. miror, c. reum, c. diffinivit* 17. *quæst.*4, *& cap. inter alia de immun. Eccl.* retenta tamen modificatione quoad Regulares, de qua loquutus sum *par.*1. *tit.*5. *ad form.*8. *nu.* 12. & advertit quoque Nicol.*lucubr.civil. lib.*1. *tit.* 8. *de immun. Eccles. num.* 35. *vers.*10. *excipiuntur*.

14 Sententia enim Abbat. *in d.cap. inter alia* antesignani, & Assectatum, qui tenent, quòd pro delictis à jure, vel à Bulla non exceptis, possint personæ Ecclesiasticæ de mandato suorum Superiorum extrahi ab Ecclesia, ad quam confugiunt, ex quo canones, & Bulla loquantur de laicis; non est in praxi recepta, nec sequenda non obstante, si fortè adesset in aliquo loco consuetudo, quia canones supra citati universaliter loquuntur, ut de magis communi concludunt Barb. *de jur. Eccles. lib.*2. *cap.*3. *num.*137. *& seq.* Pac.Jord.*elucubr. tom.*2. *lib.*11. *tit.*3. *num.*215. *&* 216. Nicol. *lucubr.civil.lib.*1.*tit.*8. *de immun.Eccl.num.* 35. Ventrigl. *in prax.part.*2. *annot.*23. §. 1. *num.*28.*& seqq.*Sabell.*sum. divers.tract. verb. immunitas num.*20. *vers.alii tamen*, Raynald. *resol. crim. tom.*1. *cap.*1. §.11. *num.*57.& alii *in dict. part.*1.*tit.*6. *ad form.* 8. *num.*2. allegati.

15 Quòd si Episcopus contrariam opinionem ad praxim deduceret, Clericos, qui ad loca immunia confugiunt pro delictis non exceptis extrahi faciendo, non delinqueret contra Bullam Gregorii, sed contrairet Sac. Canonibus, & censuram *d. cap. diffinivit* 17. *quæst.* 4. incurreret: textus enim loquitur indefinitè, & universaliter ibi -- *nullus audeat confugientes ad Ecclesiam inde abstrahere:* & infra ibi -- *si quis hoc decretum tentaverit violare, &c.* quæ verba sunt adeò generalia, ut non solùm personæ privatæ, sed quæcunque aliæ in dignitate constitutæ comprehendantur, & inhibeantur, Paris. *de confid. benefic. qu.*27. *num.*23. & in terminis nostris observat Nicol. *loco supra citato d. num.* 35. *vers. ego pro limitatione*. Unde quando Episcopus ad exemplum, & pro bono disciplinæ Ecclesiasticæ vult Clericos delinquentes ab Ecclesiis extrahere, debet ad Sacr.Congreg.recurrere, quæ solet facultatem concedere arbitrio Episcopi, dummodo extrahat ad simplicem correctionem, & puniat pœna carceris, vel simili: ut sub ista conditione concessit Episcopo Cathacen. 1. *Septembr.* 1634. *lib.*2. *Decr.fol.*207. *à tergo, & in Neapolit.* Nuncio Apostolico 22. *Febr.*1640. *lib.*3. *Dec. pag.*112. 16 17

Et monitione exequuta. Monitio in hac subjecta materia extractionis, concipi poterit modo sequenti: *Citetur* N. *ad restituendum Ecclesiæ S.N.à qua fuit violenter extractus B. ipsamque reintegrandam, aliàs ad comparendum legitimè infra triduum* (vel intra tot horas,) *quorum primus proprima, reliqui duo pro secunda, & tertia, ac ultima, & peremptoria dilatione, & termino sub insignantur, & deducendum quidquid vult, & potest, & allegandum causam quare non debeat declarari incidisse in excommunicationem majorem latam in Const. Gregor.XIV. super immunitate Ecclesiarum edita, & in aliis Sacr. Canonum, Conciliorum, & aliorum Summor.Pontific.Sanctionibus contentam; quo termino elapso, & dicta Ecclesia per restitutionem dict.B.extracti non reintegrata, & nihil quod relevet deducto, die immediatè sequenti (vel hora) compareat ad videndum se declarari excommunicatum, & pro excommunicato publicè denunciari, Cedulones decerni, & affigi per loca solita Civitatis, ipso ulterius non monito, neque citato, nisi quatenus opus fuerit, & ad valvas Ecclesiæ Cathedralis, &c.* 18

Monitione exequuta, & elapso termino præfixo, si Ecclesia non fuerit reintegrata, vel saltem declaratum, extra- 19

ctum

ctum retineri nomine Ecclesiæ, juxta supra deducta, Promotore Fisci instante, proceditur ad declaratoriam, & affixionem Cedulonum, ut tradunt Genuen. *in prax. c. mihi* 28. *n.* 20. Bellet. *disq. cler. de favor. can.* §. 4. *n.* 25: Sperel. *decis.* 48. *num.* 1.

20 Si verò excessus est notorius, monitio poterit omitti, & sine ea validè procedi ad declaratoriam, & denunciationem excommunicationis jam latæ à jure, ut communiter docent DD. mox citati, nempè Genuen. *n.* 16. Bellet. *n.* 26. Sperell. *num.* 52. & 53. & est glos. notabilis *in c. cum sit romana* §. *fil. verb. irrequisitum de appel.* præsertim cùm hic agatur de notorio facti permanentis nunc casu liciti, nempè de retentione extracti in carceribus, quod non est juris ordine probandum nec admitti appellationem, nec excusationem Sperel. *d. decis.* 48. *num.* 41. 42. & 45.

21 Panimoll. *decis.* 96. *num.* 16. & *seqq.* Graff. *de sent. excomm. cons.* 27. *nu.* 3. *p.* 1. & probatum fuit suprà ad *form.* 6. Cautiùs tamen agendo, & ad servandum ordinem judiciarium, melius est, quòd etiam in facto notorio præcedat monitio, licèt non sit necessaria pro actus validitate: quia Judex laicus monitus, etiam in notoriis potest satisfacere, & corrigere se.

22 *Ad restituendum dict. Ecclesiæ.* Dubium hic oritur, cui sit facienda restitutio extracti: Bonac. *tom.* 2. *in primo præcep. decal. disp.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 3. *num.* 14. & *tom.* 3. *de excomm. extr. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 16. §. 3. *num.* 14. tenet, quòd violator immunitatis per distractionem delinquentis à loco Sacro, satisfaciat restituendo extractum eidem, vel alteri Ecclesiæ, in qua æquè tutus esse possit: vel etiam restituendo Episcopo, vel ejus Vicario: Barbos. verò *de jur. Eccles. lib.* 2. *c.* 3. *num.* 54. dicit quòd sit facienda eidem Ecclesiæ, & non sufficiat, quòd fiat alteri, & alii adhæret Pignatell. *consul.* 172. *num.* 10. *tom.* 1. ubi plura Decreta hanc secundam opinionem roborantia refert: & hanc amplectendo existimo, quòd si Judex laicus monitus restituat extractum liberè Episcopo, vel ejus Vicario ad effectum non ut carceret, sed ut eum in Ecclesia reponat, non sit procedendum ad publicationem Censurarum, sed supersedendum certiorata Sacr. Congregatione, donec habeatur responsum: nam hic dicitur Ecclesiæ obediens; dum extractum illæsum revocat, quem irreligiosè ab ea rapuit, ut jubet D. August. *in cap. minor.* 17. *quæst.* 4. & illum restituendo Episcopo, Ecclesiæ restituisse dicitur, ut in terminis plura jura cumulando firmat Genuen. *in prax. cap. mihi* 21. *num.* 8. Unde data satisfactione arbitrio ejusdem Sac. Congr. pro offensa, erit absolvendus.

Alia plura de valida, & juridica extractione Confugientium ad Ecclesias, de casibus exceptis, & de privilegio immunitatis gaudentibus, vide *in par.* 1. *tit.* 6. *ad form.* 8. & *in Appendic. ad Bull. Gregor. XIV. pag.* 286. & *par.* 2. *tit.* 15. *ad form.* 13. & *form.* 14. *per tot.*

Si autem excommunicati denunciati, non curent absolvi, tunc erit procedendum contra eos ad aggravatoriam, quæ modo sequenti erit concipienda. 23

FORMULA AGGRAVATORIÆ.

N. Episcopus N.

CUM infrascripti absque Ecclesiastica auctoritate temerè N. Confugam ab Ecclesia N. violenter extraxerint, & illum d. Ecclesiæ per nos moniti restituere renuentes excommunicationem Papæ reservatam incurrerint, & ideo per nos ritè sub die ... per affixionem Cedulonum publicè excommunicati declarati fuerint, & adhuc damnabiliter parere, & absolvi non curent: idcircò cupientes Nos ut resipiscant, & exeant à peccato, dictam excommunicationem aggravantes, per præsentes committimus, & mandamus omnibus, & singulis Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus nostræ jurisdictioni subjectis, ut

per

per seipsos, vel per alios, singulis diebus Dominicis, & festis diebus pulsatis Campanis, & candelis accensis, & deinde pedibus conculcatis, & extinctis, usque ad restitutionem, & satisfactionem condignam inter missarum solemnia publicè populo eos excommmunicatos denuncient, & ab omnibus evitari faciant. Processuri ad graviora contra ipsos, prout proterviam, & contumaciam exigere videbimus eorundem. Datum &c.

N. Episcopus N.

N. *Actuarius.*

Nomina Excommunicator.

N. N.
N. N.
N. N.

Hoc etenim, præter novam reaffixionem Cedulonum, est remedium ordinarium adhibendum adversùs excommunicatos contumaces, prout colligitur ex *Extravag. de decim.* & ex *Extravag. de furt.* & pluries adhiberi debere censuit *d. Sacr. Cong. Immunit.* ut in *Beneventana* 20. *Jan.* 1637. *lib.* 3. *decr. pag.* 22. & in *Nullius Canusia* 20. *Martii* 1630. *lib.* 2. *Decr. fol.* 33. *à tergo & in Marsicana* 18. *Augusti* 1637. *lib. Dec. pag.* 40. & in *Torpien.* 22. *Julii* 1630. *lib.* 2. *decis. fol.* 53. Gavant. *verb. excomm. num.* 45. Bzov. *Histor. Eccles. lib.* 13. *ad ann.* 1200. *num.* 11. vide aliam formulam quam dedi *tom* 1. *tit.* 12. *form.* 16.

De excommunicatione contenta in c. quoniam de immunit. Eccles. in 6.

Qui obtinent in prima, vel secunda instantia in causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus à Sede Apostolica Judicem in partibus delegari, aliquando vel potentia partium, vel Judicum sæcularium imperio, litteris delegationis uti impediuntur. Quare si Judex delegatus velit ad censuras procedere contra impedientes constito priùs de impedimento, & præmissa monitione juxta formulas superiùs traditas, ad declaratoriam deveniat modo sequenti:

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XIII.

Visis litteris Apostolicis per N. impetratis, & coram Nobis in forma publica, & signari solitis absque ullo vitio exhibitis, de & super introductione & cognitione Causæ (& exprimatur natura Causæ) in secunda instantia coram Nobis Judice in ejusdem litteris Delegato, inter ipsum impetrantem & N. visis juribus *ex quibus constat de impedimento* præstito per N. exequutioni, *dd. litterarum*: visa monitione contra eundem exequuta *cum insertione litterarum*; ad removendum impedimentum cum comminatione censurarum, ejusque contumacia: visa demum d. impetrantis instantia (sive Promotoris Fiscalis) pro fulminatione excommunicationis, dicimus, & declaramus, d. N. executionem litterarum Apostolicarum prædictarum impedientem, incidisse damnabili-

biliter in excommunicationem majorem contentam in *cap. quoniam de immun. Eccles. in 6.* & in Processu Bullæ Cœnæ *can. 13. 14. & 16. Papæ reservatam* & ideò esse denunciandum excommunicatum, prout denunciari volumus, *Cedulones* decernimus, & relaxamus, & affigi mandamus, omni &c.

N. Judex Delegatus Apostolicus.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Impediens executionem litterarum Apostolicarum excommunicationem incurrit.*
2 *Quis dicatur impedire ostenditur.*
3 *Qui attentat impedire, & postea ab impedimento desistit, non incurrit quia non punitur affectus, sed effectus.*
4 *Quæ expeditiones veniant sub nomine litterarum Apostolicarum ostenditur, & num. 5. & 6.*
7 *Delegatus, tenetur in citatione inserere tenorem suæ delegationis, aliàs citatum non arctabit ad comparendum,*
8 *Excommunicatus à Delegato Papæ, eo mortuo, absolvi non potest nisi à delegante, vel successore delegati.*
9 *Episcopus censuras non reservatas, non potest Papa reservare in præjudicium metropolitani, cui manus ligare non potest.*
10 *Referuntur versus, quibus exprimuntur casus in Bulla Cœna contenti.*
11 *Arma tradens infidelibus pro redemptione captivorum in modica quantitate, non incurrit censuram Bullæ.*
12 *Bannientes Episcopos ab eorum Diœcesibus, nisi sequatur effectus, censuram Bullæ, & pœnas clem. 1. de pœn. non incurrunt.*
13 *Judices laici sequestrantes fructus Beneficiorum incurrunt censuras Bullæ. Christus est Dominus bonorum Ecclesiæ, Papa Administrator, Judex laicus, qui sequestrum removere recusat, est declarandus excommunicatus.*
14 *Delegatus Papæ potest ubique suam jurisdictionem liberè exercere.*
15 *Merus executor Apostolicus excommunicare non potest.*
16 *Ordinarius non potest cedulones extra propriam Diœcesim publicare, & affigere in forma authentica sine licentia Ordinarii loci. Ordinarius loci requisitus ab excommunicante, tenetur excommunicationem publicare.*

Denunciationis.

FORMULA XIV.

HIC auctoritate Apostolica delegata declaratur, & denunciatur excommunicatus excommunicatione majori SS. D. N. Papæ reservata N. ex eo quia litteras Apostolicas in forma Brevis per N. impetrata, & in forma authentica coram nobis Judice Delegato exhibitas, super introductione, & cognitione Causæ, de qua in actis inter ipsum impetrantem, & N. vertentis, publicari, & parti intimari, aliisque quibus interest notificari prohibuit, & introductioni, & cognitioni Causæ prædictæ auctoritate sua, qua contra libertatem, & jurisdictionem Ecclesiæ damnabiliter abutitur, impedimentum dedit. Quare ut tanquam excommunicatus ab omnibus vitetur præsentes publicari jussimus: & ta-

& talis existat, donec Ecclesiæ, & parti integrè satisfecerit, & à Sede Apostolica meruerit absolutionem obtinere. Datum &c.

N. Judex Delegatus Apostolicus.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

V E L

CON autorità Apostolica delegata, si dichiara, e denuncia scommunicato di scommunica maggiore riservata al Sommo Pontefice N. N. perche havendo N. impetrato le lettere Apostoliche di delegatione in persona nostra sopra l'introduzione, e cognizione della Causa ∴ tra esso impetrante, & N. vertente in seconda instanza, hà impedito, che le dette lettere Apostoliche non siano intimate alla parte, nè notificate ad altri interessati, e che non sia avanti di Noi Delegato, introdotta, e conosciuta la detta Causa, abusandosi con tal dannabile maniera della sua autorità, contro la libertà, e giurisdizione della Chiesa. Che però accioche, come tale sia da tutti fuggito, si sono publicati i presenti Cedoloni, e starà così scommunicato, sin tanto che haverà soddisfatto intieramente alla Chiesa, & alla parte, & ottenuto dalla Sede Apostolica l'assoluzione, Dato &c.

N. Delegato Apostolico.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 EX *QUIBUS CONSTAT DE IMPEDIMENTO*. Antequam procedatur ad declaratoriam, debet constare Judici delegato de impedimento præstito exequutioni litterarum, qui autem illud præstat, nè impetrans litiget aut conveniat collitigantem coram Judice Ecclesiastico, non solùm incurrit censuram *d.c. quoniam de immun. Eccles. in 6.* sed etiam aliam contentam in Processu Bullæ Cœnæ *can.* 13. & 16. quia indirectè impedit, nè dict. Judex jurisdictione utatur, Ricc. *prax. rer. for. Eccles. par.* 5. *prax. crim. imped. exequut. litt. Apostol. resol.* 3. Dicitur autem impedire, qui lit-
2 teras publicari, intimari, fidem de illarum intimatione, & exequutione dari prohibet, sive auctoritate publica, sive privata, ut de magis communi contra Graff. *dec. aur. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 121. tenet Bonac. *de censur. Bull. Cœn. disp.* 2. *quæst.* 16. *punct.* 2. *num.* 3. & 9. Item, qui acta confici, aut confecta tradi prohibet, vel partes, Notarios, & exequutores litterarum Apostolicarum carcerat detinet, ejicit à loco, aut bonis spoliat, Ricc. *ubi sup. in prax. crim. exeqt. litter. Apostol. resolut.* 1. *per tot.* Bonac. *ibi num.* 8. Quia autem attentat impedire, & 3
postea ab impedimento voluntariè desistit, non dicitur impediisse, cùm in hac facti specie, non puniatur affectus, nisi sequatur effectus, ut in puncto respondit Ricc. *decis.* 320. *par.* 3. *num.* 1. & *per tot.* Et est regula generalis, quòd affectus seu conatus ad delinquendum, de generali

rali consuetudine non puniatur pœna ordinaria, etiam in atrocissimis, Conciol. *in addit. ad resol. crim. resol. unic. num. 1. & per tot.*

DD. Litterarum, Sub nomine litterarum Apostolicarum, quæ cadunt sub Bulla, non solùm veniunt bullatæ, quæ per viam Cancellariæ Apostolicæ expediuntur, de quibus non est dubium, sed etiam Brevia subsignata à D. Secretario Brevium sub annlo Piscatoris, vel à Cardinali Præfecto Signaturæ Justitiæ, ac Correctore minutarum contradictarum nuncupat. juxta formam præscriptam *Bulla Pii V. la 90. bullar. tom. 2.* nam hæc habent eandem virtutem, & sunt veræ litteræ Apostolicæ, Gonzal. *ad regul. 8. glos. 59. num. 16.* Tondut. *tom. 1. resol. benef. part. 2. cap. 4. §. 1. num. 4. plenè* Ros. *de exequut. litter. Apostolic. par. 2. cap. 1. num. 1. 10. 12. & 13.* Cherubin. *in comp. Bullar. ad Const. 19. Greg. XIII. Schol. 1.* Card. de Luc. *in relat. cur. disc. 7. num. 8.*

5 Item litterarum Apostolicarum nomine, veniunt litteræ Pœnitentiariæ, quæ expediuntur à summo Pœnitentiario tanquam Delegato Papæ, & cadunt sub d. Bulla, ut clarè habetur ex *Constit. Julii III. Rationi congruit la 1. §. 3. Bullar. tom. 1.* Item litteræ Sacr. Congreg. Concilii quæ de mandato Papæ scribuntur cum obligatione ad illas executioni mandandas, & observandas, etiamsi subscribantur à Cardinali Præfecto: quia tali casu Cardinales sunt Judices delegati à Papa non solùm ad declarandum, verùm etiam ad jus dicendum: secus de aliis litteris, & decretis ejusdem Congreg. quibus simpliciter locus Concilii declaratur, & explicatur, ut distinguit Bonac. *de censur. in bull. cœn. disc. 1. quæst. 14. punct. 1. num. 23.* quem sequitur Guazin. jun. *ad defens. anim. lib. 2. def. 7. cap. 54. num. 17.*

6 Nec non Brevia Indulgentiarum: habent enim requisita litterarum Apostolicarum, Card. de Luc. *in relat. Cur. de disc. 7. num. 15. & 16.* & proindè, qui illa publicari prohiberet sine suo assensu, & nisi certo pretio soluto, censuram *Bullæ Cœnæ* incurreret, ut habet in litteris Processus *Pauli III. constit. 10. Bullar. tom. 1. §. 10.* ibi --*nec non qui ne litteris & mandatis Sedis Apostolicæ gratiam, vel justitiam concernentibus &c. nonnisi habito primùm eorum beneplacito, & assensu pareatur per eorum litteras executoriales, vel alias nuncupatas, & certo pretio soluto*, & advertit Navarr. *consil. 39. num. 2. & 3. de sent. excomm.* Prædictarum autem litterarum Apostolicarum falsitas, sive suspicio falsitatis, solet desumi ex illis versibus, qui referuntur à *glos. in c. licèt de crim. fals.*

Forma stylus, filum, membrana, litera, sigillum,
Hæc sex falsata dant scripta valere pusillum.

7 *Cum insertione litterarum*. Hoc dicitur in declaratoria ad indicandum, quòd delegatus, tenetur per insertionem litterarum delegationis, ostendere citato, se esse talem, qualem se facit: aliàs enim si in citatione, copiam delegationis non insereret, illum non arctaret ad comparendum, quia non tenetur citatus credere simplici assertioni, Lelius Zecch. *de republ. Eccles. cap. 22. de judic. delegat. num. 13. vers. 5.* Ros. *de Executor. litt. Apostol. par. 2. cap. 6. num. 2. & 3.* ubi de communi testatur.

8 *Papæ reservatam*. Licèt censura supradicti *cap. quoniam de immunit. Eccles. in 6.* non sit reservata, sed à Delegato, possit absolvi recepta satisfactione: nihilominus quia impediens exequutionem litterarum Apostolicarum novo jure incurrit aliam Censuram Bullæ Cœnæ, ut præmissum est, à qua solus Papa absolvit, ideò ad eum remittitur absolvendus. Quod servandum esset etiam in casu, quo Delegatus per suam sententiam aliquem excommunicasset: nam si moreretur, nemo excommunicatum posset absolvere, nisi ipse Papa, vel Successor Delegati, si Causa commissa esset v. g. Episcopo intuitu Dignitatis (quæ nunquam moritur) non personæ: cùm enim Successor ejus, in Dignitate, succedat in onere, & honore delegationis, juxta *c. quoniam 14. de offic. deleg.* potest etiam absolvere excommunicatum à Delegato ejus antecessore, Pithing. *in jus can. lib. 1. tit. 31. num. 79.*

9 Si autem Episcopus non delegato,

sed

sed jure suo ordinario aliquem excommunicaret, & absolutionem excommunicationis Summo Pontifici reservaret (prout quendam Episcopum fecisse, & me vidisse recordor) posset Archiep. Metropolitanus in casibus à jure ei permissis, absolutionem excommunicato elargiri: nam nequit inferior per talem reservationem manus ligare, & præjudicium inferre juribus sui Superioris; prout ex Novar. *quæst. 66. lib.*1. tradit Ricc. *collect.* 2588. *ver. & quod inferior.* ipse tamen Suffraganeus, non posset amplius excommunicatos absolvere: quiā per talem reservationem juri suo renunciasset, & manus sibi ligasset: *Novar. d. quæst.* 66. *num.*1. & 13.

10 Cœteri verò casus, qui cadunt sub d. Bulla, & Papæ reservatione, continentur his versibus.

Hæretici, à Papa appellans, cum Fure Pirata.
Augens Vectigal, aut Breve falsificans.
Hostibus arma ferens, Victum quive amover Urbe.
Quos Papa, aut pietas, aut sua Causa ciet.
Præsulibus gravis, ad laicum spectantia Sacrum,
Sit Reus, aut Judex, qui trahit acta forum.
Prælati, Ecclesiævè usurpans jura, onus & qui
His statuit, capitis noscit eosque reos.
Sedis Apostolicæ Terras quique occupat atrox:
Hos omnes Domini Cœnæ Anathema ligat.

11 Quæ actiones diffusiùs explicantur à DD. qui in eam Bullam scripserunt: hìc autem hæc tria minuta collige, primò ex actione ibi -- *Hostibus arma ferens.* Quia sæpè contingit in Provinciis, & insulis proximis, & conterminis locis Turcarum, fideles in captivitatem duci, & liberari non valent, nisi ultra conventam pecuniam, bellica etiam instrumenta, & arma tradantur: quæsitum fuit ab Episcopo Jadrensi, an iste casus comprehensus remaneret sub prohibitione Bullæ: & pro non comprehensione valdè urgebat, quod majus commodum sentirent Christiani ex redemptione, quàm damnum ex delatione armorum in modica quantitate: præsertim cùm armorum traditio non fieret in odium fidei, aut lucri causa, sed ex mera necessitate redemptionis, quæ fieri permittitur delata pecunia, licèt ista inter prohibita primum locum obtineat: & proposito dubio: *An vendentes, & deferentes arma cum hoc solo fine redemptionis captivorum, incidant in casum Bullæ?* Sac. Congreg. Concilii *die* 1. *Decembris* 1696. respondit. *Negativè, dummodo modica interveniat quantitas, & aliter redemptio fieri non possit.*

Secundò ex actione ibi -- *Præsulibus gravis*: Comprehenduntur hìc ejicientes, & bannientes Episcopos ab eorum Diœcesibus, vel mandantes hoc fieri, qui non solùm d. Bullæ censuram incurrunt, sed per *Clementinam* 1. *de pœn.* eorum filii per lineam masculinam usque ad secundam generationem, inhabilitantur ad consequenda Beneficia. Verùm nec censuram Bullæ, nec pœnam Clementinæ mandantes incurrunt, nisi sequatur effectus, ut de prima docet Sayr. *de censur. lib.*3. *cap.* 15. *num.* 9. *& seqq.* & de secunda *glos. in d. Clem. verb. mandaverit* & declaravit *Sacr. Congreg. Conc. in Majoricen.* 02. *Sept.* 1696. 12

Tertiò ex actione ibi -- *Ecclesiævè usurpans jura:* hìc comprehenduntur laici sequestrantes fructus Beneficiorum, tam mandantes, quàm Ministri exequentes, Bonac. *in Bulla Cœnæ disp.* 1. *quæst.* 18. *punct.*3. *num.* 8. & 9. sapit enim impietatem quandam asserere, quòd fructus Beneficiorum, subjaceant potestati laicorum, ut inquit Navar. *consil.*3. *num.*1. *de immunit. Eccles.* nam Christus Jesus est verus Dominus bonorum Ecclesiarum, Papa autem summus Administrator, ut ex Concilio *Lateranen.* sub *Leone X.* habito, definitum habetur, quod Navar. allegat *ibid. num.*3. eosdemque si secus faciant, apud Deum se Sacrilegii reos constituere, ex Agobardo, comprobat Spondan. *in Epitom. ad annum* 823. & sæpè alibi: ideoque si Judex laicus, qui sequestrum concessit, ab Ordinario monitus pro revocatione, nollet illum revocare; erit tunc con- 13

contra eum procedendum ad declaratoriam Censurarum d. Bullæ *S. Congreg. Immun. in Alexandrina* 16. *Julii* 1627. *lib.* 1. *Dec. Paul. pag.* 55.

14 *Cedulones decernimus.* Judex Delegatus à Papa, non tantùm habet potestatem cognoscendi, & decidendi Causam sibi absolutè delegatam, sed etiam exequendi, vel alteri in loco, in quo fuit delegatus executionem committendi, eosque qui resistunt puniendi, *text. est in cap. significasti* 7. *de offic. Judic. deleg.* & sic potest liberè Cedulones relaxare, & publicare, & censuris suam jurisdictionem vindicare Ros. *de execut. litter. Apost. par.* 2. *cap.* 6. *num.* 7. Pithing. *in jus can. lib.* 1. *tit.* 29. *num.* 92. *& trib. seqq. Sacr. Congr. Episcop. in Cusentina* 18. *Decembr.*

15 1699. Quidquid sit de mero, & nudo Exequutore sententiæ, sive gratiæ, cui sola exequutio est commissa, qui partes Judicis sibi vindicare nequit, ut advertunt DD. mox citati, & fusius examinat Navar. *tom.* 3. *comment. ad cap. cum contingat de rescript.* §. *Secunda nullitas num.* 25. *& seqq.* ubi quòd executor merus Apostolicus excomunicare non possit, nec eum posse uti clausula -- *Contradictores Ecclesiastica censura compellendo* -- Et quidquid sit de executione Sententiæ Ordinarii alterius Diœcesis, qui illam exequi, ne Cedulones in forma authentica in alieno territorio, seu Diœcesi affigere, & publicare non potest, sine licentia Ordinarii loci, ut probat Card. de Luc. *miscellan. disc.* 22. *num.* 5. sed hunc, litteris subsidialibus requirere debet, & excommunicationem ei notam facere, Graff. *consil. lib.* 5. *par.* 1. *cons.* 2. *num.* 3. *de excom.* Hic tamen habita notitia excommunicationis per litteras subsidiales, debet in sua Diœcesi excommunicationem publicare, absque eo quòd valeat cognoscere, an bene, vel malè judicatum, ut docet Piasec. *in prax. par.* 2. *cap.* 4. *art.* 13. *num.* 30.

De excommunicatione ferenda contenta in cap. quod in dubiis de sentent. excommun.

Non semel accidit, quòd homines in superbiam elati (& in *c. quoniam multos* 11. *quæst.* 3. non comprehensi) clavibus, & potestate Ecclesiæ contemptis, communicent scienter cum publicè excommunicatis; & cùm hoc à Præsulibus non sit tolerandum, ideo si adhibitis prius Paternis monitionibus, non prodest, ut hi resipiscant, non pareat abscissio; & præmissa canonica monitione, procedatur ad declaratoriam sequentem.

Sententiæ Declaratoriæ

FORMULA XV.

VIsa relatione nostri Promotoris Fiscalis, *& informatione capta*, & desuper communicatione N. tùm locutione, tùm mensa scienter cum B. publicè, & solemniter excommunicato *(cui nullum familiare obsequium de jure præstare tenetur, visa monitione canonica* contra eum exequuta, ut abstineret à participatione, sub pœna excommunicationis majoris; quia parere detractat, & ex hoc d. excommunicatus, *fortiùs induréscit*, statuimus eundem participantem (vel participantes, si sint plures) *consimili damnare censura*: prout per præsentem nostram sententiam declaratoriam ipsum N. excommunicamus, & excommunicatum declaramus, Cedulones contra eum decernimus, & relaxamus, & publicè denunciari volumus, & mandamus omni &c.

N. Episcopus; sive Vic. Gen. N.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Participans cum excommunicato vitando, non potest excommunicari, nisi prius moneatur, & constet non paruisse, & num.3.*

2 *Participans cum excommunicato vitando, non incurrit si gaudet privilegio* c.quoniam multos 11. q. 3.

4 *Participantes cum excommunicato vitando in crimine damnato, sunt ipso jure excommunicati, & absque monitione, denuò excommunicari possunt.*

5 *Datur formula monitionis.*

6 *Excommunicatus, nisi ab aliis vitetur, contemnit potestatem Ecclesiæ.*

7 *Qui participat excommunicato in crimine, vel in Divinis, vel in Ecclesia contemptum semper peccat mortaliter, & ideò anathemate est feriendus.*

8 *Excommunicatio si contemnatur non est amplius pœna medicinalis, sed mortis æterna damnatio.*

9 *Persona publica si contemnat communicare cum excommunicato vitando, vel excommunicationem in se latam, Episcopus potest procedere ad Interdictum locale Generale.*

Denunciationis

FORMULA XVI.

HIc auctoritate ordinaria declaratur, & denunciatur excmmunicatus excommunicatione majori nobis reservata, N. eo quia paternaliter, & judicialiter monitus noluit abstinere à communione N. publicè, & notoriè excommunicati, imò pertinaciter cum eo participare, & potestatem Ecclesiæ contemnere non desistit. Quare præcipimus, ut ab omnibus evitetur, & excommunicatus existat, donec Ecclesiæ plenariè satisfecerit, & à nobis absolvi meruerit. Datum &c. 8

N. Episcopus, sive Vic. Gen. N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Attuario.

VEL

COn autorità ordinaria, si dichiara, e denuncia scommunicato di scommunica maggiore à noi riservata, N. per non haver voluto, benchè ammonito paternamente, e giudizialmente, astenersi dal conversare, trattare, e mangiare scientemente con N. notoriamente, e publicamente scommunicato; anzi con pertinacia, e disprezzo dell'autorità della Chiesa hà partecipato, e communicato collo stesso: Che però in vigore del presente commandiamo, che sia da tutti fuggito, vitato, e vogliamo che stia scommunicato fin tanto ch'haverà pienamente soddisfatto alla Chiesa, & ottenuta da Noi l'assoluzione. Dato &c.

N. Vescovo, ò Vic. Gen.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

A DNO-

ADNOTATIONES.

1 **E**T *INFORMATIONE CAPTA*. Hac clausula monetur Judex, ut non procedat ad declaratoriam, nisi priùs sibi constet informatione judiciali post præmissam monitionem de communicatione cum excommunicato, juxta commonitionem Glos. *in cap. statuimus* in figuratione casus *vers. & istud*, *& vers. nota unum casum de sent. excom. in* 6. Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 135.

2 *Cui nullum obsequium præstare tenetur*. Hoc dicitur ad demonstrandam exclusionem ab hac censura personarum quæ specialiter à jure excusantur à participatione in *c. quoniam multos* 103. 11. *qu.* 3. & de quibus particulariter jam actum fuit in Præludio *de effect. Excommunicat.* §. 2.

3 *Visa monitione canonica*. Licèt monitio non sit de substantia sententiæ excommunicationis, sed de justitia, *gloss. in d. cap. statuimus d. vers. nota unum casum de sent. excomm. in* 6. tamen hic est de substantia, & nisi præcedat monitio specialis, & nominatim, excommunicatio non tenet *gloss. in d. cap. quod in dubiis vers. commoniti*, & est de hoc *text. expressus in d. cap. statuimus de sent. excommun. in* 6. & excommunicans peccat mortaliter, Graff. *consil. lib.* 5. *par.* 1. *cons.* 2. *num.* 29. fallit tamen in his, qui participant in crimine damnato, propter quod vitan-

4 dus fuit excommunicatus, præbendo ei consilium, auxilium, aut favorem: tales enim in eandem incidunt excommunicationem, Navar. *commentar. tom.* 3. *in cap. cum contingat remed.* 3. *num.* 3. & sunt excommunicati ipso jure, & Judex potest illos denuo excommunicare etiam sine monitione, glos. in sæpè citato *c. statuimus in casu, vers. sed unum*, Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 135. *vers. notandum secundo*. Monitio autem sic concipi poterit.

5 *Monemus per præsentes N. ne cum B. publicè excommunicato communicet, seu participare præsumat, edendo, & bibendo, loquendo, sedendo, ambulando, aut alia vita necessaria ministrando, sub pœna excommunicationis majoris, quam elapsis sex diebus in scriptis proferemus: quorum sex dierum, duos, pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio, & peremptorio termino assignamus eidem, ipso ulterius non monito &c.* quam formulam dat *gloss. in d. cap. statuimus* loco proximè citato.

Fortius indurescit. Quando excommunicatus videt se admitti ad omnes actus cum aliis fidelibus, non curat excommunicationem, quia hæc tunc non est illi gravis, ideo contemnit auctoritatem, & Claves Ecclesiæ: at verò cùm videt se ab aliis vitari, deposita contumacia, seu inobedientia, revertitur ad gremium Ecclesiæ, quia communionem non habere, & inter homines esse, est gravis pœna, ut benè observat *gloss. in d. c. statuimus de sent. excom. in* 6. 6

Consimili damnare censura. Quicunque in prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem, & ipse simili excommunicationi subjacere debet, *c. sicut Apostolis cum aliis trib. seqq.* 11. *qu.* 3. *d. c. quod in dubiis de sent. excomm.* Quia, qui participat excommunicato in crimine, vel in Divinis, vel in Ecclesiæ contemptum, semper peccat mortaliter, D. Thom. *in Sum. supplem.* 3. *par. quest.* 23. *art.* 3. *vol.* 1. Unde, qui monitus nominatim, ut à communione cum excommunicato desistat, perseverat in communione, & non desistit, tunc ratione contumaciæ, & tanquam faciens contra præceptum Superioris, est anathemate feriendus, ut contemptor Ecclesiæ, *glos. in d. cap. quod dubiis verb. innodandi*, Graff. *d. cons.* 2. *num.* 26. *par.* 1. *de sent. excom.* Quoties enim excommunicatio contemnitur, non est amplius pœna medicinalis, ut inquit D. Augustinus *in cap. multis* 2. *qu.* 1. sed evadit mortis æternæ damnatio, ut explicat *glos. in c. nemo Episcoporum* 11. *q.* 3. & hinc infertur innegabiliter, quòd quamvis participare excommunicato, sit peccatum veniale generaliter loquendo, tamen participare pertinaciter est peccatum mortale, propter quod potest aliquis excommunicari, ut benè concludit D. Thom. loco supra citato *ad quartum* immò & aliis pœnis puniri, Rot. *cor. Cerr. decis.* 191. *num.* 13. 7 8

Addo, quòd si participans Excommunicato, esset persona publica, v. g. Prætor, Gubernator, Rector Universitatis, vel loci Dominus, qui excommunicationem in vitandum, vel etiam in se latam contemneret, & parvi faceret, posset Episcopus ad interdictum generale locale procedere, juxta Sanctionem Concilii Basiliensis, hac in parte à Nicolao Papa V. confirmati *sess.* 20. de quo testatur Guazzin.jun. *in tract.ad defens. animar. lib.2. defens.6. cap.43. num.* 40. ubi verba Decreti Concilii refert: causa enim immediata, & propinqua hujus interdicti est contemptus excommunicationis, ut advertit Monet. *de decim. c.9. qu.5. num.* 244. & 245. & dicam infra *tit.*3.

De Excommunicatione ferenda contenta in cap. omnes Decima 16. quæst. 7.

Decimas, (si sunt necessariæ, pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ) jure Divino deberi, Canonistæ, & Theologi simul concordant, quos refert Monet. *de decim.cap.1. quæst. 2. num.* 27. & 36. licèt quoad modum,& quantitatem solvendam, jure humano Ecclesiastico solvantur. Ubi igitur Parochiani, qui illas solvere tenentur, post monitionem solvere recusant, procedendum erit ad declaratoriam modo sequenti.

Sententiæ Declaratoriæ

FORMULA XVII.

V*Isa comparitione, & instantia* R.P.D.Rectoris, & Parochi Ecclesiæ Parochialis S.N. loci N. de super retardata solutione Decimarum prædialium (sive personalium) d.Ecclesiæ, & sibi debitarum, & solvi solitarum, ab infrascriptis Parochianis: *visis monitionibus* contra eos exequutis, & nihil in termino præfixo, quod à dictis Decimis *ipsos eximere valeat* deducto, visaque & attenta eorundem Parochianorum contumacia, dicimus, & declaramus omnes infrascriptos *esse excommunicandos*, prout præsenti nostra Sententia excommunicamus, & excommunicatos esse denunciamus, Cedulones decernimus, & relaxamus affigi volumus, & mandamus, omni &c.

N. N.
N. N.
N. N.

N. Episcopus (sivè Vic. Gen.) N.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus pro solutione Decimarum potest procedere etiam ex officio contra Debitores.*
2 *Unica monitio sufficit contra Debitores.*
3 *Traditur formula monitionis.*
4 *Solus Papa dat privilegium exemptionis à solutione Decimarum.*
5 *Consuetudo non solvendi, præscribit Decimas quando Parochus habet aliunde, & declaratur conclusio n. 6. & 7.*
8 *Transactio super Decimas an requirat confirmationem Papæ, vel sufficiat consensus Episcopi ostenditur.*
9 *Solus Parochus habet intentionem fundatam in jure exigendi Decimas.*
10 *Fallit regula tripliciter.*
11 *Non solventes Decimas sunt excommunicandi.*

Impo-

12 *Impotentes solvere, non ligat excommunicatio.*
13 *A censuris inflictis ob non solutionem Decimarum, non admittitur appellatio in suspensivo.*
14 *Episcopus contra morosos Debitores in solutione Decimarum potest invocare brachium Saculare, & alias poenas imponere.*

Denunciationis

FORMULA XVIII.

HIC auctoritate ordinaria declarantur, & denunciantur excommunicati excommunicatione majori nobis reservata omnes infrascripti, ex eo, quia judicialiter moniti ad solvendum Decimas .:.:. quas solvere solent, & tenentur, illas sine ulla rationabili excusatione, pertinaciter R. Rectori, & Parocho Ecclesiæ Parochialis S. N. solvere noluerunt. Ut igitur ab omnibus evitentur, præsentes publicari jussimus, & excommunicati existant, donec integrè Decimas solverint, & à nobis absolvi meruerint. Datum &c.

Nomina Excommunicatorum.

N. N.
N. N.
N. N.

N. Episcopus (sivè N. Vic. Gen.) N.

Loco ✠ Sigilli. *N. Actuarius.*

VEL

CON autorità ordinaria, si dichiarano, e denunciano Scommunicati di Scommunica maggiore à Noi riservata gl'infrascritti, perche citati; & ammoniti giuditialmente con prefissione di congruo termine a pagare le solite, e da loro dovute Decime di .:.:. a N. Rettore, e Parocho della Chiesa Parochiale di S. N. sotto pena di Scommunica, hanno pertinacemente ricusato di pagarle. Onde accioche da tutti siano evitati, e fuggiti, si sono publicati i presenti Cedoloni: e non saranno dalla Scommunica da Noi assoluti, fin tanto, che non haveranno pagate intieramente le dette decime. Dato &c.

Nomi degli Scommunicati.

N. N.
N. N.
N. N.

N. Vescovo (ò Vic. Gen.) N.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Actuarius.

ADNOTATIONES.

1 *Visa comparitione, & instantia*. Regulariter Episcopus non procedit ad censuras contra non solventes Decimas, nisi ille, cui debentur, compareat, & instet Debitores excommunicatione compelli. Verùm si ei liquidò constet de debito decimarum, potest etiam ex officio contra non solventes, tanquam notoriè delinquentes, sine strepitu, & figura judicii, & tam in visitatione, quàm extra, appellatione remota procedere, præsertim quando agitur, ut hìc inter Clericos, & laicos debitores *c. tua nobis* 26. *de decim.* Monet. *eod. tit. c.*8. *quæst.*6. *num.*76. *& trib. seqq.* Barb. *de offic. Paroch. cap.*28. §.4. *n.*5. *&* 6. Ricc. *dec. Cur. Archiep. Neap.* 380. *n.* 1. *par.*4.

2 *Visis monitionibus*. Dicitur in plurali, quia text. in *d. c. omnes decimæ*, dicit quòd debitores admoneantur, *semel*, *& secundò*, *& tertiò*, qui ergo litteram hujus canonis sequitur, adhibendo tres monitiones distinctas, benè facit; qui verò utitur una pro tribus, cum aliquo dierum intervallo, non est reprehendendus, quia hæc æquivalet tribus, ut supra alibi ostensum fuit. Imò DD. qui de hac censura inferenda agunt, contentantur unica monitione absque alio intervallo, nempè *glos. in Clem. dispendiosam verb. præmoniti de judic.* Monet. *loc. cit. n.*69. Barb. *n.*15. Ricc. *decis.*195. *num.*6. *par.*4. Incipiendo igitur causam à præcepto, monitio poterit concipi sic.

3 *Monentur infrascripti in termino peremptorio sex dierum, quorum primi duo ipsis assignantur ad solvendum, seu solvisse docendum (tantùm Summam Decimarum, ...) R. N. Rectori, & Parocho Ecclesiæ Parochialis S. N. sub pœna excommunicationis, alii duo, (si senserint se gravatos) ad comparendum, & docendum, &c. & allegandum causam quare, non debeant excommunicari: alii verò duo, ad videndum se excommunicari, Cedulones decerni, & relaxari, & affigi, eis amplius non monitis, instante, &c.*

Nomina citandorum.

N. N.
N. N.
N. N.

ipsos eximere valeat. Primus modus quo potest quis eximi ab onere solvendi Decimas est, Privilegium Papæ, qui solus illud concedere potest, non autem Episcopus, aut alius Prælatus inferior Barbos. *de offic. Paroc. d. c.*28. *n.*49. *& seq.* Pirhing. *in jus can. lib.*3. *tit.*30. *num.*52. 4

Secundus modus est, consuetudo, per quam non solùm quantitas potest minui, sed in totum tolli; dummodo Parochus, & alii Ministri Ecclesiæ aliundè, quàm ex decimis congruam sustentationem habeant, v.g. ex aliis redditibus Ecclesiæ, oblationibus, aut legatis piis, Barb. *de offic. paroch d. cap.*28. §.3. *num.*64. & alii communiter: quos allegat, & sequitur Pirhing. *in jus can. lib.*3. *tit.*30. *num.*126. *& seqq.* Monet. *de decim. cap.*5. *quæst.*5. *num.* 105. 5

In hoc tamen articulo consuetudinis est notandum, quòd si agatur de exemptione personæ particularis, sive Clerici sive laici, decima præscribitur per 40. annos cum bona fide, & titulo saltem colorato, vel per immemorabilem, etiam sine titulo; si verò agatur de exemptione totius Communitatis, licèt nonnulli voluerint, quòd si populus, seu Communitas fuerit in possessione immunitatis non solvendi Decimas per annos 40. bona fide, præscribat absque alio titulo, Monet. *de decim. cap.*5. *quæst.* 4. *num.* 104. verior tamen opinio est, quòd per cursum d. temporis non possit abrogare legem Decimarum absque titulo; vel sine immemorabili, ut advertit Pirhing. *loco citato num.* 131. *&* 132. Si tandem agatur inter duas Ecclesias Parochiales, ad inducendam consuetudinem sufficit decursus decennii, ut notat Monet. *d. c.*5. *num.* 102. 6

Notandum secundò, quòd lex Decimarum per præscriptionem, aut consuetudinem, nunquam abrogari potest, si Ministris Ecclesiæ desit aliundè congrua, & necessaria substentatio: quia tunc jus naturale, & Divinum, quod abrogari, nec præscribi potest, jubet, ut Decima solvatur, ut dilliguendo probant Monet. *d. dec. d. cap.*5. *quæst.* 4. *num.*90. *&* 91. Barbosa *de offic. Paroch. d. cap.*28. §.3. *num.*64. Pirhing. *in jus can. d. lib.*3. *tit.*30. *d. num.* 126. *& num.*132. 7

ver.

vers. illud hic, & sic manet libera potestas in Papa, seu Sac. Congr. Concilii præcipiendi, ut Decimæ solvantur Parocho, sive aliis Clericis, non obstante quacunque contraria Consuetudine etiam immemorabili, Pirhing. *ibid.*

8 Tertius modus, est transactio, seu amicabilis compositio inita super Decimis inter Clericos, & laicos: scilicet quòd minùs, vel ex certa specie fructuum solvantur, accedente Papæ auctoritate, *cap. 2. de transact.* aut saltem Episcopi, ut vult *glos. in d. cap. 2. ver. personam Ecclesiasticam*, Pirhing. *loco mox supra citato d. num. 133. vers. sed Cleri*. At si agatur de Decimis futuris solvendis, pro transactionis, seù compositionis securitate, & perpetuitate, securius est adhibere semper auctoritatem Papæ: quia assensus Episcopi, vel sufficit in transactione inita inter personas Ecclesiasticas, de quibus expressè, & nominatim loquitur text. in *d. cap. 2. de transact. & cap. ex multiplici ibique glos. in vers. eandem Consuetudinem de decim.* Fagnan. *in cap. cùm contingat num. 19. eod. tit.* vel personas transigentium non egreditur, ut per text. *in cap. veniens 8. transact.* animadvertit Nicol. *in flosc. ver. decima num. 7.*

9 Quartus modus se tuendi adversùs præceptum, est exceptio incompetentiæ actionis, seù juris Actoris Decimas exigendi, putà quia qui instat non est Parochus: nam illi soli Decimæ solvendæ sunt, & de jure Parocho tantùm in sua Parochia debentur, & ipse solus habet fundatam intentionem decimas percipiendi, *c. cùm contingat, & c. cum in tua de decim.* Piasec. *in prax. par. 2. c. 4. art. 9. de decim. num. 6.* Pirhing. *loco supra cit. num. 117.*

10 At regula, quæ præbet occasionem excipiendi, non excludit alias Ecclesias, nec personas Ecclesiasticas absolutè à perceptione Decimarum: & ideò regula tripliciter fallit. Primò, quando adest consuetudo legitimè præscripta, Piasec. *ibi num. 13.* Pirhing. *num. 116.* Secundò quando alicui Beneficio Ecclesiastico in prima fundatione, assignati fuerunt fructus decimales, Pirhing. *ibi n. 81.* Tertiò, quando Clerici præstant populo in spiritualibus ex obligatione alicujus officii spiritualis servitium, & coadjuvant Parochum in administratione curæ animarum, Pirhing. *ibi num. 82. Sac. Congr. Concilii in Farfen. Decimarum. 1. Septembr. 1691.* in his inquam casibus, tam Ecclesia non Parochialis, quàm alii Clerici non Parochi, jure petunt decimas, si agant contra Debitores; non tamen contra Parochum, ut advertit Piasec. *loco cit. d. n. 6.*

Esse excommunicandos. Non solvens Decimas cùm teneatur, non solùm potest, sed excommunicari debet, text. sunt clari, & aperti *in d. c. omnes decimæ 16. q. 7. c. pervenit, cap. ad hæc c. ex parte il 2. c. tua nobis c. in aliquibus de decim. clem. 2. de judic.* & novissimè *Concil. Trid. sess. 25. cap. 12. de refor.* nisi quis ob impotentiam eas solvere non valeat, Monet. *de decim. cap. 8. qu. 5. num. 64. in fin.* Pirhing. *ubi supra n. 165. circa fin.* ideoque si adesset Statutum determinans, quòd non solventes Decimas, excommunicati sint vel quòd excommunicentur, non ligaret nisi solvere valentes, non autem impotentes, Graff. *decis. aur. p. 1. lib. 4. cap. 2. num. 38.* & si excommunicatus appellet, Metropolita appellationem non debet admittere in suspensivo: quia excommunicatio hominis trahit secum executionem Sac. Congreg. Episc. in *Umbriaticen. 19. Julii 1619.* 11 12 13

Ulterius contra contumaces in solutione decimarùm, potest Episcopus invocare brachium sæculare, ut *ex glos. in d. clem. 2. de judic. docet* Ricc. *d. decis. 380. nu. 2. par. 4.* ubi in fin. concludit quòd poterit etiam morosis debitoribus imponere interdictum ubi ingressu Ecclesiæ. 14

Alia de decimis, vide *par. 2. tit. 14. ad form. 1. num. 9. ad 13.*

De excommunicatione ferenda contenta in cap. præterea 7. de usur.

Usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestatum, ubique persequendum venit, & damnandum. Quare si Episcopus alicui ex suis Diœcesanis laicis, usuras recipere, aut contractus usurarios, quasi esurienti Lupo, inire interdixerit, & ille parere contempserit, gladio excommunicationis erit astringendus, ut abstineat, ut monet hic text. præmissa Sententia declaratoria. 15

Sententiæ Declaratoriæ

FORMULA XIX.

VIsa relatione, comparitione, & instantia nostri Promotoris Fiscalis *coram nobis exhibita* contra N. Usurarium : visaque monitione pluribus ab hinc mensibus exequuta sub pœna excommunicationis ut abstineret ab exactionibus, *& Contractibus usurariis*, nec non informatione capta *ex qua constat etiam post monitionem*, de usurarum crimine, visoque toto processu, Sacrorum Canonum institutis inhærendo, dicimus, & declaramus, prædictum N. tanquam Usurarium, esse excommunicandum, prout nos eum excommunicamus, & à consortio fidelium segregamus, donec ab usurarum exactione cessaverit, *& recepta restituerit*, & pro excommunicato publicè denunciari volumus, mandamus, cedulones decernimus, & relaxamus omni, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus Contra usurarios procedit ex officio.*

2 *An usura sit delictum mixti fori, referuntur DD. sententiæ, & num.3. 4. 5. & 6.*

7 *Usura quotidiè committitur in contractibus cambiorum, & n.8. 9. & 10.*

11 *Contractus societatis initus cum pacto capitalis salvi, est usurarius, & omni jure prohibitus, & num. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. & rejiciuntur contrarium tenentes.*

21 *Contractus Societatis Officiorum vacabilium cum pacto capitalis salvi: nec non societatis, assecurationis, & venditionis lucri sperati, an sint liciti, remissivè, & numero 22.*

23 *Contractus mutui frumenti cum pacto tacito, vel expresso, restituendi cum aliquo augumento, est usurarius, etiam si augumentum applicetur operi pio.*

24 *Contractus antichresis est usurarius.*

25 *Proponitur remedium contra hunc contractum.*

26 *Delictum usuræ, quibus indiciis, & conjecturis dicatur probatum, ostenditur, & quæ sint probationes legitimæ indicatur, & num. 27. & 28.*

29 *Datur formula monitionum.*

30 *Usurarius, quando possit, vel non, appellare à Decreto, seu declaratoria, & num. 31.*

32 *Usura exacta quibus, & à quibus sint restituenda ostenditur.*

33 *Principes, Domini temporales, Judices, & alii qui sunt cooperatores, vel statuunt, aut decernunt, quòd usuræ promissæ solvantur, aut exactæ non restituantur, tenentur ad restitutionem in solidum, quando usurarius non vult, vel non potest restituere.*

34 *Clericus usurarius qua pœna sit puniendus ostenditur. Clericus usurarius est infamis.*

Denunciationis

FORMULA XX.

HIC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus excommunicatione majori nobis reservata N. ex eo quia monitus judicialiter, ut omninò abstineret ab exactionibus, & contractibus usurariis, obedire contempsit, & in illis exigendis pertinaciter perseverat. Ut igitur ab omnibus evitetur, præsentes jussimus publicari. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

V E L

CON autorità ordinaria si denuncia, e dichiara scommunicato di scommunica maggiore, a noi riservata N. perche essendo stato canonicamente ammonito ad astenersi d'esigere le usure, e da far contratti usurarii, hà disprezzato la monitione: e contro il divieto della legge Divina, e de' Sacri Canoni, pertinacemente continua esigerle, & a far contratti illeciti: che però acciòche da tutti sia evitato, &c.

ADNOTATIONES:

1 *CORAM NOBIS EXHIBITA.* Hoc dicitur ad indicandum, quòd contra usurarios proceditur ad instantiam fisci, & ex officio, tam ad desistendum ab exactione, quàm ad restituendum usuras per censuras Ecclesiasticas per *text. in cap. tuas dudum* 13. *de usur. ibique* Barb. *num.* 1. Ricc. *collect.* 372.

2 An autem Judex Ecclesiasticus cognoscat de hoc crimine privativè, tres sunt DD. sententiæ. Prima tenet, quòd sit crimen merè Ecclesiasticum, & ideò ejus cognitio, etiamsi à laico committatur, ad solum Ecclesiasticum judicem spectet, ex eo quia causa usurarum, inter Ecclesiasticas numeratur *Clem.* 2. *de judic.* Glos. *in c. cum sit verb. malefactorem de for. com.* Sperell. *dec.* 40. *num.* 81. & alii plures, quos refert Bellett. *disq. cler. de favor. real.* §. 4. *n.* 138.

3 Secunda sententia distinguit inter quæstionem juris, & quæstionem facti: nam si sit quæstio juris, nempè an contractus, sive conventio sit usuraria, nec nè, tunc ejus cognitio ad solum Judicem Ecclesiasticum pertineat, quia tunc agitur de peccato, de quo solus Judex Ecclesiasticus cognoscit; si verò sit solùm quæstio facti, utpotè quia constat contractum esse usurarium, & illicitum, & agatur pro repetitione usurarum, vel de quantitate, vel de earum inhibitione, & tunc possit uterque judex cognoscere scilicet sæcularis inter laicos, & Ecclesiasticus inter Clericos, & etiam inter laicos, si prævenerit, & hanc sequitur Bellett. *loco citat. d. num.* 138. *circa fin.* ubi quòd non sit tutum ab hac distinctione recedere, Fagnan. *in cap. tuam de ordin. cognit. num.* 37. & 38.

Tertia, & verior sententia est, quòd usura sit crimen mixti fori, ita ut non solùm quando est quæstio facti, sed etiam in quæstione juris, possit de ea cognoscere judex sæcularis inter laicos sibi subditos, si prævenerit: tum quia ca- 4

nones

nones nullibi prohibent sæcularibus judicibus, ne de crimine usuræ inter laicos cognoscant, imò potiùs permittunt, ut habetur *in c. post miserabilem de usur.* tùm quia usura in se non continet majorem spiritualitatem, quàm homicidium, furtum, rapina, adulterium, & similia delicta, quæ non minùs Lege Divina, & naturæ prohibita sunt, & hanc (quam, & ipse sequor) tuentur Leotard. *de usur. quæst.* 100. *num.* 78. *&* 79. Tondut. *de prævent. par.* 2. *cap.* 26. *num.* 1. *&* 8. *vers. sed tamen* Conciol. *res. crimin. verb. delictum res.* 2. *num.* 12. Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 19. *num.* 142.

5 Et huic certæ sententiæ favet resolutio *Sac. Congreg. Episcop. & Regular.* quæ sub die 16. *Junii* 1592. responsum dedit Episcopo Mileten. quòd si ipse *prævenerat* in causâ usurarum contra laicos, poterat ad pœnas sacrorum canonum procedere, firma remanente libertate judici laico, procedendi contra reos ad alias pœnas contentas in Pragmatica Regni.

6 Verùm est tamen, quòd in Statu Ecclesiastico propter bannimenta generalia, quæ referuntur à Panimolla. *decis.* 17. *annot.* 3. *num.* 2. tenenda est secunda sententia, quæ vult, quod quando quæstio sit juris, & dubitetur de substantia contractus, ad Judicem Ecclesiasticum privativè causa pertineat. Et ubi viget consuetudo, ut de usuris, tàm in quæstione facti, quàm juris solus Judex Ecclesiasticus cognoscat, servanda erit, Pirhing. *loco sup. cit. d. num.* 142. §. 1. *in fin.* d. Ursay. *instit. crim. lib.* 3. *tit.* 7. *n.* 68.

Et Contractibus usurariis. Usura li-
7 cèt sacris canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & ferè ubique legibus Principum fuerit repressa, adhuc sub tegmine Contractuum, miras per artes serpit per Orbem. Primum exemplum habemus in cambiis, quæ non semel Campsores, & Argentarii, imò & aliæ personæ privatæ mercaturam non exercentes contrahunt, nullis receptis litteris, nummos dant, & lucrum à debitoribus stipulantur, ad eam usque rationem, quam referrent. Cambia in Nundinis v. g. Placentiæ, vel alterius Civitatis, ubi Cambiorum Nundinæ habentur, neque itur, neque mittitur ad Nundinas, sed ibi pecunia reposcitur, ubi numerata est, cum lucro, & accessione Cambiorum.

Item secundo modo contrahunt litteris quidem datis, sed non missis, & 8
nihilominus singulis Nundinis ineunt rationes, proinde ac si vera, & naturalis solutio, & numeratio intercessisset, cum incremento, & accessione Cambii.

Item tertiò contrahunt datis quidem, 9
& missis litteris sed ea mente, & intentione, ut unde processerant inanes referantur, cùm sciat campsor nullum in Nundinis esse, qui litteris receptis fidem debitoris exsolvat, & solvat; & tamen cambia uno, vel altero ex dictis tribus modis contracta tanquam sicca, & illicita damnata, & reprobata sunt à *Constit.* 118. *B. Pii V.* ut plenè ostendit Leotard. *de usur. quæst.* 25. *num.* 40. 69. 71. *&* 73. ubi quòd ad effugiendam Bullæ districtionem, non admittitur Campsoris excusatio dicentis, se misisse litteras ad loca, ad quæ scripta sunt, & per eum stetisse, qui cambio pecunias accepit, quod sibi non solverit, & paratum illum non fuisse ad pecunias suo tempore recipiendas: quia ubi revera nulla fit transmissio pecuniarum, cambium remanet siccum, & semper illicitum Rot. coram Peutinger. *decis.* 95. *num.* 1. & coram Cerro *decis.* 563. *num.* 1.

Quicquid sit, an debitor, qui assumit 10
in se onus cambiandi, & hoc non fecit, teneatur ad damna, & interesse, Rot. *decis.* 131. *num.* 20. *par.* 11. *rec.* Sabell. *sum. divers. tract.* §. *usura num.* 5. *vers. multa de Cambiis*: & an creditor cambii, qui loco damnorum, & interesse, cambia vult exigere, teneatur probare requisita *Castrensis in leg.* 3. §. *fin. ff. de eo quod cert. loc.* Rot. coram Peuting. *d. decis.* 95. *num.* 3. *&* 4. *decis.* 448. *num.* 1. & coram Cerro *decis.* 583. *num.* 10.

Secundum exemplum magis frequens 11
est in contractu Societatis Animalium præsertim Ovium, Caprarum, Equarum, & Vaccarum, in quo Socii paƒsim, ut capitale pro eo, qui illud confert, salvum maneat, utque omne periculum, & damnum ab altero Socio recipiente

piente sustineatur, simulque certa lucri quantitas, & summa in singulos annos, vel menses solvatur, paciscuntur; & tamen hujusmodi contractus, & pacta, tanquam illicita, & usuraria damnata sunt à Summo Pontifice *Sixto V.* per aliam Constitutionem impressam in *Bullar. tom.* 2. *Const.* 45. quam ad hujus rei fidem hìc subjicio. Ait enim Pontifex.

Detestabilis avaritiæ ingluvies &c. *Nam multi speciosum, & honestum Societatis nomen suis fœneratitiis contractibus prætexendo, hoc quasi colore, & fuco, Mercatoribus, Opificibus, negotiatoribus, & aliis personis, super eorum mercibus, officinis, pannariis, aliisque rebus, ac bonis pecunias suas, aut alias res, Societatis nomine conferunt, vel greges, armenta, aut certa animalia agricolis, seu terrarum cultoribus, pastoribus, aliisque rusticis, seu quibusvis personis, dant in Societatem, sive ad Sorcidam, ut vocant, ea conditione, ut sors ipsa, seu caput, quod vulgò dicitur capitale, tam pecuniarum, quàm animalium, & rerum salvum semper, & integrum existat pro eo, qui non industrias aut operas, sed pecunias, animalia, aut res hujusmodi in Societatem confert, utque omne periculum, & damnum ab altero socio recipiente sustineatur, contra æquitatem, & Societatis justitiam diversimodè paciscuntur, eosdemque socios cum quibus contrahunt, plerumque pauperes, & egenos, suoque labore, & industria victitantes, ad sortem, seu capitale restituendum, quicunque tandem casus, & rerum eventus consequatur, pacto & obligatione obstringunt, simulque etiam certam lucri quantitatem, & summam, veluti tot pro quolibet centenario, in singulos annos aut menses per alterum Socium durante societate solvendam præfiniunt, ac præscribunt, eamque summam, & quantitatem non subductis rationibus accepti, & expensi, quod in codices, seu tabulas Societatis referri solet, neque facto calculo, vel computo pro ipsius lucri, vel damni modo variabili, sed laborem, & curam computandi & calculandi, se invicem remittere, & renunciare asserentes, quovis tempore certam constituunt.* (hæc in proœmio.)

Proinde nos &c. hujusmodi morbi contagionem antequam in communem fidelium perniciem latius serpat, tollere cupientes &c. Hac nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus, & reprobamus omnes & quoscumque contractus, conventiones, & pactiones posthac ineundos, seu ineundas, per quos, seu quas cavebitur personis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res Societatis nomine tradentibus, ut etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum à Socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses, durante societate respondeatur: Statuimusque hujusmodi contractus, conventiones, & pactiones, usurarios, & illicitos post hac censeri debere, atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in Societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur percipiendo, inter se pacisci, & concordare. Neque etiam sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios qui ea recipient, ad sortem, seu capitale salvum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione sibi obligare. Ac nè de cætero societates ineantur sub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ usurariam pravitatem sapiunt, districtè interdicimus, & prohibemus.

Sed potiùs cuncti noverint Societates hujusmodi, cùm imposterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona; alter verò operam, vel industriam confert, purè, sincerè, & bona fide sicuti decet, justis, & æquis conditionibus, & pactis, secundùm juris dispositionem, ac sine ulla prorsus fraude, palliatione, aut usurariæ pravitatis labe, aut suspicione, ineundas, seu contrahendas esse. Ita ut non ad certam summam, aut quantitatem, ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem, lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum socius accipiens teneatur. Si verò finita Societate ipsum capitale extat, ei, qui illud in Societatem contulerit, restituatur, nisi Socio recipienti fuerit communicatum aut aliter inter ipsos contrahentes, super eo legitimè conventum sit. Ac præterea iidem

idem contrahentes, fructus, expensas & damna in commune conferant, & prout aequum, & justum fuerit, sibi communicent, atque dividant.

Decernentes, si qui contractus, conventiones, & pactiones in futurum contra nostram hujusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tanquam per hanc eandem Constitutionem nostram, damnatis, & reprobatis, etiamsi juramento, aut in forma Camerae Apostolicae, vel aliàs quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem, aut naturalem oriri, nullamque actionem realem, aut personalem, aut Judicis officium, neque aliud quodcunque jus cuiquam competere, neque quoad sortem, seu capitale integrum recuperandum, quod casu fortuito perierit, aut amissum erit, neque quoad certas summas, & quantitates in singulos annos, aut menses lucri socialis nomine promissas.

Si quis verò in posterum sub praedictis conditionibus, & pactis contrahere temerè praesumpserit, aut praetextu similium contractuum, conventionum, & pactionum Societatis nomine initorum, qui hucusque durant, ad exactionem dictae sortis, seu capitalis, sive illius pretii, & valoris, postquam illud in toto, vel in parte casu fortuito perierit, aut amissum sit, ut certae summae, vel quantitatis annuae, aut menstruae sibi promissae in futurum, procedere ausi fuerint, eos universos, & singulos in poenas contra manifestos usurarios, & foeneratores à Sacris canonibus, & Conciliis generalibus latas, & promulgatas, eo ipso incurrere, & contra illos, uti manifestos usurarios, & foeneratores via juris, aliisque opportunis remediis procedi posse, & debere (haec in dispositiva.)

12 At quanquam ex hac Constitutione reprobatio contractus capitalis salvi, clarissima sit, adhuc non desunt Doctores qui tenent, quòd etiam hodie ea non obstante licita sit pactio de capitali salvo, & certo lucro solvendo, prout sunt Less. *de just. & jur.* Card. de Lugo, & alii quos referunt, & sequuntur, Conciol. *resol. crim. verb. Bulla resol.7. per tot.* Pacion. *de locat. c.12. à num.48. ad 59.* supponentes quòd Sixtus in hac Bulla condemnat solùm contractus Societatis, qui sunt de jure communi prohibiti: & asserentes & firmare astruentes, quòd pactum assecurationis capitalis, sit de jure licitum, quando susceptio periculi compensatur cum majori, vel parte aliqua fructuum, aut cum aliis pactis favorabilibus Socio suscipienti periculum.

Primum suppositum fundamentum hujus opinionis, non subsistit in facto: quia Bulla unicè emanavit ad profligandum foenus, quod sub nomine Societatis exercetur, ea maximè conditione, ut sors ipsa, seu capitale tam pecuniarum, quàm animalium salvum semper, & integrum existat pro eo, qui illud confert, omne periculum, & damnum in socium recipientem contra aequitatem, & societatis justitiam transferendo, & ideò hunc contractum praecisè damnat nominatim: & in §. Secundo monendo, ut contractus Societatum in futurum fiant, secundùm juris dispositionem, iterum repetit quod -- *Sint non ad certam summam, aut quantitatem ab omni periculo & damnout praefertur immunem lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit restituendum Socius accipiens teneatur* (sunt verba Bullae supra relatae *in §. sed potiùs*) & sic contractum quem sustinere autumant praefati DD. damnat & reprobat in principio, medio, & fine Bullae, sapientissimus Sixtus. 13

Nec minus subsistit in jure secundum fundamentum contrariae opinionis, quòd scilicèt pactum de capitali salvo evadat licitum per recompensationem majoris partis fructuum favore suscipientis periculum: quia ponens capitale, si non subiit ejus periculum, stat per semper in securo: ponens verò operam, & industriam, nihil certi habet pro ejus recompensatione, nam potest dari casus, quòd in Societate, (praesertim animalium) adsit damnum, vel non adsit lucrum, ex quo periculi jam suscepti recompensationem habeat, unde deficiente compensatione, cessat aequalitas, quae omninò servanda est inter socios de substantia contractus, ut benè firmat, *Hect. Felic. de Societ. cap.18. per tot.* ideoque pactum quod capitale sit salvum omni jure improbatur, ut dixit Rot. *decis. 752. num. 11. par.1. rec.* 14

Augetur iniquitas hujus contractus 15
ex

ex eò, quòd periculum, & damnum capitalis refundatur in socium, etiamsi fortuito casu pereat: nam de jure damnum quod ex natura, & ex fortuna provenit, pertinet ad Dominum animalium: & hinc merito pactum hujusmodi, uti illicitum, & usurarium Bulla reprobat, & DD.damnant, Hect.Felic.*de Societ. d.c.* 18. *num.*15. *& seqq.*Graff.*decis.aur.par.*1.
16 *lib.*2.*cap.*120.*n.*13. 14. *&* 15. Cyriac.*cont.* 357. *n.* 14. *& seqq.* ubi enim Socius habet capitale securum, & percipit lucrum, dicitur mutuum contraxisse non societatem,
17 Felic. *d.c.*18. *num.*71. & ubi fit pactum, quòd quis habeat lucrum, & non sentiat damnum, dicitur Societas Leonina, ut inquit text. in *l.si non fuerint* §. *aristo ff. pro Soc.*Cyriac.*d.contr.*357. *num.*17. & in terminis Societatis animalium quod non sit de improbitate talis pacti dubitandum, docet etiam Corac.*de loc. & conduct. part.* 5. *tit.de usur. q.*7.*de collaticis Bovum num.* 13. *pag. mihi* 432. ubi hæc habet -- *Septimus casus est, dant alii boves, vel oves, vel alia animalia in Socidam, ut quolibet anno recipiant certam pensionem, adjecto pacto, quòd si moriantur, vel aliquo pacto pereant, alia ejusdem qualitatis, & bonitatis reponantur, ita quòd capitale sit semper salvum, nam talis contractus illicitus est,* Card. *in cap. fin.de usur. &c.*Joan.Lup.*ubi supra num.*8. *attestans in facti contingentia annullare fecisse plures hujusmodi contractus, & appellantur boves sine cornibus ut dicit* Card. *in citato loco &c.*

18 Neque tales contractus legitimantur per consuetudinem Regionis, quia quatenus de tali consuetudine constaret (quod non est credendum) non esset consuetudo, sed corruptela, quæ tanquam nutritiva peccati, nihil valet, ut in specie hujus pacti respondit objecto Rot. *d. decis.*552. *num.*13. *par.*1. *rec.*nec quis hujusmodi prætextu excusatur ab obligatione restituendi, nec effugit nullitatem contractus, licèt fortè posset excusari à pœna in foro externo, ut probant Leot. *de usur.quæst.*99.*num.*3. *&* 4. Sperell. *decis.* 91.*n.*81. *&* 82. quia ut inquit *text.in cap. non satis de simon.* diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.

19 Minusque contrahentes contra dispositionem dictæ Bullæ Sixti V. excusat auctoritas dictorum DD.tum quià eorum opinio est contra communem, & nullo juridico fundamento firmatur: tum quià auctoritas, & potestas interpretandi jus 20
Divinum data est, non Doctoribus forensibus, seu Theologis etiam Sanctis, sed Summis Pontificibus, quibus parendum est; imò quòd peccent DD. & Theologi tenentes contra Constitutiones, & decisiones Pontificum dicit Leo *thes. for. Eccles. par.*3. *cap.*7. *num.* 141. quia ubi est canon Summi Pontificis, cessat auctoritas Doctorum, & Sanctorum Patrum, ut benè inquit Medic. *tom.*1.*tract.de legib.& stat. par.*2. *quæst.*5. *num.*3. Fagnan. *in cap. ne innitaris num.*6. *de constit.* & cum in §. 5. dictæ Bullæ auferatur omnibus, & quibuscunque Judicibus facultas aliter judicandi, & interpretandi, infirmum prorsus redditur, quidquid in contrarium audent firmare supradicti DD.quorum opinio cedere debet auctoritati B.Petri, ut acriter monet Sperell. *decis.*105. *num.*50.

Quicquid igitur sit in Societate officiorum vacabilium, de qua loquitur 21
Rot.coram Coccin. *decis.*70. & de contractu locationis prædii cum animalibus cum pacto illa restituendi in numero, & quantitate recepta in principio locationis, juxta terminos alterius decisionis Dunozet.Jun.la 54. & tandem quidquid sit de tribus contractibus distinctis cum una, & eadem persona faciendis, scilicet Societatis, assecurationis, & venditionis lucri sperati, pro validitate contra- 22
ctus capitalis salvi, de qua inventione, & articulo Navar.*in manual.cap.*17. *num.* 254. *&* 255. (quem tamen refutat Hect. Felic. *de Societ.cap.*19. *num.*4. *& seqq.*) de quibus hic non loquor, certum est quòd contractus exemplificati in Bulla *Sixti V.* (quam convellere nefas est) & à DD. supra allegatis, sunt illiciti, improbi, & usurarii, contra quos, Concionatores monitis, & minis æternæ damnationis, Confessarii denegatione absolutionis, & Episcopi gladio censurarum, insurgere debent, ut extirpentur.

Tertium exemplum est, in contractu 23
mutui frumenti, quod datur rusticis, & aliis pauperibus tempore Autumni, vel hyemis, cum pacto, quòd in messe,

vel

vel alio statuto tempore, restituatur mutuanti cum aliquo augumento, sive ut vulgò dicitur *alla misura colma*: & tamen hæc conventio, sive sit expressa, sive tacita, usuraria est, juxta clarum textum in *cap. usura est* 14. *quæst.* 3. quæ usura non redditur licita prætextu, quòd augumentum, quod recipitur, inserviat pro alimonia pauperum, sive pro alio opere pio exercendo: nam interrogatus de hoc Alexander III. ab Episcopo Panormitano, respondit — *cùm usurarum crimen utroque Testamento veteri, & novo condemnetur, super hoc dispensationem aliquam fieri non posse: quia cùm scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multò magis est quis prohibendus, nè etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine involvatur*, ut habetur *in cap. super eo de usur.* non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona *cap. non est* 27. 1. *quæst.* 1. Et hæc vera sunt, sivè mutuum fiat à privato, sive à Collegio, sivè ab Universitate.

24 Quartum exemplum est, contractus qui vulgò vocatur *godere à godere*, græcè *antichriseos*, *seu antichresis*, de qua pignoris specie sunt *text. in l. si pecuniam* 53. *ff. de pignorat. act. & in l. si is* 11. §. 1. *ff. de pignor.* quo fit pactum, ut tamdiù creditor re oppignorata fruatur, sive fructus pignoris salva sorte lucretur, donec debitum solutum fuerit. Hic contractus licèt jure canonico improbetur, usurarius sit, & fructus pignoris debeant computari in sortem, *cap.* 1. & *seqq.* 14. *quæst.* 3. *cap. conquestus de usur. ubi* Barbos. *num.* 1. & 2. *cap. ad nostram de jurejur.* Gratian. *disc.* 14. *num.* 10. Leotard. *de usur. quæst.* 11. *num.* 7. Pirhing. *in jus can. l.* 5. *tit.* 19. *num.* 98. adhuc ut notat Caroc. *de locat. & conduct. par.* 1. *tit. de promis. locand. quæst.* 4. *pag. mihi* 93. casus est quotidianus.

25 Remedium est, ut petens mutuum, non det mutuanti rem immobilem frugiferam in pignus, v. g. prædium, sed illud ei vendat certo pretio pro mutuo, seu debito, cum pacto redimendi, seu revendendi, quando debitor pretium creditori reddiderit: tunc enim creditor per contractum venditionis factus est Dominus prædii, ideoque licitè poterit percipere fructus, ut docet Pirhing. *loco supra citato vers. porrò*.

Ex qua constat. Usura, quæ hodiè exerceatur in abscondito, licèt sit delictum difficilis probationis, adhùc de eo constare dicitur, & detegitur. Primò, Instrumentis, Apochis, & aliis Scripturis, ut in exemplis suprà numeratis. Secundò, libris rationum, quos requirente Judice ex officio, Usurarius edere, & exhibere tenetur, etiam sub pœna excommunicationis. *Clem. unic.* §. *cæterum de usur.* & etiamsi illos retineat non tanquam persona publica, sed tanquam privatus, quia in hoc fiscus est privilegiatus, ut distinguit glos. *in d. Clem. un. vers. rationem*. Tertiò, confessione extrajudiciali ipsiusmet Usurarii, coram pluribus facta. Quartò, testibus deponentibus se pluries vidisse mutuò dantem sub usuris, licèt sint singulares: nam quamvis testes singulares non sufficiant ad probandum actus singulares fœnoris, sufficiunt tamen ad probandum in genere aliquem esse Usurarium, quamvis testes essent participes criminis, & deponerent solvisse usuras, ac contractus usurarios cum Usurario iniisse, dummodo criminis participes deponant ad favorem tertii, & non ad proprium commodum, ut de communi testatur Menoch. *de arbitr. judic. cas.* 235. *num.* 22. 23. 24. & 25. ubi dat cautelam, quòd hi testes priusquam examinentur debeant renunciare in actis omni suo commodo, facta enim hac protestatione idonei sunt, prout dicit etiam Gaballin. *ad Constitution. Egidian. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 2. Menoch. sequitur Leotard. *de usur. quæst.* 100. *num.* 17. ubi quòd usura probata per testes singulares alioquin fide dignos, possit Usurarius ab Ecclesia corrigi, & coerceri. Quintò, fama, & communi opinione, præsertim, ubi fama probata sit per decem testes, & concurrit alia conjectura, vel adminiculum, Vulpin. *Succ. Farinac. par.* 5. *quæst.* 42. *num.* 40.

Quando autem supradictæ probationes deficerent, ut sæpè evenit ob versutiam, & calliditatem fœneratorum, 27
tunc ad præsumptiones, adminicula, argumenta, & ad conjecturas recurritur: nam etiam iis usura probatur *cap.* 15. *de*

de usur. ubi Bard. *num.*3. quæ cùm ex circumstantiis deducantur, certam regulam non habent, ideoque totum in arbitrio Judicis positum est, quæ conjecturæ sufficiant, ad probandam labem usuræ, ut ait Leotard. *de usur. quæst.*9. *num.*1. 2. 3. *&* 8. & quidem leviores contra solitum fœnerari sufficere, urgentiores verò contra Virum probum requiri dixit Sperell. *dec.* 27. *num.*81. *&* 82.

28 Regulariter fœnoris conjectura est, modicitas pretii rei venditæ ultra dimidiam, juncto pacto de retrovendendo. Secunda, retentio dominii rei venditæ. Tertia, pactum ut non liceat nisi post certum tempus redimere, cum læsione ultra dimidiam justi pretii. Quarta, si bona vendita ab emptore ipsi venditori locentur pro pensione modica. Quinta, ex pactis insolitis, de quibus agit Leotard. *d. qu.*9. *per tot.* Barbos. *in cap. conquestus nu.* 10. *de usur.* & fusius Ciarlin. *controv.* 40. *num.*54. *& seqq.*

29 *Etiam post monitionem.* Debet enim Episcopus priusquam ad censuras procedat, monere usurarios *ad desistendum, & cessandum ab exactionibus, & contractibus usurariis sub pœna excommunicationis:* qua monitione exequuta, & in Cancellaria reproducta, si moniti non desistant, instruitur processus, ex quo si remaneat probata intentio fisci, vel partis, decernitur nova monitio — *ad dicendum causam quare non debeat excommunicari, ad primam diem, & die immediatè sequenti, ad comparendum, & videndum se excommunicari &c.*

30 Si reus compareat, & dicat, se non esse Usurarium, cùm tamen ex Scripturis, & probationibus contrarium constet: vel dicat se non teneri restituere usuras, vel non exegisse, aut recepisse tantam quantitatem, non erit audiendus, sed poterit Ordinarius ad ulteriora procedere in declaratoria, etiamsi à comminatione Censuræ appellasset, præsertim si ageretur de contractu usurario inito contra formam *Bullæ Sixti V.* de qua supra, cujus vigore contrahens, tanquam manifestus usurarius est puniendus, *cap. quam perniciosum de usur.* Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 19. *num.* 127.

31 Si verò dicit se non exegisse usuras, & ex Scripturis, ac probationibus non convincatur; vel exhibeat articulos, & testes ad reprobandos testes fisci, seu partis, tunc auditur, & si appellat, admittitur appellatio, Pirhing. *d. num.*127. Verumtamen si appellaret post sententiam declaratoriam, illam non suspenderet: quia tunc excommunicatio secum trahit executionem, & excommunicatus per denunciationem plus non ligatur; ideo non obstante appellatione ipsum excommunicatum esse, denunciare poterit Episcopus, ut ab aliis vitetur, juxta textum expressum in *c. pastoralis* 53. §. *Verum de appellat. ubi* Barb. *num.*6.

Et receptas restituerit. Omnes exigentes, & recipientes usuras obligantur, dummodò habeant in facultatibus, & pœnis coguntur, & eorum hæredes ad earum restitutionem, sive laici sint, sive Clerici, quinimò etiam Judæi rectè coguntur ad restitutionem usurarum, *c.*1. *plurib. seqq. de usur. ibique* DD. communiter Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 19. *num.* 107. Ideoque quoties in foro contentioso de illarum exactione constat, debent restitui illis, à quibus fuerunt extortæ; si verò non supersint, vel inveniri non possunt, restituendæ sunt eorum hæredibus, & si etiam illi non extent, debent erogari pauperibus, vel Ecclesiis, aut aliis locis piis arbitrio, & judicio Episcopi: si verò non constet nisi in foro pœnitentiæ, restitutio fieri poterit pauperibus juxta assertionem pœnitentis, cui in hoc foro creditur Pirhin. *loc. cit. num.*102. *&* 103. & proinde usurarii non sunt ab excommunicatione absolvendi (prout hic in formula dicitur) nisi restituant, vel saltem de restituendo idoneè caveant, Gavant. *verb. usura num.* 13. 32

Ampliatur regula prædicta ad omnes illos, qui sunt ex parte usurarii causa efficax, ut usuræ exigantur, & solvantur: nam hi peccant, & obligati sunt ad restitutionem, saltem secundo loco, idest si Usurarius nolit, aut non possit restituere, ut docet Pirhing. *loco supr. cit. num.*114. qui *n. seq.* exinde infert, quòd Principes, Judices, & Domini temporales, qui lege, vel statuto decernunt, vel per præceptum, aut per sententiam 33

com-

compellunt subditos debitores ad usuras promissas solvendas: vel etiam cùm usuræ solutæ repetuntur prohibent, vel impediunt, ne restituantur, tenentur ad restitutionem in solidum, si usurarius nolit, vel non possit restituere; quia id prohibitum est sub pœna excommunicationis in Clem. *unica de us.* Caveant propterea Judices, qui clausis oculis exequi mandant contractus usurarios, & illicitos, de quibus supra mentio facta fuit.

34 Si de hoc crimine Clericum culpabilem Episcopus reperiat, illum moneat judicialiter, ut supra ad desistendum ab exactione usurarum, qui si contemnat obedire (cùm sit ipso jure infamis, Parif. *de resig. lib.*4. *quæst.*3. *num.*28.) ab officio ordinis, & exercitio suspendat: deinde, si adhuc in malo perseveraverit, ab ordine, & officio deponat, & gradatim contra eum ad pœnas procedat juxta ordinem traditum in *cap.*1.14. *quæst.*4. Sperell. *dec.* 116 *num.*12. Bellet. *disq. cler. de pœn. cler.* §.48. *num.*2. *in fin.* De effectibus autem hujus verbalis depositionis dixi *par.*2. *tit.* 15. *ad form.*11. *num.*9. & 10. Ad restitutionem verò cogendus erit pœna suspensionis ab officio, & beneficio, Gavant. *Verb. usur. num.*10.

De excommunicatione contenta in extravag. Cum detestabile de Simon.

Detestabile scelus Simoniæ, ad cujus comparationem cætera crimina, quasi pro nihilo reputantur, *c. per tuas* 32. *de Simon.* toto vigore justitiæ persequi debet, & sine dilatione; & cùm ejus signa claruerint, reus ab Ecclesia Dei eliminetur, *cap. sicut* 6. *eodem tit.* præmissa sequenti Declaratoria.

Sententiæ Declaratoriæ

FORMULA XXI.

VIsis relatione, & instantia Prom. nostri Fiscalis, *testibus*, citatione ad sententiam, totoque processu constructo contra N. inquisitum de labe simoniaca per ipsum contracta *in renunciatione Beneficii* erecti in Ecclesia N. sub invocatione N. facta favore N. de mense N. per acta N. *dicimus & declaramus*, sufficienter *constare de crimine Simoniæ consumato*, & tam d. N. renunciantem, quàm N. renunciatarium, damnabiliter incurrisse excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam, & esse *privatos dicto Beneficio*, aliasque pœnas contentas in Sac. Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis *Pauli II. relatas in Extravag.*2. *de Simon. & Pii V. la* 5. §.8. & ideo esse publicè denunciandos, & prout excommunicatos denunciari volumus, Cedulones decernimus, & publicari mandamus omni &c.

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *In crimine simoniæ quælibet persona admittitur ad testimonium ferendum.*

2 *In crimine simoniæ testes probant, quamvis singulares sint.*

3 *In crimine simoniæ complices admittuntur ad revelandum.*

4 *Crimen hæresis, & crimen simoniæ æquiparantur.*

5 *In crimine simoniæ, si non agatur per viam inquisitionis, testis singularis non probat, vel si sit socius criminis, & muneris.*

6 *Si-*

Denunciationis.

FORMULA XXII.

HIC auctoritate ordinaria denunciantur, & declarantur excommunicati majori excommunicatione Papæ reservata, necnon privati Beneficio Ecclesiastico sub invocatione N. in Ecclesia N. erecto N. & N. ex eo quia in renunciatione d. Beneficii invicem facta pacta illicita, & simoniaca à Sac. Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis reprobata injerunt. Ut igitur ab omnibus evitentur præsentes publicari jussimus & excommunicati existant, donec tanti sceleris peracta condigna pœnitentia, meruerint à Sede Apostolica absolutionem obtinere Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

VEL

CON autorità ordinaria, si denunciano, e dichiara no scommunicati di scommunica maggiore riservata al Sommo Pontefice, e privati del Beneficio Ecclesiastico N. erettò nella Chiesa N. perche nella rinuncia di detto Beneficio fatta da d.N. a favore di detto N. hanno fra di loro convenuto patti illeciti, e simoniaci, riprovati da Sacri Canoni, e dalle Constitutioni Apostoliche: ed accioche siano da tutti evitati si sono publicati i presenti Cedoloni: e così staranno scommunicati, fin tanto che fatta condegna penitenza d'un tanto eccesso meriteranno d'essere assoluti dalla Sede Apostolica, Dato &c.

N. Vescovo N.

Luogo del ✠ Sigi

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 *VISIS TESTIBUS*. In crimine simoniæ quælibet persona admittitur ad testimonium ferendum, nemoque repellitur, nisi exceptione inimicitiæ capitalis, & conspirationis, *cap. licèt Heli de simon. ibique glos.* & alii quos refert, & sequitur Paris. *de confid. benefic. quæst.66. num.7. 8. & seqq.* imò tum ex dispositione *Bullæ Pii V. la* 85. §.6. tùm juris, testes probant, etiam si sint singulares, singularitate diversificativa, præsertim (ut hìc) ubi non agitur de pœna ordinaria infligenda, sed de jam incur-
2 sa declaranda, Paris. *loco citat. quæst.67. num.5. & seqq.* quem sequitur D. Raynald. *resol.crim. ad cap.32. supplem.7.num. 40. & seqq.*

Et ratio adducitur: quia cùm in d. *ex-*
3 *travag.2. de simon.* admittantur ad revelandum etiam complices, & socii criminis (qui nunquam sunt idonei testes) ad hoc ut participes valeant coerceri: multò magis alii testes, qui infirmiorem exceptionem patiuntur admitti debent: item secunda est ratio: quia crimen simoniæ, & crimen hæresis Simoniaci, & Hæretici æquiparantur, ut habetur expressè ex *canone* Paschalis Papæ
4 *ultimo* 1. *quæst.7.* Unde cùm in crimine hæresis admittantur ad probandum etiam personæ inhabiles, & crimine irretitæ, & testes singulares, *c.in fidei favorem de hæret. in* 6. ita admittuntur in crimine simoniæ, prout argumentatur Paris. *de confid. benef. d.quæst.66.num.8. & duob.seqq. & est text. clarus in cap.* 1. *de test. in* 6. Pirhing. *in jus can. lib.5. tit.3. num.* 146.

5 Hæc tamen declara procedere, si agatur per viam inquisitionis (ut hìc) prout declarat Barbos. *in d.cap. in fidei favorem de hæret. in* 6. *num.*8. quando testis non est socius criminis, & muneris simul, nam hìc non probaret contra simoniacum, ut declarando conclusionem distinguit Paris. *de resig.benef.lib.14.quæst.10. num.28.* & colligitur ex *d.cap.1. de test.in* 6. Ricc. *collect.*1715.

6 *In renunciatione Beneficii*. Hoc dicitur per modum exempli, cæterùm sive agatur de renunciatione, sive electione, sive permutatione, sive præsentatione, aut alia quacunque provisione beneficii, aut cessione juris præsentandi ad Beneficium, poterit de labe simoniaca inquiri, cùm in omnibus ejusmodi actibus crimen verificetur, ut patet tum ex Constitutionibus Apostolicis in formula enunciatis, & tradunt communiter Paris. *de resign. de benef. lib.14. quæst.2. num.7. & seqq.* Fagnan. *in c.tua nos num.6. & 7. de simon.* Corrad. *prax. benefic. lib. 14.c.5. num.51. & seqq.* tum ex textu in *c. præterea de transact.* & idem dicitur de crimine confidentiæ beneficialis juxta terminos *Constit. Pii IV.*85. *& Pii V. pariter* 85. *Bullar. tom.2.*

Dicimus, & declaramus. Hoc crimen 7
est merè Ecclesiasticum, & ideò Judex laicus non potest de eo cognoscere, sed privativè ad solum Ecclesiasticum cognitio pertinet, etiamsi qui crimen commisit sit laicus, *gloss. in c. cum sit de for. comp. vers. malefactores*, Bellèt. *dis. cler.de favor. real.* §.2. *num.*26. Pirhing. *in jus can. lib.5. tit.* 3. *num.* 142. cujus sententia non suspenditur per appellationem, si hæc fuit interposita, declaratoria jam lata, prout dictum fuit in præcedenti formula de declaratoria usurarum. Et per plura jura probat ab hac sententia appellationem non dari Pirhing. loco mox supra citato *num.*131. *vers. illud denique*; nisi quis appellaret ante sententiam: licet Rot. coram Seraph. *decis.*1045. *num.*5. velit, quòd hæc opinio vera sit, quando simoniacus sit notorius, vel confessus, vel simonia sit contracta in collatione ordinis, si verò simo- 9
niacus sit occultus, & simonia sit super Beneficio, tunc detur apppellatio, & hæc Rotæ Sententia verior videtur. Episcopus autem negligens procedere contra simoniacos per duos menses ab Officio suspensus est, *cap. quidquid* 101. 1. *quæst.* 1. Sayr. *de censur. lib.*4. *cap.* 12. *num.* 45.

Constare de crimine simoniæ consumato. Antequam Judex pronunciet crimen simoniæ esse completum, debet advertere, an concurrant requisita, quæ in definitione continentur, & an simonia sit mentalis, conventionalis, vel rea-

realis, Simonia etenim *à glos.* communiter recepta in *Rub. de simon.* sic definitur -- *simonia est studiosa volantas, vel cupiditas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Dicitur *studiosa* idest deliberata, quia sine deliberatione, simonia non fit. Additur *emendi vel vendendi Spiritualia, vel annexa*: quia hoc est objectum Simoniæ. Verbum autem *emendi*, non adhibetur solùm ad significandum contractum emptionis, & venditionis, ac si peccatum simoniæ solo contractu emptionis, & venditionis committatur: verùm etiam adhiberi ad significandos cæteros contractus onerosos, qui non gratis, nec liberaliter fiunt, sed æquivalent emptioni, venditioni, transactioni, pacto, & permutationi, ut explicat Barb. *in rubr. hoc tit. de simon. num.* 3.

11 Et hinc est quòd *Gregor. VII. in cap. ordinationes* 113. 1. *quæst.* 1. in Synodo Romana definivit, quòd ubi intervenit munus à manu, vel munus à lingua, vel munus ab obsequio, simonia dicatur completa. Per munus à manu intelligitur pecunia, & quodlibet bonum temporale, sive solvatur ex fructibus beneficii, sive aliundè pro re spirituali, vel spiritualitati annexa. Navar. *consil.* 84. *num.* 10. Passerin. *de elect. cap.* 7. *num.* 126. & 127. Per munus à lingua intelliguntur preces, quæ ut habeant rationem pretii, fieri debent ex pacto, v.g. si intercedas pro me apud Principem, vel alium Superiorem, dabo tibi Beneficium. Per munus ab obsequio intelligitur omne servitium temporale, quod fiat loco pretii, v.g. confero tibi, vel renuncio hoc Beneficium, cum pacto, & onere, tale obsequium præstandi.

Undè cadit inspectio in Notario, qui plus debito pro Dimissoriis Clericorum ordinandorum recipit: hunc enim Simoniam committere dixit Nicol. *lucubr. civil. lib.* 4. *tit.* 28. *de sim. num.* 28. ubi Decretum Congreg. Concilii allegat. At ut verùm fatear, (si non intercedat, alia gravans facti circumstantia, prout ad fuisse credendum est in Decreto à Nicolio allegato), sola exactio pecuniæ excessiva, non facit actum simoniacum; nam licet Divus *Gregorius* in Synodo Romana relata in *cap. sicut Episcopum* 1. *quæst.* 2. prohibuerit Notario Ordinationis aliquid accipere, & *glossa* ibi dicat, quòd in collatione Ordinum Notarius, sive habeat salarium, sivè non, nihil nec pro labore, nec pro carta debeat recipere, & quòd Episcopus providere teneatur, ut gratis scriptura detur: hoc tamen non prohibetur tanquàm simoniacum; sed tanquàm illicitum, cùm Sacramenta sint gratis ministranda juxtà canonem Concilii Toletani relatum in *cap. quidquid invisibilis, & ibi glos.* 1. *quæst.* 1. Propterea que Sac. Congreg. Episcop. huic dubio proposito à Vicario Apostolico *Larinen.* 17. *Septemb.* 1587. respondendo, declaravit, quòd recipientes pecunias pro Dimissoriis, simoniam non committerent, sed aliud delictum punibile.

Simonia mentalis, quæ committitur traditione rei temporalis in pretium pro re spirituali sine pacto, & conventione explicita, sed solùm mente concepta, non punitur in foro externo, & simoniacus mentalis, non tenetur ad resignationem Beneficii, aut restitutionem, licèt peccaverit, textus est in *cap. ultimo de simon. ibique glos.* & Barb. *num.* 3. Simonia conventionalis, quæ perficitur conventione extrinseca de pecunia, vel pretio, sed adhuc non est secutus effectus ex utraque parte, reddit inhabilem ad Beneficia futura obtinenda: at non privat obtentis, secundùm opinionem, quam tenet, & sequitur Gonzal. *ad regul.* 8. *glos.* 15. *num.* 70. Rot. coram Pamphil. *decis.* 369. *num.* 3. de qua tamen conclusione plures dubitant, ut dicit Tondur. *quæst. benef. tom.* 2. *par.* 3. *cap.* 160. *num.* 14. qui volunt ut sufficiat etiam ad pœnam privationis. Simonia realis, de qua loquitur hìc formula, quæ perficitur executione pactorum, ex utraque parte conventorum, privat ipso jure, Gonzal. *ubi supra num.* 69. & propter ea dicitur in formula -- *constare de crimine simoniæ consumato*, ad ostendendum, quòd tractatus, sive pactum illicitum inter renunciantem, & renunciatarium, non punitur nisi secuto effectu, ut enim sit simonia realis debet compleri, quod tractatum fuit: 12

unde in processu necesse est probare saltem per præsumptiones, & conjecturas, quòd resignans, & resignatarius pervenerint ad perficiendum quod in pactum deduxerant saltem in parte, Parif. *de confid. benef. quæst.*39. *num.*7. & *seqq.* quem sequitur Tondut. *quæst. benef. tom.*2. *par.*3. *cap.* 106. *num.*7. & *seqq.*

13 Conjecturæ autem, & præsumptiones, quibus resignatio simoniaca probatur completa, debent esse concludentes, & plenè probatæ. Parif. *de resign. lib.* 4. *quæst.* 8. *per tot.* itaut nihil aliud importare possint, Rot. coram Seraph. *decis.* 1029. *num.* 2. præsertim si agatur per viam accusationis, in qua probationes debent esse pleniores, Lotter. *de re benef. lib.* 3. *quæst.* 29. *num.* 62. Quidquid sit de simonia confidentiali, quæ dicitur completa, & probata per solam promissionem, Tondut. *d. cap.*106. *numer.* 11.

14 *Et privatos esse d. beneficio*. Hodie jure novissimo renunciatio Beneficii simoniacè facta est ipso jure nulla, nec indiget alia sententia Judicis. Unde Beneficium simoniacè renunciatum, sive obtentum dicitur vacare, & potest impetrari à quocunque, vigore Constit. Apostolic. quas in necessariis refert. Parif. *de resign. d. lib.*14. *quæst.* 2. *per tot.* Gonz. *loc. cit. num.*69. & sic quoad Beneficium super quo cadit simonia, benè dicitur in formula, tam renunciantem, quàm renunciatarium esse privatos, cùm jam vacet ipso jure: quicquid sit de aliis Beneficiis ab eisdem possessis, quibus privati non remanent, nisi priùs sequatur sententia, ut docet Tondut. *quæst. benef. tom.*1. *cap.*97. *num.* 22. & *par.* 2. *cap.*5. §.1. *num.*1. & 2. *tom.*2. *par.* 3. *cap.* 135. *num.*23.

15 Neque huic verissimæ sententiæ obstat opinio Navarri *conf.*92. *de simon.* putantis Beneficium non vacare ipso jure, sed esse expectandam judicis sententiam ex quo ut ipse ait *Bulla Pii V.* quæ incipit *cùm primum*, non sit usu recepta: quia ejus opinio est reprobata: cùm observantia Constitutionum Apostolicarum, non pendeat ab usu, & receptione subditorum, sed eo ipso quòd sunt publicatæ, obligant in conscientia, & nunquam abrogantur contrario usu, sive Consuetudine, ut reprobatis Garc. & Barb. qui idem asserebant de Constitutione *Sixti V.* emanata super delatione habitus Clericalis; dixit Rot. coram Caccia, & Molines, à me allegat. *p.*2. *tit.*15. *ad form.*4. *num.* 2.

Et hinc est, quòd Beneficiatus, qui Beneficium simoniacè scienter obtinuit; tenetur illud in conscientia dimittere, cùm hoc sit effectus privationis ipso jure, Parif. *de confid. benefic. quæst.* 58. *num.* 22.; 23. & 24. Guaz. jun. *ad defens. animar. lib.* 2. *defens.* 6. *caput* 47. *num.*20. & nisi dimittat, dicitur in peccato perseverare, ut ait Lotter. *de re benefic. lib.*3. *quæst.*29. *num.*165. absque eo, quòd illum excusare valeat circumstantia simoniæ occultæ, seu timor infamiæ: quia hæc fortè juvant pro obtinenda à Papa, sivè à Pœnitentiaria dispensatione, non autem ut eum tutum in conscientia reddant, ad tradita per Corrad. *prax. disp. lib.*5. *cap.*11. *num.*7. & tenetur fructus perceptos restituere, quia nunquàm habuit titulum, cum jus resistat acquisitioni Beneficii ab initio, Lotter. *d. quæst.*29. *num.*160. Corrad. *ibid. num.* 1. & *seqq.* Si autem simonia esset ignoranter contracta, puta per tertium, tunc, quia acquiritur titulus coloratus, habita per Beneficiatum notitia, & facta dimissione, daretur à Pœnitentiaria retentio, prout de stylo restatur Corrad. ubi suprà *num.* 4.

Censura autem d. extravagantis, non cadit in Cappellanis laicalibus, quàmvis perpetuis, erectis sine consensu Ordinarii aut alterius Superioris Ecclesiastici auctoritate: quia non sunt Beneficia Ecclesiastica, sed potiùs officiaturæ, quæ administrari possunt à laicis etiam fœminis, & ideò pactum initum circa has Cappellanias, non dicitur simoniacum cùm non sit quid spirituale, Gonzal. *ad regal.*8. *glos.*5. *num.* 25. ubi quòd hæc opinio fuit per tres sententias Rotales canonizata, & eum sequitur Corrad. *prax. benef. lib.*4. *cap.*5. *num.*57. Potest tamen etiam in his dari, & verificari pactum simoniacum, quando haberent aliquam spiritualitatem annexam, ut respondit Rot. coram Pamphil. *d. dec.*396. *in* 6. 16 17

Mo-

18 Monitio denique contra simoniacum post constructum processum informativum, & ante declaratoriam exequenda, sic poterit concipi – *Citetur, & moneatur N. ad dicendum causam quare non debeat declarari incidisse in excommunicationem contentam in extrav. 2. de simon. & in Bulla B. Pii V. 5. §. 8. in termino trium dierum, aliàs termino elapso die immediatè sequenti compareat ad videndum se excommunicatum declarari, & publicè denunciari absque alia monitione, &c.*

19 Si reus monitus compareat in suis exceptionibus est audiendus, si verò à comminatione censuræ appellat, ejus appellatio erit rejicienda, & Episcopus, quatenus sibi ex processu constet de crimine, poterit appellatione non obstante, procedere ad declaratoriam: quia talis comminatio, nullum infert gravamen, ut comminationem excommunicationis ferendæ, à comminatione declaratoriæ excommunicationis jam latæ à jure distinguendo, docet Fagnan. *in cap. Super eo il 2. num. 50. de appellat.* At si iterum à declaratoria appellaret, tunc erit supersedendum à publicatione Cedulonum, præfixo appellanti termino

20 ad prosequendam appellationem. Nam licèt à pœna, & sententia legis non possit appellari *glos. in c. quia nos 32. in fin. de appellat.* à declaratoria tamen hominis, qua quis declaratur eam incurrisse, potest appellari, & appellatio debet admitti, etiam ad effectum suspensivum, quia Judex potuit errare, ut in terminis declaratoriæ censurarum tradunt Navar. *de sent. excom. lib. 5. cons. 9. num. 5.* Bonac. *de censur. disp. 1. quæst. 2. punct. 2. num. 7.* Pasqual. *ad Laurent. de Franc. q. 2. quæst. 12. num. 6.* Fagnan. *loc. cit. d. nu. 50.* Donat. *prax. rer. regular. tom. 2. par. 2. tract. 10. de appullat. quæst. 28. nu. 3.* nisi tamen delictum sit adeo notum, ut nulla tergiversatione celari, & negari possit,

21 tunc enim non prodesset appellatio, & posset deveniri ad publicationem Cedulonum, Bonac. *loco citato*, & alii ab eo allegati: vel saltem etiamsi sit locus appellationi, dummodo inquisitus ex probationibus receptis sit de Simonia diffamatus, erit à celebratione missarum Suspendendus, *c. accusatum, & c. seq. de Sim.*

De excommunicatione contenta in c. quicunque 12. quæst. 2. & cap. omnes Ecclesiæ 17. quæst. 4. innovata à Conc. Trid. sess. 22. c. 11. de reform.

Sacrilegi, & dolosi usurpatores rerum Ecclesiarum, locorumque piorum, ab Ecclesia eliminandi sunt, & anathematizandi; ut canones, & Concilia decrevere. Quare Episcopus, si in Visitatione, vel extra reperiat aliquem Administratorem, Officialem, Syndicum, Exactorem, Depositarium, aut Æconomum alicujus Ecclesiæ, Monasterii, Montis Pietatis, Hospitalis, alteriusve loci Pii, studiis pravæ voluntatis, illorum bona, pecunias, & Jura retinere, in proprios usus convertere, invadere, & usurpare, eos, adhibitis juris remediis, ad restitutionem compellat, etiam excommunicationis.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XIX.

Visis actis, & Decretis nostræ Visitationis Sac. Montis Pietatis in hac Civitate *legitimè erecti*, Sententia Revisorum Computorum, aliisque juribus exhibitis, *per Procuratorem locorum Piorum*, ex quibus constat N. Depositarium, & Administratorem dicti Montis pecuniam in Summa .:.:. & alios redditus ejusdem, quæ in pauperum necessitatibus converti debuerat, aliò propria auctoritate *contra formam Bullæ Pauli V.* vel Statuti Montis) divertisse

imò, & in proprios usus *dolosè. convertisse*, & usurpare præsumpsisse: visis monitionibus, & præceptis contra eum exequutis pro reintegratione Montis, quibus parare contempsit, dicimus, & declaramus d.N. Depositarium, damnabiliter incurrisse excommunicationem majorem Papæ reservatam contentam, tam in *d. Bulla*, quàm in *Concil. Trid. sess.*22. *c.*11. & ideò esse publicè denunciandum prout denunciari volumus, & mandamus, cui anathemati tamdiù subjaceat, quamdiù d.Montem plenè reintegraverit, & à Romano Pontifice absolvi meruerit, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. *Actuarius*.

SUMMARIUM.

1 *Montis pietatis erectio tunc est legitima, quando approbatio Sedis Apostolicæ intercessit, & proponuntur statuta.*

2 *Doctores de Montium pietatis erectione tractantes referuntur.*

3 *Formula Decreti erectionis proponitur.*

4 *Quod solvitur Monti, datur pro manutentione illius, & Salario Ministrorum.*

5 *Depositarius, qui habet mercedem, tenetur de levi culpa.*

6 *Mons, qui erigitur ea lege, ut mutuatarii nihil solvant, non indiget approbatione Apostolica.*

7 *Erectio Montis frumentarii proponitur, cum Statutis.*

8 *Episcopus ad recognoscendum labem usurariam, potest visitare Montes frumentarios à laicis administratos, & num.*9.

10 *Usura exacta ubi non constat quibus sint restituendæ, pauperibus distribui debent.*

11 *Episcopus, debet constituere defensorem locis piis.*

12 *Convertentes pecunias Montium pietatis in alios usus, quàm paupérum excommunicationem incurrunt.*

13 *Administrator loci pii, qui illius pecunias in usum proprium convertit, dicitur in dolo vero: si verò non facit, quod facere tenetur dicitur in dolo præsumpto, & n.*14.

15 *Administrator negligens constituitur in culpa, & tenetur de neglectis.*

16 *Usurpantes bona locorum piorum scienter, censuris Sacrorum canonum innodantur.*

17 *Debitores locorum piorum, qui non solvunt statuto tempore, vel bona retinent aliquo titulo, non sunt censuris coercendi, sed remediis juris.*

18 *Repudiatio legati, sive hæreditatis relictæ locis piis est vera alienatio, quæ requirit beneplacitum Apostolicum, & allegantur rationes, n.*19. 20. 21.

22 *Fallit in legatis relictis cum onere Missarum.*

23 *Dolosus usurpator bonorum Ecclesiæ, si est impotens ad restituendum, est abstinendum à censuris.*

24 *Pro exactione redditiuum locorum piorum deputatur exactor, quando sunt in notabili quantitate.*

Denun-

Denunciationis

FORMULA XXIV.

HIC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus excommunicatione majori Summo Pontifici reservata N. ex eo quia dum erat Depositarius, & Administrator pecuniarum, & pignorum S. Montis Pietatis hujus Civitatis, pecunias, quæ in usum pauperum erogare debuerat, in alios usus convertit, imò dolosè in proprium commodum consumpsit. Idcircò ut ab omnibus evitetur præsentes publicari jussimus: & tamdiù anathemati subjacebit, quamdiù usurpatam, & consumptam pecuniam Monti restituat, & deinde à Romano Pontifice absolutionem, &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

VEL

CON autorità ordinaria, si denuncia, e dichiara Scommunicato di scommunica maggiore riservata al Sommo Pontefice, N. perche essendo stato Depositario, & Amministratore del Sacro Monte di pietà di questa Città, il denaro, che doveva impiegare per beneficio, e sollievo de poveri, l'ha convertito in altr'uso, anzi l'ha con fraude usurpato per uso, e commodo proprio. Et accioche sia da tutti evitato, si è publicato il presente Cedolone: e starà così scommunicato, fin tanto, che haverà reintegrato il monte intieramente, e dipoi ottenuto dal Sommo Pontefice l'assolutione, &c.

N. Vescovo N.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

Legitimè erecti. Montis Pietatis erectio tunc dicitur legitima, quoties Sedis Apostolicæ approbatio interveniat, prout colligitur ex *Constit. Leo X.* in Conc. Lateranen. evulgata, & homologata *anno* 1515. impressa in *Bullario tom.* 1. *Const.* 11. §. 4. ibi — *Ac deinceps alios etiam similes Montes cum Apostolicæ Sedis approbatione erigi posse.* Ut autem instantia pro confirmatione erectionis sit honesta, & admissibilis, hæc sunt, quæ debent proponi.

Primo quòd pecunia coacervata, & destinata pro Monte administrabitur à Ministris, qui dabunt idoneam cautionem de fideliter administrando, & singulo anno rationem reddent coram Syndicatoribus electis, qui eos absolvere, vel condemnare non poterunt, nisi prius computa ab Episcopo, vel ejus Deputato visa, & approbata non fuerint.

Secundo quòd pecunia Montis non mutuabitur Divitibus, neque alienigenis, sed pauperibus, & indigentibus loci (non tamen Ministris, & Officiali-

bus Montis) & aliò non convertetur.

Tertiò, quòd Mutuatarii dabunt sufficiens, & certum pignus, pro certa, & determinata summa, quæ non debebit excedere scuta ..

Quartò, quòd Mutuatarii, singulis mensibus aliquid exiguum eleemosinaliter v. g. duorum cum dimidio, vel trium pro centenario ultra sortem solvent pro sumptibus necessariis ad conservandum Montem, scilicet pro stipendiis Ministrorum, pro conductione Domus, & certis aliis expensis, absque ullo lucro Montis, donec Mons possit propriis aliis redditibus dictas expensas sustinere.

Quintò, quòd pecunia dabitur mutuatariis ad certum tempus v. g. ad annum, vel ad summum duos annos: & si mutuum præscripto tempore non restituatur, pignus vendetur, & ex pretio pecunia debita Monti solvetur, & quod reliquum est Domino pignoris restituetur: imò quòd post venditionem concedetur debitoribus mutuatariis terminus saltem octo dierum ad pignus redimendum.

Sextò, quòd super pignora non recipientur sequestra, seù arresta, nisi coram ordinario legitimè constet, rem pignori datam fuisse furto subtractam; & sequestrum, seù arrestum sit subscriptum ab ipsomet ordinario, redintegrato Monte de pecunia mutuata.

Septimò, quòd venditio pignorum non fiet diebus festis de præcepto, nisi in casu, quòd diebus ferialibus ob carentiam oblatorum, venditio compleri non possit; & tunc non nisi obtenta scripto licentia Episcopi.

Octavò, quòd fiat Inventarium mobilium, immobilium, & jurium Montis, quod erit subscriptum à Ministris, & renovatum in ingressu, & fine officii.

Nonò, quòd Statuta supradicta fuerint ab Episcopo cum consilio Deputatorum Capituli Cathedralis,& Universitatis laicorum laudata, & approbata.

Hæc inquam statuta sunt juridica, & honesta, quæ poterunt juxta exigentiam loci augeri, sed non minui: & de quibus sparsim loquuntur Leot. *de usur. q.* 22. *num.* 33. *& seqq.* Nicol. *lucubr. civil. lib.* 3. *tit.* 15. *n.* 13. *& lucubr. can. lib.* 2. *tit.* 9. *de feriis post n.* 5. Chrisp. *de Visit. p.* 2. §. 38. *num.* 15. Amostaz. *de caus. piis tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 13. Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 19. *num.* 109.

Obtenta autem approbatione Apostolica, Decretum erectionis poterit sic concipi.

Erectionis Montis.

FORMULA XXV.

CUM ex eleemosynis, & piorum hominum largitate, collecta fuerit pecuniarum quantitas, ut possit ad succurrendum Egenorum necessitatibus erigi, & institui Mons Pietatis; ideò Nos, cui præcipua pauperum cura commissa est, illis providere satagentes, adhibito prius Deputatorum nostri Capituli, & Civitatis consilio, in Nomine illius, qui intelligit super egenum, & pauperem, & qui Dives est in misericordia: tum auctoritate nostra ordinaria; tùm Apostolica nobis delegata, Montem Pietatis in hac Civitate N. (& pro nunc in Domo conducta in Via N. perpetuò erigimus, & instituimus, & pro erecto, & instituto volumus, & declaramus, cum sequentibus legibus, & Statutis, videlicet (& inserantur numericè Statuta, quibus per extensum insertis, immediatè dicatur): ita auctoritate prædicta erigimus, & Statuta præinserta servari volumus, & mandamus; reservata Nobis, & Successoribus nostris facultate ea augendi, & declarandi (præterquam quo ad interesse solven-

vendum à mutuatariis) prout nobis & nostris Successoribus pro bono regimine dicti Montis Erecti videbitur expedire omni &c. Datum &c.

N. Episcopus, & Judex Commissarius Apost.

Lectum, latum, & promulgatum fuit dictum Decretum Erectionis Montis Pietatis in loco N. die Mensis Anni præsentibus N. & N. Testibus &c.

Ita est N. Cancellarius Episcopalis.

4 Prætereà in condendis ejusmodi Montium Statutis, advertendum est etiam, quòd id, quod solvitur Monti à mutuatariis præter sortem, non dicatur illud solvi debere *per utile del Monte*, vel *per usura del Monte*; nam nomina, & verba ista, licèt sterilia sint; ad huc cùm verè Mons nec utilitatem, nec usuram propriè recipiat, rudium auribus malè sonant: sed debet dici quòd solvatur pro manutentione Montis, & Ministrorum. Secundò, quòd si Mons ex lege erectionis debet recipere deposita pecuniarum in gratiam deponentium, ut pecuniæ tutiùs serventur, melius est mercedem non recipere pro deposito, quàm illam taxare: nam Depositarius, qui habet mercedem, tenetur etiam de levissima culpa, ut dicit Zacch. *de Salar. qu.* 63. ideoque si ali-
5 quid à deponentibus solvatur, id à spontè dantibus, & titulo eleemosynæ recipiatur. Tertiò quòd si erectio Montis fiat lege, & conditione, quòd mutuatarii nihil
6 præter id, quod acceptum est, dare, & solvere teneantur nulla indiget approbatione Apostolica: quia hoc genus Montium est Christianæ Pietatis egregium institutum.

Si autem erigendus sit Mons frumentarius, legitima erit erectio, quoties Episcopi, vel alterius Ecclesiastici loci Ordinarii interveniat assensus, qui Statuta approbando, ut sequentia contineant curabit.

Primo, che li Montisti da eleggersi ogni anno dall'Università (ò sia Confraternità)
7 per voti segreti, siano approvati dall'Ordinario, e rendino conto della loro amministratione, e diano idonea sigurtà.

Secondo, che li Sindicatori da eleggersi come sopra, debbano ogni anno dentro il mese di Giugno haver sindicato li Montisti, e Depositarii del Monte con approvazione dell'Ordinario, e fatto soddisfare, se saranno stati trovati Debitori via esecutiva senza figura di giudizio: e fatta la sindicazione, si eleggano i nuovi Montisti.

Terzo, che il grano si distribuisca da Montisti nel tempo che sarà giudicato più proprio, & esservene maggior bisogno in una, ò più volte à poveri, con pegno sufficiente, che vaglia il terzo di più ò à persone che habbiano seminato, e possono hipotecare al Monte il lor seminato, ò pure dare altra sicurezza equivalente, altrimente i Montisti siano tenuti del proprio.

Quarto, che il grano si debba imprestare gratis per bollettini da spedirsi da i Priori pro tempore dell'Università, (ò sia Confraternità) e non si possa prestare più di ... per persona.

Quinto, che il grano del Monte non si possa vendere, nè divertire in altr'uso nè imprestare à forastieri sotto penna di ...

Sesto, che quelli che piglieranno grano in prestito dal monte alla misura rasa, non possino esser forzati, nè restituirlo alla misura colma, nè pure in riguardo de granari, pallegiatura, provisione de Ministri, ò altre spese che occorrono per il Monte, e conservatione del grano ma solamente restituiscano la quantità, e misura ch'hanno ricevuta; si possa bensì ricevere di più, & à misura colma, quando i debitori del grano vogliono darla spontaneamente non patteggiata, & à mero titolo d'elemosina.

Settimo, che li Montisti, ò siano ricevitori del grano tengano in libro à parte no-

te notà distinta dell'elemosine che si daranno da quelli che restituiscono il grano, e si metta il grano dell'elemosine in luogo à parte.

Ottavo, che il grano imprestato, si debba restituire al Monte per tutto il mese d'Agosto seguente all'imprestito, di buona qualità, e bontà, & i pegni di coloro, che a detto tempo non havranno restituito, si vendano nel termine di ∴ precedenti trè bandi, à chi più offerirà, e con il ritratto, si compri altrettanto grano quanto fu prestato sopra il pegno, & il di più che avanza del ritratto, si restituisca al Padrone, senza ritenere cosa alcuna, benche minima.

Nono, che ogn'anno nell' estrazione de nuovi Montisti, ò siano Dispensieri, si faccia l'Instrumento publico del grano, che si consegna con specificazione della quantità, e si dia loro il libro de Debitori sottoscritto, e sigillato col sigillo dell' Università (ò sia Confraternità) de quali si dovrà riscuotere esecutivamente.

Decimo, ch'ogn'anno in tempo della raccolta, si mandino una, ò più persone, per raccorre l'elemosina del grano per augumento del monte.

Undecimo, che si possino variare, e far nuovi Statuti coll'approvazione dell' Ordinario secondo le occorrenze de tempi.

8 Porrò si iste Mons frumentarius esset erectus ex ærario publico laicorum pro beneficio Annonæ vulgò *Abbondanza*, & ab eis esset administratus absque ulla dependentia Ordinarii loci: adhuc posset Episcopus, etiamsi non esset auctoritate Ecclesiastica erectus, illum visitare, statuta examinare, & libros inspicere, ad finem cognoscendi, an in distributione, & mutatione frumenti, ejusque receptione, adsit labes usuraria, ut partibus contradicentibus respondit *Sacr. Congr. Concilii in Montis Falisc. Juris visitandi* 25. *Junii* 1695. in qua causa, cùm fuisset etiam declaratum, quòd in receptione usuræ observaretur *Bullæ Leonis X.* & posteà à piæ mem. Card. Barbadigo Ordinario in Visitatione talis Montis recognitum, quòd Montistæ per multos annos ex pacto recepissent à mutuatariis ultra sortem, certam frumenti quantitatem, & exindè valdè notabilem summam usurarum exactam fuisse, factis per peritos calculis coram Eminentiss. Barberino Deputato, iterum proponi cœpit sequentia Dubia.

9 Primò an standum, vel recedendum à decisis circa exactionem usurarum pro Monte frumentario ad formam *Bullæ Leonis X.*

Secundò, an salmæ tercentum, & ultra Tritici existentis in Monte frumentario Valentani provenientes ex usuris, & quatenus affirmativè, quid circa illud statuendum in casu.

Die 1. *Martii* 1704. *Sac. Cong. respondit.*

Ad primum in decisis,

Ad secundum pro erectione Montis frumentarii salmarum 303. *sub administratione Em. Episcopi*. Ex qua resolutione percipitur, quòd Sac. Congreg. sequuta est opinionem Comituli *respons. moral. lib.* 3. *quæst.* 35. ubi tenet, quòd ex frumento Montis accreto ab usuris, possit erigi novus Mons in beneficium pauperum, ubi non constat, & incertum est cui sit facienda restitutio, prout erat in casu: nam tunc cùm intret regula de restitutione incertorum, ut in terminis usurarum Montium docet Bonac. *de contract. disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 12. *num.* 7. pauperibus distribuendum erat, ut dixi supra *ad form.* 18. §. *Et receptas restituerit*: eadem *S. Congreg. in alia Venusina Legatorum* 15. *Novembris* 1704. *ad* 5. *dubium*, quod refert D. Ursaja *Instit crimin. lib.* 3. *tit.* 7. *num.* 93. 10

11 *Per Procuratorem locorum piorum*, hoc dicitur ad demonstrandum, quando Ordinarii locorum præter Promotorem Fiscalem in causis criminalibus, debent deputare aliquem Virum idoneum pro defensione causarum locorum Piorum, & quantum fieri potest Ecclesiasticum, Nicol. *lucubr. can. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 109. *ampl.* 5. & 6.

12 *Contra formam Bullæ Pauli V.* Ad incurrendam censuram hujus Bullæ, quæ est impressa in Bullario *tom.* 3. *Const.* 82. non est necesse, quod interveniat fraus aut dolus, sed sufficit, quod pecunia in alios quàm pauperum usum convertatur, ut patet ex §. 2. illis verbis -- *Universis*,

sis, & singulis Montis Pietatis hujusmodi Officialibus quibuscunque status nostri Ecclesiastici quacunque dignitate fulgentibus, etiamsi Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, aut S. R. E. Cardinales etiam de latere Legati existant, ne de pecuniis ad dictos Montes quomodolibet spectantibus & pertinentibus, ac pro sorte principali à principio illis assignatis; quàm pro dictæ sortis augumento posteà acquisitis, in alios quàm pauperum usus juxta modum, & formam in erectione dd. Montium præscriptam absque nostra, & Sedis Apostolicæ licentia sub quovis prætextu, vel quæsito colore, & cum obligatione intra quodcunque breve tempus restituendi, disponere præsumat. tenore præsentium prohibemus. Quòd si quis contra hanc nostram prohibitionem venire præsumpserit, Cardinales quidem, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi Suspensionis, alia verò inferiores personæ excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua nonnisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo absolvi possunt.

13 *Dolosè convertisse &c.* Quoties constat, quòd Administrator loci Pii pecunias in usum proprium convertit, eo ipso dicitur in dolo vero, & manifesto, non autem præsumpto, adeout dicatur prædo, & agi possit contra eum de furto ut plenè probat Gratian. *discept.*935. *num.* 1. 11. *&* 21. & sic censuras canonum incurrit: si verò aliquid aliud contrà dispositionem statutorum egisset, vel id ad
14 quod ex officio tenetur, facere neglexisset, tunc diceretur in dolo, sed præsumpto: quia qui non facit quod debet, vel non inquirit quod inquirere ex officio tenetur, in dolo dicitur esse, nisi aliunde bona fide probetur, *leg. si procurator* §. *Dolo*, *ff.mandat. l.dolo* 41. *ff.ad l.falcid.*Sperell.*decis.*99.*num.*58.Fagnan.*in cap.de falsariorum num.*12. *de crim. fals.* Barb. *axiom.*96. *num.*6. & licèt dolus iste præsumptus, elidi, & excludi valeat contrariis præsumptionibus, & conjecturis, de quibus dixi *part.* 2. *tit.*15. *ad*
15 *form.*4. *num.* 3. tamen Administrator de neglectis constituitur in culpa lata, & tenetur ad damna, Panimoll. *decis.*133. *per tot.*

Ex præmissis igitur infertur, quòd Administratores, & alii quicunque scienter dolosè usurpant bona Ecclesiæ, & aliorum Piorum locorum incidunt in Censuram dd. canonum, & Concilii Trid. Officiales verò Montium Pietatis, qui non in usum proprium, sed in alios usus quam pauperum pecunias Montis convertunt, excommunicatione *Bulla Pauli V.* innodantur. Cæteri verò debitores qui vel ex impotentia, vel ex alia prætensione, & titulo saltem colorato non solvunt statuto tempore debitum, aut non restituunt bona, quæ ad Ecclesias, & pia loca spectare prætendantur, non cadunt sub his censuris, neque hac via censuratum compellendi sunt: sed contra eos intrant alia juris remedia, cùm hi non dicantur usurpare, ut advertit, & monet Card.de Luca *supra Concil. Trid. disc.*23. *num.*3. v.g. si hæres legatum solvendum, seu tradendum Ecclesiæ, vel gravatus hæreditatem restituere Monasterio, quod, sive quam Rector, vel Abbas antecessor sine Beneplacito Apostolico repudiavit, retineret: non diceretur legati, seu hæreditatis Usurpator, licèt titulo retineret, & possideret invalido: quia non adest neque dolus verus, neque præsumptus, sed potiùs bona fides & credulitas justi tituli. 16 17

Dixi, quòd isto casu hæres, sive alius gravatus possideret titulo invalido: quia ut novi *part.*1. *tit.* 5. *ad form.*15. *num.*21. *pag.*130. in repudiatione legati, seu hæreditatis relictæ Ecclesiis, Monasteriis, & aliis locis piis, requiritur Beneplacitum Apostolicum: tum quia cùm statim ac bona relicta, vel donata fuerunt, transeat eorum dominium in Ecclesiam, vel Monasterium absque alia traditione, & acceptatione, *l. final. Cod. de Sacr. Eccles.* Matth *de success. legal.par.*4. *quæst.* 18. *art.*4. *num.*85. 88. *&* 91. & est communis opinio, & sic sint illis jam quæsita, & non quærenda: sequitur, quòd repudiatio sit vera alienatio, quæ necessariò solemnitates requirat, ut in puncto rejectis contrariis tenent, Donat. *prax. rer. regular. tom.*1. *par.*2. *tract.* 14. *de reb. monaster. non alien. quæst.*59. *à num.*9. *& per tot.* Amostaz. *de caus. piis tom.*1. *lib.* 1. *cap.*12. *num.*42. 46. *& seqq.* Gratian. *discept.* 18 19 20

discept. 674. *num.* 12. Quarant. *in summ. Bullar. verb. alienatio rerum Ecclesiæ num.* 23. *&* 43. *verb. Prælatus potest in fin.* Tamb. *de jure Abb. tom.* 3. *disp.* 13. *quæst.* 2. *num.* 8. Cherub. *in sum. Bullar. ad Const. Leon.* 1. *const.* 1. *Schol.* 2. ubi concordantes.

21 Tum quia bona sic relicta dicuntur spectare ad Ecclesias, vel Monasteria, si non ratione dominii, aut possessionis quod, seu quam actu non habuerunt, saltem ratione juris competentis, quod habent ad illa, *leg. recte dicimus* 25. *ff. de verb. signif.* & in fortioribus terminis de dote profana respondit Rot. *coram Manzaned dec.* 309. *n.* 3. & ideò si sine solemnitatibus fuerunt repudiata, Ecclesia vel Monasterium jus habent vindicandi.

22 At adverte, quòd si agatur de legatis particularibus relictis cum onere missarum: cùm hæc à Clericis, & Ecclesiis Sæcularibus sine licentia Ordinariorum, & à Regularibus sine licentia suorum Superiorum acceptari non possint juxta Decreta generalia *Urbani VIII. de celebrat. missar.* innovata ab *Innoc. XII.* prout in Bulla, quam per extensum dedi *part.* 1. *in Appendic. pag.* 346. si Decreto Episcopi, vel Vicarii generalis, & Superioris Regularium respectivè repudientur ex eo, quòd oneribus injunctis, redditus legatorum non correspondent, valida est repudiatio: quia cùm Ordinarii, & Superiores Regularium, procedant hac in re, tanquam Delegati Apostolici, actus repudiationis, non indiget alio beneplacito.

Monitio autem contra dolosos usurpatores, & detentores bonorum Ecclesiæ, & locorum Piorum exequenda ante sententiam declaratotiam, poterit concipi prout notatum fuit in formula præcedenti, & quo ad appellationem, intrant eædem animadversiones ibidem factæ. Quòd si Episcopus cognoscat, sibique constet de morali impotentia dolosi Usurpatoris, redintegrandi Ecclesiam, vel locum pium in totum, vel in partem debet abstinere à denunciatione excommunicationis: quia qui non habet unde solvat, excusatur, licèt qui impotens evadit post excommunicationem non liberetur, ut inquit Sayr. *de cens. lib.* 1. *c.* 18. *n.* 40. 23

Quare ab Ordinariis elaborandum est ut bona, & pecuniæ Ecclesiarum, & locorum Piorum, non nisi à viris idoneis, moribus, & fide probatis, administrentur: quibus, ne de Decreto *Concilii Trid. & Bullæ Pauli V.* ignorantiam allegare unquam valeant, curent ut in susceptæ administrationis exordio per explicitam lecturam notificentur, & Cancellarius de lectura, & notificatione rogetur, & ubi introitus sunt pingues, & notabilis quantitatis, curare debent, ut eligatur, & deputetur exactor, congrua ei constituta mercede; nam sæpè ex negligentia, conniventia, & incuria Officialium, qui gratis administrant, credita depereunt, & inexibilia redduntur, cum gravi damno, & jactura locorum piorum. Formula autem talis deputationis sequenti, vel simili modo concipi poterit. 24

Exactoris deputationis.

FORMULA XXVI.

N. N. Episcopus Dilecto N. N.

CUM Nobis ea, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seù pauperum sustentationem relicta, & instituta sunt, principaliter à Sacr. Canonibus, & Concilio Tridentino commissa reperiantur: animadvertentes quòd introitus loci pii N. (sive locorum piorum N. & N.) nostræ Diœcesis (seu Civitatis) propter negligentiam, conniventiam, & incuriam Officialium, & Administratorum pro tempore in dies diminuuntur, & pereunt: huic

„ huic malo (quantum in Nobis est) obviare, & providere cupientes: *pro manutentione*, *præservatione*, & *reintegratione* dd. reddituum, exactorem providum, qui illis præsit, & prosit, eligere, & deputare statuimus: Quapropter te, de cujus probitate, fide, diligentia, & idoneitate fiduciam habemus, Exactorem, & Procuratorem specialem ad exigendum fructus, census, canones, livellos, responsiones, credita pecuniaria, & alios quoscunque proventus quomodocunque ad præfatum locum pium N. (seu præfata) spectantes sive spectantia, & pertinentia, aut quocunque modo, & jure spectare ac pertinere possunt, & poterunt, attenta idonea cautione in actis nostræ Curiæ sub die ∴ per te data *de diligenter exigendo*, & rationem nobis, & cui de jure fideliter reddendo, cum mercede annua sc.... *ex summa exacta detrahenda* ad rationem sc.... pro centenario, nostra auctoritate ordinaria eligimus, constituimus, & deputamus, cum facultate Debitores quoscumque (quorum nomina tibi tradi, & consignari mandamus) pulsandi, & tam in judicio, quàm extra conveniendi, & pro eorundem fructuum, censuum, canonum, livellorum creditorum, & proventuum solutione, recusantes juris remediis cogendi, & compellendi, usque ad integram, & plenam satisfactionem, & de exactis Debitores quietandi, & alia ad prædictum effectum gerendi, & faciendi, etiamsi mandatum magis speciale requirerent. Volumus autem quòd in exactione prædicta nullus alius Officialis, seu Minister d. loci pii N. se ingerere, & immiscere præsumat, sub pœna restitutionis indebiti, & quòd tu fructus census, livellos canones, pecunias, & alios proventus exactos, seu exactas, & ut supra ad d. locum pium. N. spectantes, & pertinentes, nemini tradas, solvas, aut consignes in quacunque quantitate, quantumvis minima, nisi de mandato, & ordine in scriptis dando, & recipiendo respectivè, N. & N. Officialium d. loci pii N. ad quos eorundem introituum administratio spectat, & pertinet, & quam Nos eis servata forma Statutorum loci Pii, & Decretorum Synodalium *liberam relinquimus* sub pœna reiteratæ solutionis de proprio: & quòd præsentes nostræ deputationis litteræ tam ipsis Officialibus, quàm Debitoribus d. loci Pii *notificentur*, & *intimentur*. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

Cancellarius.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus causa concurrente, potest reformare, & augere Statuta locorum piorum.*
2 *Exactor tenetur de neglectis, & non exactis.*
3 *Exactor, qui assumit in se onus exactionis dicitur Procurator in rem suam.*
4 *Exactor pro locis piis non est deputandus sine utilitate, & num. 5.*
6 *Exactoris deputatio, notificanda est debitoribus.*

ADNOTATIONES.

PRO MANUTENTIONE, &c. Exprimit hic Episcopus causam cur de Exactore speciali provideat, quia ea concurrente, pro bono regimine locorum piorum, potest reformare Officiales, & statuta, eaque augere prout sibi expedire videatur, prout tradunt Bellett. *disquisit. Cleric. de bon. cleric.* §. 12. *num.* 7. & *seqq.* Barb. *de offic. Episc. alleg.* 75. *num.* 14.

. *De diligenter exigendo*. Hoc exprimitur in formula ad denotandum, quòd Exa-

Exactor debet esse diligens in exactione, aliàs si non de levissima, saltem de levi culpa in actione civili tenetur, & quòd si fuerit negligens, non solùm mercedem conventam non lucrabitur, sed tenebitur de neglectis, & non exactis, ut de communi volunt, Cyriac. *controv.* 433. *num.* 6. 17. & 18. Zacch. *de Salar.* *quæst.* 65. *num.* 37. & *seqq.*

Ex summa exacta detrahenda. Exactores privati, diversimodè deputantur: alii enim nulla mercede conventa munus exactionis subeunt; alii pro merce de detrahenda ex ipsa summa exacta ad rationem tot, puta, quinque, sex, octo, vel decem pro centenario, prout hic in formula: alii demum exactiones acceptant, & in se assumunt omnem illarum utilitatem, & damnum, solvendo Dominis certam summam: & hi quoties inveniantur (data idonea cautione) tamquam diligentiores, & utiliores, erunt pro lo-
3 cis piis assumendi: nam isti dicuntur emptores exactionis, & censentur Procuratores in rem suam, ut docent Tondut. *quæst. civil. tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 32. *num.* 4. & 5. Zacch. *de salar. d. quæst.* 65. *num.* 1.

4 Hujusmodi autem Exactoris deputatio, ut præmissum est, debet fieri cum causa, & pro illis locis piis, quorum Officiales, & Ministri negligunt, vel confundunt exactionem introituum notabiliter, & libros, ac partitas dari, & recepti ineptè conscribunt, & consarcinant: Cæterùm ubi introitus diligenter exiguntur, cum puta, & libri benè, & fideliter ab Officialibus retinentur, abstinendum venit à tali deputatione, ne loca pia absque ulla utilitate novo hoc graventur onere.

Liberam relinquimus. Per hanc ex- 5
pressionem datur intelligi, quòd per deputationem Exactoris, non tollitur Officialibus loci pii administratio bonorum, quam de jure habent, ut alibi dixi, sed pro utilitate, & manutentione eorundem bonorum capitur provisio, a qua non poterunt reclamare ex supra firmatis §. 1.

Notificentur, & intimentur. Ut enim 6
Debitores non liberentur solvendo Officialibus, & Administris loci pii, debes illis intimari Exactoris deputatio; aliàs ipsis, qui mandatum habent à lege licèt à Judice revocatum, benè solverent, si revocationem ignorarent, *l. si fidejussor.* § *si cum debitor*, *ff. mand.* Pacion. *de locat. cap.* 26. *num.* 28. ubi dat concordantes.

De excommunicatione contenta in cap. 8. Conc. Trid. sess. 24. de refor. matr.

Concubinarii, sive laici, sive Clerici sunt mulctandi, & puniendi sunt prout Sacri Canones sanxerunt, & Leo X. in Bulla reformationis Curiæ Romanæ approbata à Concilio Lateranensi anno 1514. impressa in Bullario *tom.* 1. *Const.* 7. §. 36. mandavit, & novissimè Concilium Tridentinum homologavit. Quare constito de schemate Concubinatus, si Episcopus velit contra hos via Censurarum procedere, & non per viam mulctæ pecuniariæ, aut alterius pœnæ de jure communi, vel à Synodo inflictæ, tunc præmissis tribus distinctis monitionibus, cum aliquo dierum intervallo ad ejiciendam Concubinam, si non pareant, etiam nemine requirente, ad sequentem, declaratoriam deveniat.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XXVII.

Visis relatione Baroncelli nostræ Curiæ, informatione capta super Crimine Concubinatus *N. laici soluti* cum N. Muliere soluta, totoque processu desuper constructo: *ex quo constat de schemate d. Concubinatus;* visis monitionibus contra d. N. *ter repetitis*, & exequutis ad relinquendam d. Concubinam, quibus parere contempsit, dicimus, & declaramus prænominatum N. esse excommunicandum prout per hanc nostram sententiam excommunicamus, & à con-

consortio Christi Fidelium segregamus, donec resipiscat, & exeat à peccato & pro excommunicato publicè denunciari volumus, ad hunc effectum Cedulones relaxantes omni &c.

N. Episcopus (sive N. Vic. Gen.) N.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Clerici Concubinarii qua graduatione pœnarum sint puniendi ostenditur.*

2 *Concubinatus, ad effectum puniendi reos juxta præscriptum Sac. Canonum probatur etiam diffamatione, & num.3.*

Clericus, si post sui Superioris monitionem, Mulierem de incontinentia suspectam à Domino non ejicit, dicitur publicus Concubinarius ibi.

4 *Consuetudo peccandi ad effectum puniendi Clericum Concubinarium, inducitur per duos actus, ubi præcessit monitio.*

5 *Concubinatus est crimen mixti fori.*

6 *Concubina Clerici, à quo Judice sit punienda, referuntur DD. opiniones.*

7 *Concubinarii laici excommunicari non possunt, nisi præcedant tres monitiones distinctæ, nec sufficit monitio Synodalis, nec edictum, & num. 8. & 9.*

10 *Datur formula monitionum, & n.11.*

12 *Concubinarii puniri possunt aliis pœnis, & tunc non requiritur trina monitio.*

13 *Mulieres Concubinæ, non excommunicantur, sed aliis pœnis afficiuntur, nisi sit Concubina Clerici.*

14 *Mulier conjugata, si sit Concubina, quomodo moneatur.*

15 *Concubinarius, si sit persona publica, quomodo sit monendus.*

16 *Regulares si retineant Concubinam, quomodo sint processandi ostenditur.*

17 *Decretum contra Concubinarium latum, non admittit appellationem.*

Denunciationis.

FORMULA XVIII.

Hic auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus majori excommunicatione N. ex eo, quia ter monitus ad ejiciendam è Domo N. Mulierem solutam, quam retinet in Schemate Concubinatus, illam dimittere noluit, seque ab ejus prava consuetudine peccandi sejungere contempsit: idcircò ut ab omnibus evitetur præsentes jussimus publicari, & excommunicatus existet, idest privatus consortio fidelium, perceptione Sacramentorum, participatione suffragiorum, & Orationum, Ecclesiæ, & Ecclesiastica sepultura in casu obitus, donec resipiscat, exeat à peccato, & absolvi mereatur. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

Con

V E L

CON autorità ordinaria si denuncia scommunicato di scommunica maggiore N. perche ammonito tre volte giuditialmente a mandar via dalla di lui Casa N. Donna libera, la quale ritiene per Concubina, non ha voluto obedire, nè separarsi da essa, nè lasciare la prava consuetudine di peccare: acciocche dunque sia da tutti fuggito, e vitato si sono affissi, e publicati i presenti Cedoloni, e starà così scommunicato, cioè privo della società e comercio de' fedeli, e de Santi Sacramenti, della participatione de' suffragii, ed orazioni della Chiesa, e dell'Ecclesiastica sepoltura in caso di morte, fin tanto, che havrà obedito, e lasciato il peccato. Dato &c.

N. Vescovo N.

Luogo del + Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

N. *LAICI SOLUTI*. Hoc specialiter exprimitur de laico, ad insinuandum, quòd si de hoc crimine esset inquisitus, & convictus Clericus, non deberet excommunicari tali ordine, sed potiùs esset servanda graduatio pœnarum ab eodem Concilio præscripta in *cap.14. sess.25. de reform.* quamquam illa non servata, possit Episcopus contra Clericos Concubinarios ad alias pœnas procedere, Pignatell. *consult.139. num.129. tom.9.*

Ex quo constat. Circa probationem Concubinatus, Rot. *coram Seraphin. dec.* 199. *num.* 1. hæc habet -- *Domini dixerunt probari, quòd Augustinus retinebat N. potiùs pro Concubina de facto, quàm pro Ancilla, nam ea quæ per testes probantur, nempè susceptio liberorum, reputatio, tractatus decentior, cura rei familiaris, differentia inter eam, & alias Ancillas magis conveniunt Concubinæ, quàm simplici Ancillæ.* At conjecturæ in hac decisione enumeratæ requirunt, quando agitur de successione prolis, de qua ibi quærebatur: Cæterùm ad effectum coercendi Concubinarios pœnis Canonum, & Concilii, minus exigitur, & admittuntur leviores probationes, Ric. *in prax. for. Ecclesi. par.5. prax. Criminal. Concubinat. resol.9. num.* 1. ubi sic ait -- *appellatione Concubinæ ad effectum puniendi Concubinarium pœnis Concilii, venit illa, quam Clericus, aut uxoratus, vel Religiosus tenet in sua Domo, sive extra domum luxurioso affectu, ita tamen, quòd cum ea carnaliter commiscetur, & de consuetudine constat, & diffamata est in sua, vel Concubinarii vicinia: & istam ego dicerem publicam Concubinam; nam hoc appellat publicum l. 20. tit. 4. par.1. si de publicitate constat per legitimos testes, deponentes de dicta diffamatione, aut de rei evidentia, & de frequenti, & mutua conversatione, & frequentia suspecta amicitia.*

Et num. 2. *Item si habeat eam extra domum per vehementem opinionem vulgi stantibus aliis conjecturis, inducitur certitudo, ut notat Paulus in l.si posthumus §. fin.ff. de lib. & posthum.* Bald. *in l. naturales C.de probat. & quando testes deponentes de Concubinatu, dicunt in suo testimonio: omnes de vicinia dicunt istud, sufficit cum aliis adminiculis ad talem probationem, ut notat Abb.in c.cùm dilectus de purgat. canon. & debent testes concludere in suo dicto, quòd iste Concubinatus innotescit pluribus de vicinia vel populo, nam ex hoc resultat, quòd sit crimen manifestum Bart. &c.* quæ doctrina in praxi tenenda est; nam si esset probandum continua habitatio, communis lectus, & mensa affectu maritali, prout disponit

nit jus civile, *glos. in l. Concubinam, ff. de* Concubin. facilè eluderentur pœnæ Sac. Canonum, ut advertunt Ciarlin. *contr.* 33. *num.* 43. *& controv.* 50. *num.* 54. Pignatell. *d. consult.* 139. *num.* 78. *tom.* 9. & sequitur D. Raynald. *observat. crim. ad cap.* 28. *supplem.* 1. *num.* 27.

3 Et sine difficultate contra Clericos, quorum Concubinatus probatur consuetudine peccandi cum Muliere, tum in Domo propria, tum in aliena, Tondut. *quæst. benef. tom.* 1. *par.* 1. *cap.* 97. *num.* 13. imò quod probetur diffamatione de consuetudine, & commercio etiam extra propriam Domum in Clerici, vel fœminæ vicinia Ciarlin. *de contr.* 33. *num.* 44. *&* 55. Panimoll. *decis.* 59. *num.* 7. 8. *& seqq.* & quòd, Clericus dicatur Concubinarius notorius, si post sui Superioris monitionem, Mulierem de Domo sua dimittere renuit, aut negligit, vel alibi retinet in Domo Amici, vel conducta, tenet Tondut. *loco supra cit. num.* 2. ex hoc enim oritur violenta præsumptio, quòd eam retineat in Concubinam, Pignatell. *de consult.* 139. *num.* 52. & habetur expresè in Bulla Leo X. Constit. 20. impressa in Bullario *tom.* 1. *pag.* 503. in qua Pontifex in §. 22. sic ait *publici autem intelligendi sunt non solùm ii, quorum Concubinatus per Sententiam, aut confessionem in jure factam, seu per rei evidentiam, qua nulla possit tergiversatione celari notorius est, sed etiam qui mulierem de incontinentia suspectam, & diffamatam tenent, & per suum superiorem admoniti, ipsam cum affectu non dimittunt.*

4 Frequentia autem, seu consuetudo peccandi ad effectum puniendi Clericos juxta dispositionem Concilii inducitur per duos actus, ut probat Ricc. *d. par.* 5. *prax. crimin. concubinat. resolut.* 17. *num.* 5. *& seqq.* quod verum puto ubi præcessit specialis monitio juxta terminos Concilii Graff. *lib.* 5. *consil. par.* 2. *cons.* 10. *num.* 5. *de sentent. excomm.* Leo *Thes. for. Eccles. par.* 3. *cap.* 4. *num.* 25. *vers. quòd decretum.*

5 *De schemate Concubinatus.* Hoc crimen, quòd sit Ecclesiasticum, & solus Episcopus privativè de eo cognoscere debeat, ex eo quia de jure civili non prohibeatur, tenent DD. relati à Pignatell. *d. consult.* 139. *num.* 95. *&* 86. *tom.* 9. alii tamen, (quorum opinio verior est) sustinent, quòd sit mixti fori, prout sunt Ricc. *d. part.* 5. *prax. crim. resolut.* 13. *per tot.* Barbos. *in d. c.* 8. *sess.* 24. *de reform. matr. num.* 5. Bellet. *disq. Cleric. de favor. Cleric. real.* §. 4. *n.* 52. Guazin. *ad defens. reor. def.* 1. *c.* 11. *num.* 9. Conciol. *resol. crim. vers. delictum resolut.* 2. *num.* 11. Gallemart. *in collect. ad Concil. d. cap.* 8. *verb. ab Ordinariis locorum*: & hæc sententia in praxi recipitur; quia etiam jure civili novissimo prohibetur, ut relatis juribus probat Ciarlin. *controvers.* 33. *num.* 71. *& contr.* 109. *nu.* 54. quàmvis Judices laici parùm se ingerant in puniendo.

Dubium tamen oritur de Concubina Clerici, an scilicet hæc possit puniri à 6 Judice laico, vel potiùs sortiatur forum Ecclesiasticum; & duplex est Sententia; una tenet, quòd Mulier pro copula carnali habita cum Clerico, dummodo non sit ejus Concubina notoria, & publica, non possit à Judice laico puniri, sed foro Ecclesiastico privativè subjaceat, & hanc sequuntur Graff. *decis. aur. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 19. Sperell. *decis.* 19. *num.* 4. *& seqq.* Ciarlin. *contr.* 50. *num.* 50. Bellet. *disq. cler. de favor. real.* §. 4. *num.* 53. quibus adhæret Fagnan. *in cap. nullus n.* 30. *&* 31. *de for. comp.* ubi firmat quòd ratione individuitatis causæ, Concubina forum Clerici sortiatur, & si Judex Sæcularis instituat processum contra Mulierem in casu fornicationis cum Clerico perpetratæ, individuando personam ipsius Clerici, eo ipso incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ fertur in Judices, personas Ecclesiasticas processantes: & licèt in eandem sententiam incliner Pirhing. *in jus can. lib.* 3. *tit.* 2. §. 2. *num.* 6. *vers. notandum secundo*, fatetur tamen, quòd à Judicibus laicis non servatur; Alia verò Sententia negat, privilegium fori Concubinæ Clerici competere, & huc subscribit Pac. Jord. *elucubr. tom.* 2. *lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 105. ubi quòd nullo modo id concedendum sit. Prima sententia de jure videtur verior: secunda in praxi remanet dubia.

Ter repetitis. Ut Concubinarii validè excommunicentur, debent priùs ter judicialiter moneri, neque sufficit, quòd fue-

fuerint moniti per Edictum, vel per Synodum, vel per unicam monitionem pro tribus: quia monitiones debent esse speciales, & distinctæ, ad hoc ut dicatur servata forma Concilii: nam licèt regulariter monitio generalis in Synodo facta vim habeat trinæ monitionis: ut alibi dixi, fallit tamen regula hìc, ut individualiter advertunt Genuen. *in prax. cap. mihi* 36. *num.* 2. *&* 3. Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.* 2. *c.* 76. *num.* 5. Barbos. *supra Concil. num.* 3. Fagn. *in cap. perniciosam num.* 22. *de offic. ordin.* Pignatell. *d. consult.* 139. *num.* 104. *&* 105. Pirhing. *in jus can. lib.* 3. *tit.* 2. §. 2. *num.* 13. *vers. notandum quarto* Gallemart. *collect. in Concil. sess.* 25. *cap.* 14. *de reform. num.* 2.

8 Et hinc cavendum est à doctrina Ric. *d. par.* 5. *prax. crim. resolut.* 11. ubi docet, quòd monitio facta in Synodo habeat vim trinæ monitionis ad effectum puniendi Concubinarium ex vi Concilii: nec non à praxi quam tradit Leo *thesaur. for. Eccles. par.* 3. *cap.* 4. *à num.* 26. ubi dicit quòd ordinarii locorum postquàm monuerint per Edictum publicum omnes Concubinarios quatenus debeant sub pœnis in Edicto contentis à Concubinatu de cætero abstinuisse, si non paruerint, possint absque alia monitione procedere, & non parentes ad pœnas in Edicto contentas condemnare: nam hæc praxis nimiùm distat, tùm à mente Concilii; tùm à juris dispositione secundùm quam nemo dicitur verus contumax, & inobediens Ecclesiæ, ut possit excommunicari, nisi personaliter, & specialiter citetur, ut pariter docuit in specie de Concubinario idem Ricc. *loco citato resol.* 5. & probant omnes supra allegati.

9 Præthereà, cùm Judex Ecclesiasticus non debeat procedere ad monitiones contra Concubinarios, nisi priùs sibi constet de concubinatu, Raynald. *observ. crim. ad cap.* 28. *supplem.* 1. *num.* 25. absurdum quippè est asserere, quòd possit eos ante delicti probationem punire, juxta Ricc. & Leonis Sententiam, si nondum potest monere.

10 Monitiones autem sic poterunt concipi — *Moneris tu N. ad dimittendam, & ejiciendam in termino trium dierum, e domo tua solita habitationis Mulierem N. tuam Concubinam, & ab ea omninò te separandum, & abstinendum à consuetudine cum ea fornicandi, sub pœna excommunicationis: & hoc primò, & pro prima canonica monitione instante &c.*

Si verò Concubina non retineatur in Domo propria sed extra in alia domo conducta, vel Amici, dicatur — *Moneris tu N. ad te abstinendum, à consuetudine fornicandi cum Muliere N. tua Concubina, & ab accessu Domus N. illius habitationis*, & omninò *ab ejus commercio separandum in termino trium dierum sub pœna excommunicationis: & hoc primò, & pro prima canonica monitione &c.* 11

Et si non pareat, fiant aliæ duæ monitiones dicendo in secunda — *& hoc secundò, & pro secunda canonica monitione:* & in tertia — *& hoc tertiò & pro tertia canonica, & ultima peremptoria monitione &c.*

Verùm si ordinarius nollet Concubinarium excommunicatione percellere, sed illum aliis pœnis coercere, prout potest: v.g. carceris, exilii, vel mulcta pecuniaria, tunc non esset astrictus hunc ordinem servare, sed executa prima, vel secunda monitione sub comminatione pœnarum Sacrorum Canonum, & aliarum arbitrio poterit si monitus non pareat, dictis pœnis eum punire, cùm solemnitas trium monitionum exigatur in solo casu inferendæ excommunicationis, ut communiter tradunt Ricc. *decis.* 43. *num.* 9. *&* 10. *part.* 4. Barbos. *supra* Conc. *d. cap.* 8. *num.* 3. Ciarlin. *contr.* 50. *num.* 36. Fagnan. *in d. c. perniciosam num.* 21. *de offic. ordin.* Pignatell. *d. consultat.* 139. *num.* 88. *&* 2 6. *tom.* 9. Nicol. *lucubr. civil. lib.* 4. *tit.* 18. *num.* 67. *vers. amplia* ubi Decreta S. Congreg. refert Raynald. *loco cit. num.* 33. 12

Et est notandum. Primò, quòd contra Mulieres Concubinas tanquam fragiliores, Ecclesia solet ab excommunicatione abstinere, ad evitandum contemptum, qui in eis facilè posset contingere: & postquam fuerint monitæ, si non resipiscant, & præsertim si sint recidivæ, exilio, fustigatione, vel carcere eas punit, Fagnan. *in d. c. perniciosam num.* 23. *&* 24. *de offic. ordin.* nisi sint Concu- 13

cu-

cubinæ Clericorum, quæ possunt, etiam excommunicari, Pignatell. *de consult.* 139. *num.* 118. *&* 119. *tom.* 9. Et sive sint solutæ, sive conjugatæ dummodo, ut loquitur Concilium, cum adulteris, seu Concubinariis publicè vivant.

14 Secundò notandum, quòd si Mulier Concubina sit conjugata, & meretricetur inscio Marito, erit monenda in secreto, at nihil in actis est scribendum, nè Marito, seu Consanguineis detur occasio illam occidendi, & ideò à punitione abstinendum, ut monet Raynald. *loco citato num.* 28.

15 Tertiò notandum, quòd si Concubinarius sit inter Magnates, vel loci Gubernator, erit magna circumspectione procedendum, & à rigore juris aliquantum recedendum, & ita prudenter, ut nec illi monitio pastoralis desit, nec de læsa ipsius æstimatione conqueri possit; pellicem tamen, si est publica, Judex moneat juxta *c. præcipua* 11. *quæst.* 3. ut consulit Pignat. *d. consult.* 138. *num.* 115. *&* 116.

16 Quartò notandum, quòd si de hoc crimine accusetur aliquis Regularis, qui degat intra Claustra, poterit ordinarius inquirere, & Processum informativum ad suum Superiorem remittere, cum præfixione termini, ut illum puniat ad formam Concilii *cap.* 14. *sess.* 25. *de regular.* Si verò talis Regularis extra Claustra degeret, posset ordinarius tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus ipse eum punire juxta aliud Decretum ejusdem Concilii *cap.* 3. *sess.* 6. *de reform.* Ciarl. *in terminis contr.* 50. *num.* 8. *&* 9. At ego consulerem, quòd etiam in hoc secundo casu ordinarius uti debeat prudentia, & non juris rigore, ne Ordinum Regularium bonum nomen, & fama luxuriæ noxa fœdetur: & reum à loco delicti removeri facere, & processum supra Superiori remittere pro punitione juxta Regularium Statuta: longè enim utilius est istis bonam famam servare, quàm delictum punire; quia plùs nocet exemplum delinquendi, quod ex delicto revelato per punitionem præbetur, quàm condonatio delicti secreti, ut monet Navar. *commentar. to.* 3. *in rubric. de judic. num.* 56.

Quintò notandum, quòd si Concubinarius monitus ad dimittendam Concubinam ante, vel post sententiam declaratoriam appellaret, ejus appellatio non debet admitti à Metropolitano cum inhibitione, ut pluries Sac. Congr. Concilii declaravit, cujus Decreta refert Pignatell. *in sæpè citata consult.* 139. *num.* 90. *& num.* 28. *tom.* 9. ideoque appellando non potest pœnæ executionem suspendere; sed ordinarius nullo attento impedimento exequitur suam sententiam. 17

De Excommunicatione ferenda contenta in cap. ex litteris 10. *de Sponsal. & matr.*

Sæpè contingit, quòd contractis Sponsalibus de futuro; ex aliqua superveniente causa etiam frivola Sponsus, vel Sponsa ab illis, altero ex eis invito, recedere molitur. Unde si ex parte ejus, qui matrimonium vult complere, requiratur ordinarius judicialiter, ut renuentem juris remediis ad illud contrahendum compellat, constito de legitimis sponsalibus, & quòd nulla juridica causa recedendi intercedat, poterit ad sequentem declaratoriam devenire.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XXIX.

Attentis comparatione, & instantia judiciali Semproniæ coram nobis facta, de & super executione Sponsalium de futuro *sub juramento* inter ipsam instantem, & Cajum contractorum: visis juribus exhibitis, *ac monitione* sub pœna excommunicationis ad contrahendum matrimonium contra dictum Cajum extrahere renuentem exequuta, *&* *auditis excusationibus* per eum dedu-

ctis, dicimus, & declaramus, esse locum exequutioni Sponsalium, & eundem Cajum teneri, & obligatum esse ad contrahendum matrimonium cum dicta Sempronia, & ad illud *cogendum Ecclesiastica Censura*, prout nos adhunc effectum excommunicamus & excommunicatum *publicè denunciari volumus*, donec juris jurandi religione adimpleta, dictam Semproniam ducat in uxorem, *& exeat à peccato*: cedulones decernimus, & publicari mandamus omni &c.

N. Episcopus (sivè Vic. Gen.) N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Promittens Sponsalia, cogitur censuris contrahere matrimonium, etiamsi promiserit sine juramento, & num.6.7. & 8.*

2 *Qui promisit Sponsalia, & matrimonium contrahere recusat, est monendus cum præfixione termini, & datur formula monitionis n.3.*

4 *Causæ justæ recedendi à sponsalibus quæ sint, ostenditur.*

5 *Impedimentum consanguinitatis in 4. & 5. gradu, non indiget dispensatione.*

6 *Sponsus, qui substinuit censuras, & noluit matrimonium contrahere, an teneatur Sponsam dotare ostendit ur.*

10 *A sententia declaratoria, qua quis censura compellitur matrimonium contrahere, datur appellatio ad utrunque effectum.*

11 *Excommunicationis finis, est, ut reus exeat à peccato: qui enim alio contorto fine movetur ad hanc pœnam, inferendam gravissimè peccat.*

12 *Judex, qui excommunicat juris ordine non servato, & per imperitiam est ab officio removendus, & extra ordinem puniendus.*

13 *Episcopi fulminantes censuras per Sordes, & ut inde lucrum faciant sunt à regimine removendi, quia imminet periculum destructionis.*

Denunciationis.

FORMULA XXX.

HIC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus majori excommunicatione Cajus ex eo, quia contractis per eum Sponsalibus de futuro juramento vallatis cum Sempronia, nulla interveniente rationabili causa recedendi, & per nos ad instantiam dictæ Semproniæ monitus, jurisjurandi religione neglecta, promissa adimplere, & matrimonium contrahere renuit. Ut igitur ab omnibus evitetur, præsentes jussimus publicari, & anathema erit, donec exeat à peccato, & Semproniam in Uxorem ducat. Datum &c.

N. Episcopus, sivè Vic. Gen. N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

Con-

V E L

CON autorità ordinaria, si dichiara, e denuncia Scommunicato di scommunica maggiore Cajo, perche havendo contratto gli Sponsali de futuro con Sempronia, e promesso con giuramento d'eseguirli col matrimonio: citato da noi ad instanza di detta Sempronia a contraere il matrimonio, ha ricusato, e ricusa d'effettuarlo, benche non habbia nessuna causa di rifiutarlo, onde non potendo noi dissimulare l'ingiuria, ch'egli fa al giuramento, & alla Chiesa habbiamo ordinato, che siano affissi i presenti Cedoloni, e vogliamo, che stia scommunicato, sin tanto, ch'avrà obedito. Dato &c.

N. Vescovo (ò Vic. Gen.) N.

Luogo ✠ del Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 *SUB JURAMENTO*: Hoc dicitur ad exprimendum causam minùs dubitabilem, ut in textu: cæterùm licèt hic sermo sit de Sponsalibus juratis, idem tamen jus obtinet etiam in non juratis, quia resiliens à Sponsalibus cogendus est non ob juramentum, sed propter injustitiam, quæ committitur in materia gravi sub peccato mortali: sive Sponsalia sint jurata, sive non; nam prædictum cap. non innititur juramento, sed narrat, quod in facto contigit. Ratio universalis est, quia Judex tenetur ex officio compellere ad reddendum unicuique, quod suum est, vel ex justitia illi est debitum, ergo qui promisit alicui matrimonium, potest cogi ad illud contrahendum, etsi simpliciter, & sine juramento promiserit, quia ex justitia est obligatus ad adimplendum id, quod promisit: quàmvis Ecclesia magis studiosè compellat eum, qui per juramentum Sponsalia firmavit propter majus vinculum religionis adjectum, Sanch. *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 29. *num.* 4. ubi de veriori Sententia, quem cùm aliis pluribus sequitur Pirhing. *in jus can. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 17. & 18. Rot. *coram Seraphin. decis.* 1112. *num.* 1. & 2. & *coram Cavaler. decis.* 421. *num.* 2. & *decis.* 526. *num.* 1. Adden. *ad Greg. dec.* 376. *lit. A.*

2 *Ac monitione*. Debet enim ille, qui recusat matrimonium contrahere, & à Sponsalibus recedere nititur, judicialiter moneri cum præfixione termini ad contrahendum sub pœna excommunicationis, & sub prohibitione, & inhibitione, ne interim cum alia, seu alio contrahere audeat, modo sequenti.

3 *Monetur Cajus in termino peremptorio sex dierum, quorum primi duo sibi assignantur ad contrahendum matrimonium cum Sempronia ad formam Sponsalium invicem contractorum, & juratorum de quibus in actis, sub pœna excommunicationis; alii duo ad dicendum, & allegandum causam quare non debeat compelli, & excommunicari: alii verò duo ad videndum se excommunicari, & pro excommunicatis publicè denunciari, ipso ampliùs non monito, & interim sibi inhibetur sub pœna &c... & in subsidium excommunicationis, ne audeat cum alia Muliere (seu Viro) quocunque modo nova Sponsalia, sive matrimonium contrahere &c.*

4 *Et auditis excusationibus*. Regula supra firmata, nempè, quòd contrahens Sponsalia jurata, sive non jurata, cogitur per censuras contrahere matrimonium per verba de præsenti, fallit si concurrat aliqua causa à Sponsalibus recedendi, quæ Judicis arbitrio legitima reputetur, ut habetur ex *eod. c. ex litteris de Spons.* Rot. *coram Pamphil. decis.* 96.

*num.*2. *& coram* Buratt.*decis.*311. *num.*1. Quæ autem dicatur causa justa, & ratio nabilis resiliendi, dixi in *par.*1. *tit.*8. *ad form.*10. *num.*3. hìc autem adde, quòd si Sponsus sit absens, & vagetur extra Provinciam Sponsalia dissolvi possunt: dummodo expectetur per triennium, si verò est in Provincia, expectetur per biennium. Menoch. *de arbitr. judic. lib.* 2. *cent.*5. *cas.*445. *num.*7. item adde, quòd licèt odium subortum inter Sponsos pro legitima causa ad impediendam effectuationem matrimonii reputetur, ut ait Menoch. *citato loco num.* 3. tamen non sufficit allegare odium Mulieris ergà virum, vel viri erga Mulierem, nisi adsit justa odii causa, aliàs esset in facultate partium allegare semper odium, ut dixit Rot. *coram Coccin. decis.*889. *num.*5. sicuti nec relevaret, si ratione odii adduceret pars, quæ, injuria recepta matrimonii, executionem exposceret, Rot. *coram Cavaler. d. decis.*421. *num.*10. Add. *ad Pamphil. d. decis.* 96. *num.* 10. *vers. odium*.

5 Neque itidem Sponsum, vel Sponsam renuentem excusaret allegatio impedimenti consanguinitatis in quarto, & quinto gradu: cùm nulla tunc requiratur dispensatio: deberet tamen Ordinarius antequam ad censuras procederet, Decreto suo declarare, nullum adesse impedimentum ad contrahendum, & Sponsos nulla indigere dispensatione Apostolica, prout fieri solet in quibusdam Diœcesibus, etiam in casu, quo tale impedimentum non allegatur, de qua praxi testatur Corrad. *prax. disp. lib.* 7. *cap.*5. *num.*63. *&* 64.

6 *Cogendum Ecclesiastica censura*. Quamquam Judex Ecclesiasticus possit mulctis pecuniariis, interdicto Personali ab ingressu Ecclesiæ, & Carcere, compellere eum, qui promisit matrimonium de futuro, ad illud contrahendum de præsenti: regula tamen est absoluta, ut qui sine legitima causa fidem Sponsalium implere recusat, à Judice prædicto post canonicam admonitionem, possit, ac debeat censura excommunicationis cogi ad contrahendum, Rot. *coram Greg. decis.*376. *num.*1. sive Sponsalia jurata fuerint, sivè non, de qua propositione Rota nunquam dubitavit, ut patet ex decisionibus hìc supra allegatis.

Neque obstat *text. in c. requisivit eod. tit. de Spons. & matrim.* in quo dicitur, 7
quòd Mulier nolens contrahere matrimonium cum eo, cui id jurata promisit, potiùs sit monenda, quàm cogenda: quia text. iste, vel exponitur quòd priùs monenda sit, & posteà cogenda, si monitioni non acquievit, prout illum declarat *glos. ibi in verb. cum libera in fin.* Barb. *num.*3. Pirhing. *loco cit. num.* 20. vel intelligatur, quòd si Judex post latam excommunicationem, videat Sponsum, vel Sponsam pertinacem manere, debeat ipsum, vel ipsam absolvere, etiamsi id non petat: quia Ecclesiæ compulsio ad liberum consensum eliciendum adhibetur, non ut invitus ad matrimonium quis adigatur, & sic cogit compulsione moderata ad modum medicinæ, non præcisa, ut explicant Sanch. *de matr. d. disp.*29. *num.*7. Pirhing. *d. num.*20. Rot. *coram Seraphin. d. decis.*1112. *num.*2. *&* 3. *& coram Manzaned. decis.*610. *num.*1. 2. *&* 3. ubi absolvitur post biennium, *& coram Coccin. decis.*1635. *num.*8. Bellett. *disq. Cler. de favor. real.* §.2. *num.* 33. *&* 34. *cum* aliis ab Addente *ad Buratt. decis.* 311. *num.*5. allegatis.

Nec minùs obstat Conc. Trid. *sess.*25. 8
*de reform. cap.*3. ubi dicitur, quòd in Causis civilibus non sit ab excommunicatione incipiendum, sed ab executione reali: quia Concilium ibi non dat formam, sed instructionem, & nec ibi, nec alibi sustulit censuras, & pœnam à jure communi impositas, & præscriptas, ut jam dixi supra de Concubinatii pœnis.

Hoc tamen casu Sponsus, qui sine cau- 9
sa resilivit Sponsalibus, & Censuras obstinato corde sustinuit, & absolvit etiam invitus expectavit, debet condemnari ad dandam congruam dotem Mulieri, cum qua matrimonium contra fidem datam contrahere recusavit, ut colligitur ex resolutione *Sacr. Congreg. Episcop.* quam invenio in meo regestro sub *die ultima Julii* 1584. in una *Pistorien.* in qua sic rescribitur Episcopo — *che con pene, & Censure, & ancora con carcere induca quello, che ha promesso il contratto matrimoniale, conforme alla promessa, ma persi-*

persistendo renitente, non lo sforzi più oltre, facendo però, che doti la Donna competentemente. At adverte, quòd ista resolutio allegari non potest pro regula universali: sed in illis tantùm casibus, in quibus juxta promissionem, potest quis de jure compelli ad dotem, vel arras dandum, ut erat in casu à Cong. deciso, ut non obscurè indicant illa verba — *conforme alla promessa*: aliàs enim si dos solvi deberet in pœnam, aliquis induci posset ad contrahendum matrimonium contra suam voluntatem, & quodammodo coactè, scilicet timore pœnæ solvendæ illud inire contra expressam dispositionem *text. in c. gemma 29. ibique gl. de spons. & matrim.*

10 *Publicè denunciari volumus.* A sententia declaratoria, qua quis Censura compellitur matrimonium contrahere, datur appellatio ad utrumque effectum, si debito tempore interponatur: quia Ordinarius cùm decipi potuerit, vel rejiciendo excusationem legitimam non contrahendi, vel sponsalia non probata canonizando: & sic appellantem enormiter lædere; utique appellans à Superiore est audiendus, ut habetur ex *decis. Cavaler.* 447. *num.* 1. Judex tamen appellationi deferendo, debet præfigere congruum terminum appellanti ad prosequendam appellationem.

11 *Et exeat à peccato.* Admonetur hic Judex, quòd intentio Ecclesiæ, & causa finalis excommunicationis est, ut quis exeat à peccato, ut habetur ex illo *Pauli Apostoli* 1. *Cor.* 5. *jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, tradere Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini, & ex c. novit ille de judic.* ibi — *nullus qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, & si correptionem contempserit per districtionem Ecclesiasticam coercere*, Et infra — *licèt autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, ut peccatorem revocemus à vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem, &c.* & docet D. Thom. *in summ. supplem.* 3. *part. quæst.* 21. *art.* 2. & 3. ideoque debet advertere, ne alio contorto fine ad ferendam sententiam excommunicationis moveatur, & inducatur, scilicet prece, pretio, timore, aut odio privato, qui enim per has sordes alium hac pœna gravissima onerat, se ipsum gravat, & condemnat, quia ab officio tam ordinis, quàm jurisdictionis (nisi sit Episcopus) ipso jure remanet suspensus, *text. est in c. cum æterni* §. *Si quis Judex de sent. & re jud. in* 6. cum obligatione resarciendi damna, & interesse, Navar. *in manual. confess. c.* 25. *num.* 12. Sayr. *de cens. lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 3. Guaz. jun. *ad def. animar. lib.* 2. *dis.* 6. *cap.* 4. *num.* 12. & 35.

Qui verò fine, & ordine inverso censuras fulminaret per imperitiam, esset ab Officio omnino removendus, quia nullus potest esse Judex Ecclesiasticus, nisi sit peritus, ut ait *glos. in rubrica* Gratian. *ad dist.* 20. *verbo scientia, ibique alia glos. marginalis, &* Barb. *num.* 3. Gratian. qui testatur de veriori *discep.* 186. *num.* 47. 50. & 51. & quia imperitia æquiparatur culpæ, & non parùm peccasse intelligitur, extra ordinem Superioris arbitrio est puniendus, ut docet Menoch. *de arbitr. Judic. lib.* 2. *centur.* 4. *cas.* 339. *nu.* 1. 2. & 3. 12

Episcopi autem, quia suspensionem, vel interdictum non incurrunt, nisi de ipsis expressa mentio fiat *cap. quia verò de sentent. excomm. in* 6. excommunicantes per sordes, v. g. comminando censuras etiam latæ sententiæ in Edictis, vel Synodo contra Clericos deferentes sclopum venatorium, vel exercentes negocia, & officia secularia, ludentes aleis, vel celebrantes in Ecclesiis Monialium, vel contra laicos ducentes diebus festis choreas, aut Jumenta onusta, vel cum Sponsa de futuro conversantes: ut inde concessione licentiæ prædicta agendi, lucrum faciant, & de facto percipiant: si ejusmodi Episcopi invenirentur, essent à Sede Apostolica severa animadversione corrigendi, imò, & à regimine saltem ad tempus removendi, quia fiunt odibiles, & contemptibiles, & ex hoc traduntur subditi in ruinam, & imminet periculum destructionis, ex traditis à Paris. *de resig. benef. lib.* 5. *quæst.* 3. *num.* 172. & 174. nam peccatum Prælatorum maximum est, & si publicum fiat pestilentiæ æquiparatur, de Mat. *Sal. sapient. in psal.* 103. *vers.* 20. §. 4. *num.* 2. *in fin.* 13

De excommunicatione ferenda contenta in cap.1. de offic. Vicar. in 6.

Vicarii, seu Officiales generales Episcoporum Suffraganeorum interdum, sive propter carentiam scientiæ; sive propter deficientiam prudentiæ jurisdictionem Metropolitani, aut perturbant, aut contemnunt, vel etiam per Sordes in Officio delinquunt: Unde Archiepiscopus, qui est in his casibus Judex Suffraganeorum, & eorum Officialium, si porrigatur querela per Promotorem fiscalem, vel per subditum Suffraganei, & verificentur exposita, poterit Vicarium Suffraganei excommunicatione punire prævia declaratoria.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XXXI.

Visis actis, & juribus coram nobis exhibitis, ex quibus constat de rejectione appellationis per N. infrà legitimum tempus ad nostrum Tribunal interpositæ à Decreto, seu Sententia vim definitivæ habente; *juris ordine servato lato*, seu lata à Vicario Generali Episcopi N. nostri Suffraganei, in causa verten. inter ipsum appellantem, & N. partibus ex altera: visa executione judicati non obstante inhibitione nostri Tribunalis, *ac monitione* cum præfixione termini ad comparendum, & allegandum, &c. sub pœna excommunicationis contra d. Vicarium exequuta, & attenta illius contumaciâ, dicimus, & declaramus d. Vicarium Generalem N. *in officio, & exercitio jurisdictionis graviter deliquisse*, & jurisdictionem Archiepiscopalem, & Metropoliticam læsisse, & propterea esse excommunicandum, prout nos eum excommunicamus, & excommunicatum esse declaramus, publicè per affixionem Cedulonum tam in hac nostra, quàm in Civitate N. denunciari volumus, & mandamus, cum clausula, quòd *amoventes, lacerantes, vel deturpantes* illos, *etiam si Regulares sint, eo ipso* excommunicationem incurrant.

N. Archiepiscopus N.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Appellatio à Decretis Episcopi datur, ubi adhibita fuit causa cognitio, & num. 2. & 3.*
4 *Datur formula monitionis exequendæ contra Vicarium Suffraganei.*
5 *Relationi Nuncii standum est in pertinentibus ad proprium officium, non autem in aliis.*
6 *Citatio commissa à Tribunali Ecclesiastico, si exequatur in Ecclesia valida est.*
7 *Vicarius Generalis Suffraganei, non solùm puniri potest ab Archiepiscopo, quando offendit, vel turbat illius jurisdictionem, sed etiam quando abutitur jurisdictione in damnum & gravamen subditorum, & rejicitur Lotter. & num. 8. 9. 10. & 11.*
12 *Episcopus Suffraganeus, non debet Edicto prohibere, quòd in sua Diœcesi non exequantur sine sua licentia provisiones Archiepiscopi.*
13 *Vicarius Generalis Episcopi, si sit ex ordine Regularium, an, & quando possit (si delinquat) ab Archiepiscopo puniri, ostenditur, & num. 14. & 15.*
16 *Regulares non debent ab Episcopis assumi ad officium Vicarii Generalis, & adducuntur rationes, & n. 17.*

18 Ca-

18 *Canonici Regulares, possunt exercere officium Vicarii generalis, ubi eorum Superiores habent jurisdictionem in populum.*

19 *Lacerantes, vel amoventes Cedulones, excommunicationem incurrunt, & ab Inquisitore S. Officii puniri possunt.*

20 *Regulares amoventes, vel lacerantes Cedulones, ab Episcopo publicatos, excommunicationem in eis contra hoc attentantes comminatam incurrunt.*

21 *Censura comminata cum addito,* eo ipso, ipso facto, ipso jure, *secuto actu prohibito, statim ligat.*

22 *Pœna positiva, sive mixta, an, & quando ligent, & incurrantur absque Judicis declaratoria, & num.* 23.

24 *Vicarius generalis Episcopi Suffraganei, si monitus ad comparendum coram Archiepiscopo non compareat, vel compareat per Procuratorem, quomodo cum eo sit agendum ostenditur.*

25 *Vicarius Archiepiscopi, non potest construere processum contra Vicarium Suffraganei, præsente Archiepiscopo in Provincia: at si construeret, ac pronunciaret validè ageret.*

Denunciationis.

FORMULA XXXII.

HIC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus excommunicatione majori nobis reservata N. Vicarius, & officialis Generalis N. Episcopi nostri Suffraganei, ex eo quia appellationem infra legitimum tempus ab ejus Decreto appellabili ab N. ad nostrum Tribunal interpositam, noluit admittere, & non obstante nostra inhibitione ad ulteriora processit damnabili præsumptione: ut igitur ab omnibus evitetur præsentes in locis publicis Civitatis publicari jussimus, & anathema erit, donec nostræ jurisdictioni, & parti læsæ plenariè satisfecerit, & à Nobis absolvi meruerit. Amoventes autem, lacerantes, vel deturpantes hos Cedulones, etiamsi Regulares sint, pœnam excommunicationis eo ipso incurrant. Datum &c.

N. Archiepiscopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

VEL

CON autorità ordinaria si denuncia, e dichiara scommunicato di scommunica maggiore à noi riservata N. Vicario, & Officiale generale di Monsignor Vescovo N. nostro suffraganeo, perche non ha voluto ammettere l'appellazione interposta nel termine legale da un suo Decreto diffinitivo appellabile da N. appellante al nostro Tribunale; anzi non ostante la nostra inibizione, hà eseguito con dannabile disprezzo della giurisdizione Metropolitana il suo Decreto: onde acciochè da tutti sia evitato habbiamo ordinato che siano affissi, e publicati i presenti Cedoloni: e vogliamo che sia segregato dal consortio de fedeli fin tanto ch' averà alla nostra lesa giurisdi-

tio-

tione soddisfatto, & alla parte. Chi poi havrà ardire di rimuovere, lacerare, e sporcare i presenti Cedoloni, ancorche fosse Regolare, sia in pena ipso facto Scommunicato &c.

N. Arcivescovo N.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 *Juris ordine servato lato*. Hoc exprimitur hic in formula ad denotandum, quòd appellatio debet admitti à Decreto, in quo fuit adhibita causæ cognitio ad utrumque effectum, etiamsi agatur de re de sui natura non appellabili, ut sunt Decreta Visitationis, prout disponunt Decreta generalia *Clem. VIII.* quæ referuntur à Quarant. *in Summ. bullar. verb. Archiepiscopus post num.*20. si enim
2 coram Vicario Suffraganei, actum esset de causa visitationis, vel correctionis morum sine partis citatione, & nulla adhibita causæ cognitione, tunc appellatio non esset admittenda, nec concedenda inhibitio saltem quoad suspensivum, ut respondit *Sac. Cong. Conc. in Causa Regni Sardiniæ* 15. *Maji* 1700. *ad primum* quam retulit *p.*2.*tit.*15. *ad form.*2. *num.*8. & in qua aliæ plures dantur ad dubia proposita responsiones, ex quibus instruitur Archiepiscopus, quomodo in praxi se gerere debeat, tam in admittendis subditorum Suffraganeorum appellationibus, quàm in concedendis inhibitionibus. Est autem regula, quòd in cau-
3 sis in quibus Episcopus potiùs ut Pater, & Pastor, quàm ut Judex procedit, appellatio non admittitur, & tunc intrat dispositio *Conc. Trid. de reform. sess.*24. *cap.* 10. ubi verò procedit uti Judex cum cognitione causæ, vel excedit modum in corrigendo, admittitur appellatio, & tenetur appellationi deferre, aliàs punitur ut habetur expressum in *cap. de priore ubi glos. & DD. de appellat.* Navar. *consil.* 1. *num.*3. *de appellat.*
4 *Ac Monitione*. Monitio, seu citatio ad comparendum exequenda adversùs Vicarium suffraganei, debet esse personalis, ut illum arctet, & faciat contumacem: at quia, ut plurimum in his casibus citandus latitat, & non permittit, vel impedit se personaliter citari, ideo Archiepiscopus debet committere explicitè suo Decreto, ut Vicarius suffraganei, si est reperibilis, citetur personaliter, sin minùs ad valvas. Quare si constructo processu, sit relaxanda contra Vicarium suffraganei monitio; in Decreto relaxationis dicatur — *Citetur, & moneatur per Nuncium, Vicarius Generalis N. personaliter, quatenus sit reperibilis, sin minus ad Domum solitæ habitationis dimissa copia, vel ad Valvas Ecclesiæ Cathedralis N.* ad comparendum coram Nobis in *termino* .·.·. *dierum, & dicendum, & allegandum &c. & Nuncius referat &c.*

Data enim hac commissione, & habita relatione Nuncii de diligentiis factis pro exequenda monitione personali, & citandum reperire non potuisset, & de executione facta Domi dimissa copia, vel ad valvas Ecclesiæ Cathedralis loci, *prout habuit in mandatis* validè erit citatus, cùm standum sit relationi Nuncii, ut tradunt Genuen. & Ricc. quos allegavi supra ad *Formul.*1. §. *legitimè exequuta*, quibus nunc addo Gratian. *discept.*60. *nu.* 1. 2. & 3. Pac. Jord. *elucubr. tom.*3. *lib.* 14. *tit.*1. *num.*17. 84. & 89. Alciat. *de præsumpt. reg.*3. *præsumpt.*14. *num.*1. 2. & 3. advertendo, quòd si Nuncius aliquid aliud referret, v. g. citatum dixisse nolle comparere, vel verba injuriosa protulisse, non est illi super hoc deferendum, quia non pertinet ad suum officium, Pac. Jord. *ibid. n.*17. Sayr. *de censur. lib.*1. *cap.*9. *num.*3. *vers. si citatus*: si autem illum personaliter citasset in Ecclesia, citatio valida esset Barb. *in c. cum parati n.*3. *de appellat.* Raynald. *observ. crimin. tom.*1. *cap.*1. §. 11. *num.*51. & 54. Si verò ad locum citandi non

non detur tutus accessus, erit servanda praxis, quam tradidi in *d. Form.* I. *d.* §. *legitimè exequuta*.

7 *In officio, & exercitio jurisdictionis graviter deliquisse*. Per hanc clausulæ expressionem datur intelligi, quòd Archiepiscopus non solùm potest Vicarium suffraganei censura punire in casu figurato in Formula, super quo non cadit dubium; sed etiam in aliis pluribus in quibus abutitur jurisdictione & officio in damnum, & gravamen subditorum, prout colligitur ex *d. cap.* I. *de offic. Vicar. in* 6. *ibique gloss. in verb. rationabili causa*, & hanc sententiam docet Genuen. *in prax. cap. mihi* 91. *num.* 2. Quarant. *in Summ. Bullar. verb. Archiepiscopi auctoritas nu.* 11. Ricc. *prax. rer. for. Eccles. par.* 3. *resol.* 22. *num.* 7. & 8. Gratian. *discep.* 169. *num.* 14. Guazin. Jun. *ad defens. anim. lib.* 2. *defens.* 1. *cap.* 7. *num.* 19. qui concorditer firmant, quòd si Vicarius suffraganei v.g. privilegia Apostolica non servet, Sententias per gratiam, vel Sordes, aut censuras proferat sine scriptis: & alia similia in exercitio jurisdictionis committat, & delinquat, possit ad querelam subditorum suffraganei, Archiepiscopus in eum animadvertere etiam in prima instantia Pignatell. *consult.* 32. ubi refert Decretum *Sac. Congreg. Concilii in Tarentina* 15. *Febr.* 1642. *tom.* 1. & hos sequitur Passerin. *in d. cap.* 1. *de offic. Vic. num.* 4. his verbis: *Hujusmodi vero causæ plures recenseri possunt. Ut si Vicarius Episcopi non servet privilegia Sedis Apostolicæ, vel si sententiam proferat per pecuniam, aut gratiam aut per Sordes. Vel si aliquem excommunicet sine scriptis, Vel si impediat causam appellationis delatam ad Archiepiscopum, Vel in pluribus aliis casibus; Quomodocunque enim delinquat in officio suo; Archiepiscopus est Superior, qui corrigere potest, & si opus est, potest Officialem suffraganei excommunicare.*

8 Et licèt Lotter. *de re benef. lib.* 2. *quæst.* 22 *num.* 100. sustinere nitatur, quòd Metropolitanus non possit procedere, nec puniri Vicarium suffraganei delinquentem in officio, nisi quando delinquit offendendo jurisdictionem Metropolitani, veluti si noluit deferre appellationi ad eum legitimè interpositæ, vel illius inhibitionem sprevit, (ut in casu Formulæ) non autem si delinquat in officio alio modo, quia tunc, ut ipse ait, Judex fit proprius Episcopus; & Loterium sequitur Barbos. *de offic. & potest. Episcop. alleg.* 54. *num.* 183. *vers. quando Vicarius*, Ventrigl. *prax. par.* 1. *annot.* 49. *num.* 36.

Et demum alii distinguant, quòd si Vicarius suffraganei in officio delinquat citra culpam Episcopi, Archiepiscopus non possit se immiscere, sed ad Episcopum pertineat de delicto Vicarii in officio commisso cognoscere, eumque punire: si verò delinquat, & Episcopus delicti, seù culpæ sit particeps ut quia Vicarium imperitum constituit, aut negligentes sciens toleravit, tunc non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum pertineat causam cognoscere, quia tali casu si ipse Episcopus judicaret, & de causa cognosceret, simul fungeretur officio partis, & in propria causa judicaret, cùm ut supponitur ejusdem culpæ in aliquo modo fuerit particeps, & tunc teneatur de facto sui Vicarii usque ad refectionem damnorum, prout sunt Pirhing. *in jus can. lib.* 1. *tit.* 28. *de offic. Vicar. num.* 65. 66. & 67. & alii ab eo allegati Pac. Jord. *tom.* 2. *lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 282. & *seqq.* 9

Adhuc mihi videtur, quòd prima sententia absque ulla distinctione sit verior, & tenenda tanquam magis consona textui in citato *cap.* I. *de offic. Vicar. in* 6. & cohærens *gloss.* quæ illius verum sensum rimavit: & eam absolutè sequitur Zecch. *de Repub. Eccles. de Vic. Episc. cap.* 23. *vers.* 4. *nu.* 4. & quidem, cùm in textu dicatur: *cum Remensis Archiepiscopus in Officialem alicujus suffraganei sui excommunicationis Sententiam ex aliqua rationabili causa profert &c.* dictio illa *aliqua*, quæ est universalis, debet verificari in pluribus, nec potest restringi sine violentia literæ secundùm sententiam *Lotterii* ad solùm casum offensionis jurisdictionis Archiepiscopi: si enim hæc opinio vera esset, nulla tribueretur ex hoc textu jurisdictio Archiepiscopo in Vicarios Suffraganeorum, cùm turbantes illius jurisdictionem possint alio jure puniri, ut de communi Sperell. *dec.* 160. *num.* 35. quod tamen dici non debet. 10

Neque apud me vim facit distinctio Pir- 11

Pirhing. Vicarii delinquentis in officio sciente Episcopo: à Vicario delinquente citra culpam Episcopi. Quia cùm Consistorium Episcopi, & Vicarii unum; & idem sit *cap.2.de consuetud.in 6.*& Episcopus dicatur facere, quod ejus Vicarius facit, ut ait *glos.in cap.1. ver. per Episcopos de Cappell. Monac. in 6.* Barbos. *vot. decis. lib. 2. vot. 56. num. 68.* ratione affectionis, unionis, & interesse, Episcopus est Judex suspectus, & in utroque casu in propria causa quodammodo judicare diceretur. Experientia enim docuit, quòd Episcopi, etsi participes non sint delictorum in officio commissorum à Vicario: tamen ne videantur Vicarium imperitum, vel improbum tolerasse, & sibi coaptasse, delicta abscondere, vel saltem minorare procurant, adeout fautores, & proprii honoris defensores potiùs, quàm Judices censendi sint.

12 Sicuti turbata quoque diceretur jurisdictio Archiepiscopi; quando Episcopus Suffraganeus, vel ejus Vicarius Edicto, aut lege prohiberet, ne in diœcesi exequi non debeant, nec possint, ordinationes, & provisiones quæcunque Metropolitani sine sua expressa licentia, nam tale Edictum improbavit *S. Congr. Episc. in Vulturarien.*13. *Maji* 1603.

13 Quid autem dicendum, si Vicarius Episcopi Suffraganei esset Clericus Regularis, an inquam posset Archiepiscopus in casibus suprà expressis in eum animadvertere? & cum distinctione videtur respondendum; Si Vicarius ex aliquo ordine Regularium retinetur de licentia Sac. Congregationis, poterit illum punire: quia tali casu Superior, qui est Papa per organum Congregationis tacitè consentit, quòd Regularis exemptus, qui est sibi immediatè subjectus, subjiciatur Episcopo, & per consequens Archiepiscopo, prout de jure, in his, quæ pertinent ad officium, & exercitium jurisdictionis, & cesset privilegium exemptionis, adeò ut de dolo, seù negligentia in succeptæ administrationis officio commissis, prout juris erit valeat puniri, ad *text. in cap. de privileg. in 6. Clem.1. de testam.* ac etiam ipse Episcopus, qui de facto Vicarii tenetur usque ad refectionem damnorum parti illatorum condemnari, nisi sit omnis culpæ expers Piasec.*prax. par.2. cap.3. art.1. nu. 16.* & alii mox allegati.

Si verò ab Episcopo Suffraganeo, Vicarius Regularis retineatur de licentia sui Superioris tantùm, & tunc si appellationem ad Archiepiscopum interpositam in casu appellabili non admisit, vel inhibitionem ejusdem contempsit, poterit coerceri, & puniri, non tamquam Archiepiscopo subjectus, sed tamquam turbator jurisdictionis, ut admittit Passerin. *de stat. hom. tom.3. quæst.189. art.10. num. 1017.* At si alio modo in officio delinqueret, v. g. per favorem, vel Sordes Sententias proferendo, poterit quidem tam Episcopus, quàm Archiepiscopus ad querelam subditorum contra eum inquirere, & processum construere, non tamen eum punire: sed esset pro punitione ad Superiorem Regularem remittendus: & ratio ea est, quia suscipiendo etiam de licentia sui Prælati Officium Vicariatus, non potuit sine licentia Sedis Apostolicæ se subjicere, (in eo delinquendo) alienæ jurisdictioni, & privilegio exemptionis renunciare, nec quidem in una causa particulari, in alium jurisdictionem protogare, ut fusè de more probat Passer. *loco mox cit. n.753.* 14 15

Admonendi sunt igitur Episcopi, ne Vicarium suscipiant Regularem, (nisi sint in partibus infidelium) sine licentia S.Congreg. quam tamen non solet concedere nisi rarò, & in locis ubi penuria sit Clericorum Secularium habilium, & Episcopus sit pauper, & Jurista: tùm quia non decet Regularibus extrà Claustra manere, tum quia Regulares in facultate legali, & canonum (quæ necessaria est in judicando) ut plurimùm, non sunt versati, tum demum quia judices esse non possunt, *c.de præsentium, & c.Monachi 16. qu.1. ubi glos. & DD.* Paris. *de resign. lib.9. qu.4. num.14.* ideoque ad hoc officium deputari, & assumi non debent, maximè si sint ordinis mendicantium, *Clem.1.§.ad prioratus de regular.* Nicol. *in flosc. verb. Vic.Gen.num.34. & lucubr.can.lib.1. tit.28. num.4.ver.nec Monachus*, Pac.Jord.*elucub. to.2.lib.12. tit.1.nu.108.* Pirhing.*in jus can. lib.1.tit.28.num.31.vers. sed neque Clericus Conjugatus in fin.* quapropter nonnullis Episcopis, qui Vicario Regulari utebantur 16 17

bantur eadem Congregatio injunxit, ut de Vicario non regulari providerent, nempè *Asculano* in Piceno 5. *Jan.* 1597. *Molutensi* 8. *Maji* 1615. & *Epetii* sivè *Spalatri* in Dalmatia 12. *Aprilis* 1619.

18 Canonici autem Regulares, & Monachi permittuntur, ut possint exercere hoc officium in locis ubi eorum Superiores, & Abbates habent jurisdictionem quasi Episcopalem Pac. Jord. *loco citato num.* 109. Nicol. *d. num.* 34. *vers. vel nisi sit Abbas*; expedit tamen etiam Abbatibus jurisdictionem in populum exercentibus pro bono regimine, uti opera Clericorum sæcularium J. U. D.

19 *Amoventes, lacerantes, &c.* quia timendum est, quòd Cedulones affixi in Civitate vel Diœcesi Suffraganei contra Vicarium, clanculum amoveantur, vel lacerentur, additur in Formula hæc clausula ad reprimendam audaciam hoc attentare volentium. Etenim, qui Cedulones excommunicationis lacerant, aut deturpant graviter peccant, quia videntur de auctoritate Episcoporum malè sentire, Censuras contemnere, atque irridere, & ignominiam Ecclesiæ irrogare, & ideò non solùm ab Episcopo censuras fulminante, sed etiam tanquam de hæresi suspecti à Tribunali S. Officii puniri possunt, ut tradunt Cherubin. *in Compend. Bullar. ad Constit.* 56. *Pii IV. Schol.* 1. Caren. *de Sanct. offic. part.* 2. *tit.* 17. §. 2. *num.* 7. & sic incidunt in excommunicationem hìc comminatam Ricc. *prax. rer. for. Eccles. par.* 4. *resol.* 23. *num.* 1. *& seqq.* & declaravit *S. Congr. Episcop. in una Cusentina inter* Delegatum Abbatis S. Joan. de Flore, & Curiam Archiepiscopalem *die* 8. *Decembris* 1699. *proponent Em. Card. de Carpineo*.

20 *Etiamsi Regulares sint*. Licèt Regulares sint exempti à jurisdictione Episcopi, & non comprehendantur in ejus Edictis, hìc tamen ratione offensæ jurisdictionis possunt puniri, etiam censuris: unde si aliquis regularis amoveret, aut laceraret Cedulones, incurreret excommunicationem contra amoventes, & lacerantes fulminatam, præsertim (prout hìc) quando nominatim exprimuntur, ut sine difficultate admittit Donat. *de regular. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 13. *de exempt. religios. quæst.* 29. *per tot.* qui est testis contra regulares omni exceptione major.

Eo ipso. Quoties censura comminatur cum addito *eo ipso, ipso facto, ipso jure*, secuto actu prohibito, statim ligat, & afficit animam, absque alio ministerio Judicis, seù sententia declaratoria criminis, quæ necessaria non est, Amostaz. *de caus. piis lib.* 21. *cap.* 9. *num.* 70. Ventrigl. *in prax. par.* 1. *annot.* 5. §. 1. *num.* 41. quidquid sit in aliis pœnis positivis, & mixtis, v. g. privationis, officii inhabilitatis, caducitatis, &c. in quibus, quia nemo tenetur spontè se prodere, nec se infamare, aut suis bonis privare, secundùm sententiam plurimorum, pœna non incurritur ipso jure, saltem in foro conscientiæ, sed requiritur, quòd Judex pronunciet, crimen fuisse commissum, & dicitur declaratoria facti, de qua quæstione Ventrigl. *ubi supra num.* 42. Donat. *prax. rer. regular. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 4. *de violat. clausur. quæst.* 27. *per tot.* & latè Passerin. *de elect. cap.* 25. *quæst.* 51. *à num.* 624. *cum seqq.* & meliùs explicabitur in tit. de Suspension. 21 22

Veruntamen etiam in his pœnis nulla requiritur sententia declaratoria facti, quando non exigunt aliquem actum Judicis, sicuti sunt pœnæ illæ quibus quis incapax efficitur alicujus actus, vel incapax alicujus rei, vel quando non per modum pœnæ, sed conditionis, & formæ essent appositæ, prout sunt illæ, quæ leguntur, & exprimuntur in Decreto *Clementis VIII.* pro Regularibus ordinandis, per extensum dato *par.* 1. *in Appendice pag.* 294. ut benè distinguendo firmat Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 53. 54. 56. *&* 57. tunc inquam, si incapax ingeritur, vel alius modum, & conditionem non adimplet, pœna in foro conscientiæ suum effectum sortitur absque alio actu Judicis, ut Graff. probat. 23

Porrò Vicarius Suffraganei, si ab Archiepiscopo monitus compareret per se ipsum, vel per legitimum Procuratorem, esset audiendus, & si exceptiones relevantes deduceret, cur non debet excommunicari, à fulminatione censura- 24

ſurarum abſtinendum eſt, donec excuſationum ſubſiſtentia recognita, ab impacto crimine ſufficienter ſe purget. Si autem delictum fateatur, & veniam petat, tunc recepta ejus confeſſione, & exculpatione ſcripto facienda, & in Cancellaria reponenda: ac facta per ſum ſaltem per Epiſtolam expreſſione o. æquiorem erga Archiepiſcopum, tàm nomine proprio, quàm Epiſcopi, admitti debet ad veniam, dummodò non ſit recidivus. Si verò à comminatione cenſurarum, legitimè appellaret, appellatio admittenda eſt, ut alibi ſupra dixi, cum præfixione termini ad illam proſequendam.

Et eſt advertendum, quòd ſicuti Vicarius Generalis Archiepiſcopi nullam habet poteſtatem, aut juriſdictionem in Suffraganeos ob eminentiam officii Epiſcopalis, nec in aliquem Sententiam interdicti, Suſpenſionis, aut excommunicationis proferre, quando Archiepiſcopus eſt in Provincia *c.* 1. §. *Officiales de offic. judic. ord. in* 6. ita nec in Vicarios Suffraganeorum generales juriſdictionem exercere poteſt præſente Archiepiſcopo, Pirhing. *in jus can.lib.*1. *tit.*28. *num.*66. §. *Porrò*. Et propterea Archiepiſcopus, ad evitandam quæſtionem proceſſus nullitatis, debet ipſemet contra Vicarios generales Suffraganeorum, proceſſus inſtruere, & acta ſubſcribere, quando eſt in Provincia, vel non longè diſtans, ut habetur in *d.cap.*1. *de offic.ord.in* 6. licèt de juris rigore ſententia lata in Suffraganeum, vel in ejus Vicarium, à Vicario Generali Archiepiſcopi in ejus præſentia, ſit valida, ut tenet cum *gloſ. in verb. attent.* Paſſer. *in d.cap.*1. *num.*31.

De excommunicatione ferenda contenta in cap. Monaſteria de vit. & honeſt. clerici.

Frequentiſſima eſt inſpectio, quæ cadit ſuper intelligentia hujus cap. quia paſſim tranſgreditur: ideoque hìc aliqua pro illius obſervantia in praxi notanda ſunt, & ubicumque utendum erit cenſura ad removenda ſcandala, poterit Epiſcopus ad declaratoriam modo ſequenti devenire.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XXXIII.

Viſa relatione, & inſtantia Promotoris Fiſcalis, & informatione judicialiter capta, ex qua conſtat N. *laicum frequentare* Collocutorium Monaſterii Monialium N. *contra prohibitionem expreſſam noſtri Edicti*, & monitionem ſpecialiter factam, viſa monitione ad comparendum, & dicendum cauſam quare &c. legitimè exequuta, & nihil quod illum excuſare poſſit deducto, *ad removenda ſcandala*, & ad tuendam clauſuram d.Monaſterii, dicimus, & pronunciamus d. N. eſſe excommunicandum, prout nos vigore præſentium excommunicamus, & excommunicatum declaramus: Cedulones contra eum decernimus, *& publicari mandamus*, omni &c.

N. Epiſcopus (ſive Vic. Gen.) N.

N. Actuarius.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Actuum frequentia in criminalibus, inducetur ex duobus actibus: in aliis causis, tres, vel quatuor vices sufficiunt, juxta tamen Judicis arbitrium.*
2 *Accessus ad Monasteria Monialium pertinens ad custodiam clausuræ.*
3 *Prohibitio alloquendi cum exteris, fit ipsis Monialibus, tanquam subditis.*
4 *Prohibitio accessus ad collocutoria Monialium, non debet fieri sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, & afferuntur rationes.*
Secus contra accedentes ad malum finem, vel scribentes obscana.
6 *Scribentes Epistolas Monialibus, non comprehenduntur in Edicto, præsertim quando Epistola non pervenerunt ad illarum manus, & num. 7. & 8.*
9 *Clerici frequentantes Monasteria Monialium, qua pœna sint coercendi ostenditur, & n. 10.*
11 *Regulares frequentantes Monasteria Monialium etiam ipsis subjecta, censuris, etiam reservatis, coercentur.*
12 *Episcopus contra sæculares frequentantes, non debet uti censuris, nisi, in casibus, qui generant scandalum.*
13 *Proponuntur remedia pro tuenda regula, & clausura, & num. 14. 15. 16. & 17.*
18 *Cardinalis Petruccius erigit Æsii novum Monasterium Monialium & rejicitur Anonimus Historicus, & 19. & 20.*
21 *Inquisitus de frequentatione Monasterii Monialium, à comminatione, seu declaratoria censurarum non appellat.*

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XXXIV.

HIC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus N. laicus, ex eo, quia in spretum Sac. Canonum, & nostri Edicti, Collocutorium Monasterii Monialium N. cum scandalo, & Sac. Virginum perturbatione absque ulla rationabili causa temerè etiam post specialem admonitionem frequentare præsumpsit. Ut igitur ab omnibus evitetur, &c.

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

V E L

CON autorità ordinaria si denuncia, e dichiara scommunicato N. perche in disprezzo de Sacri Canoni, e del nostro Editto, hà con scandalo, e perturbatione delle Religiose e senza causa, e occasione alcuna ragionevole, anche dopo l'ammonitione speciale, frequentato temerariamente il Parlatorio del Monastero delle Monache N. ed accioche sia da tutti evitato, &c.

N. Vescovo (ò Vic. Gen.) N.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

AD-

ADNOTATIONES.

1 N *LAICUM FREQUENTARE*. Quis dicatur frequentare, ad hoc ut dici possit hujus canonis transgressor, certa regula definiri non potest: nam licèt in criminalibus duo actus frequentiam inducant, ut vidimus supra in delicto Concubinatus, est *glos. in c.mos dist.*1. & etiam in terminis istius canonis frequentia alloquendi cùm Monialibus censeatur inducta ex duabus vicibus, ut tenent *glos.* ibi *in verb. frequentare* Gratian.*discept.*393. *num.*17. tamen, ut alii volunt, & præsertim citato *glos. in d. cap. mos distinct.* 1. in rebus non criminalibus, tres vices non sufficiunt ad inducendam consuetudinem, sed quòd saltem requiratur numerus quaternarius; ideoque ad judicandum de hoc, est requirendum arbitrium prudentis Judicis, qui pensatis circumstantiis personarum, rei, seù negocii gerendi, scandali, periculi, loci, & finis de frequentia actuum judicabit, Barb. *de Offic. & potest. Episcop. alleg.* 102. *num.* 70. Bonac. *de clausur. quæst.*3. *punct.*2. *num.* 4. & alii quos refert Donat.*prax. rer. regular.tom.*4. *tract.*6. *de access.ad monial. quæst.*3. *num.*6. Pellizar.*de Monial.cap.*5. *num.*197.

2 *Contra prohibitionem expressam nostri Edicti*. Prohibitio accessus ad Monasteria Monialium, Pertinent ad custodiam Clausuræ, ut jam dixi *part.*1. *tit.* 1. *ad form.* 3. *num.* 9. & docet Donat. *prax.rer. regular. tom.*4. *tract.*3. *de clausur.Monial. quæst.*5. *num.* 1. & 2. Pignatell.*consult.*85. *num.* 35. *tom.*6. quæ cùm sit materia gravis, & obliget sub mortali, nisi parvitas materiæ excuset, Bonacin. *de clausur. & pœn. viol. quæst.* 3. *punct.* 3. *num.*1. & à Summis Pontificibus, & Sac. Concilio Tridentino, fuerit præcepta; ut faciliùs vota præcipuè castitatis serventur, & finis religiosæ vitæ consequatur: summo studio ab Ordinariis locorum elaborandum est, ut Sanctimoniales ab hominum colloquiis abstineant.

3 Formula edicti prohibitionis accessus sæcularium ad Collocutoria, data fuit *par.*2. *tit.* 15. *form.*15. *pag.* 188. in qua prohibitio alloquendi cùm exteris directè, & præceptivè fit ipsis Monialibus, sæcularibus verò per modum monitionis: & hoc quia (ut mihi visum fuit) subditis immediatis magis propriè præcipitur, quàm cæteris, qui subditi sunt occasione: præsertim Monialibus (hac in parte etiam exemptis) quæ Superioribus obedientiam præstare voverunt.

Hoc autem Edictum, sivè concipiatur prout in formula à me data, sivè alio modo, non debet contra accedentes sine licentia, continere pœnam excommunicationis latæ sententiæ, sed comminatoriæ tantùm, tum quia S.Congreg. illam non approbat, ut pluribus Decretis relatis testatur Nicol.*in flosc.in verb. accessus nu.*6. tum quia Edictum non facit verum contumacem, neque inducit in transgressorem dolum, & præsumptionem, quem, seù quam *text.in d.c. monasteria* requirit, ad hoc ut, quis possit excommunicari, ut patet ex illis verbis -- *si sine manifesta, & rationabili causa frequentare præsumpserit*, quæ dolum, & temeritatem denotant, & sic exigitur specialis monitio, antequam transgressor excommunicetur, cùm non sufficiat generalis per edictum, ut demum, quia tale Edictum continens casus, qui excusationem rationabilem admittunt, est nullum tanquam factum contra dispositionem juris, ut de Edicto emanato sub pœna excommunicationis contra laborantes in die festo, tradit D. Raynald. *observat. crim. tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 79. 4

Quidquid sit dicendum de illis, qui accedunt ad malum finem, vel obscœna scribunt, aut amatoria, tam monialibus, quàm aliis mulieribus in clausura manentibus; hi etenim excommunicatione reservata latæ sententiæ innodandi sunt in Synodo. 5

Advertendum secundò, quòd Edictum prohibens simpliciter colloquium, non comprehendit scribentes Epistolas, nisi expressè de eis fiat mentio juxta opinionem Gavant. *manual. Episcop. verb. Monialium communes leges num.*24. Donat.*prax. rer.regul. tom.*4. *tract.*6. *quæst.* 10. *num.* 1. at etsi illos comprehenderet, secundùm opinionem Pignatell, 6

Con-

*Consult.*28. *tom.*2. quem sequitur D. Ursaia *Instit.crim. lib.*3. *tit.*5. *num.*195. non incidunt in pœnam scribentes, quando eorum litteræ ad moniales non pervenerunt, Navar.*cons.*19.*de sent.excom.*Graff. *lib.*5. *par.*1.*de sent.excomm.consil.*16. *num.*26.*& consil.*22.*n.*3.;Donat.*loc.citato quæst.*
8 11. *per tot.*& prohibens simpliciter colloquium cum Monialibus, cùm sit pœnale, non comprehendit Novitias, Graff. *d. cons.*22. Donat.*ubi supra quæst.*17. *num.*1. *&* 2.His igitur ponderatis Ordinarius juxta loci exigentiam suum Edictum formabit.

Clerici autem frequentantes Monia-
9 lium septa debent, si sunt in Sacris, ab Officio suspendi, præcedente tamen monitione *ad desistendum* quæ ut mox dixi præcedere debet vindictam ut monet *text.* ibi – *& si non destiterint*: idest simonitus, *glos. ibi* & Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 1. *cap.*44. *num.*153. alii verò minorum ordinum Carcere, & aliis pœnis puniantur: non enim Ordinarius in tuenda Clausura habet restrictam facultatem puniendi frequentantes Censuris tantùm; sed aliis pœnis sibi benè visis illos potest coercere, ut habetur expresè *in Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 5. *de regular.* ibi – *atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas quacunque appellatione postposita compescentes*. Donat.*prax. rer. regul. tom.*4. *tract.*6. *de access.ad monial. quæst.*18.*num.*4.

10 At ordinarius si Clericos frequentantes carcere punire decernat, servare meminerit dispositionem *text.in cap. si Clericos* 15. *de sent.excomm.in*6. ubi hæc habentur – *eosdem quoque Clericos, si de parendo juri tibi fidejussoriam dederint cautionem, detinere non debes nisi excessus enormitas, vel alia causa rationabilis, eos suaserit detinendos*.

Regulares autem puniuntur juxta præ-
11 scriptum Decretorum *Sixti V. Urbani VIII. & Sacr. Congreg.Concilii*, quæ per me relata fuerunt *in par.*1.*tit.*11.*ad for.*18. *& in Appendic. pag.*309. *&* 310. qui & ulterius accedentes, & frequentantes Monasteria Monialium, etiam ipsis subjecta, nulla eis suffragante exemptione, ab Ordinario Censuris sibi reservatis, & latæ sententiæ coerceri possunt, ut patet ex Decreto per extensum relato à Lantusc. *in theatr.regular. in verbo Episcopus num.*3. in quo sic habetur.

„ Die 26. Junii 1627. in una Viterbien.
„ quæsitum fuit. An Episcopus ob clau-
„ suram custodiendum, etiam in Mona-
„ steriis, Regularibus subjectis, possit
„ excommunicationis latæ sententiæ pœ-
„ nam sibi reservatæ imponere, circa
„ aperitionem Ostii Clausuræ extra casus
„ indigentiæ, nec non circa accessus,
„ & colloquia cum Monialibus, dicta-
„ que excommunicatio liget, nedum Re-
„ gulares accedentes, verùm etiam Mo-
„ niales, facta de illis mentione, adeò
„ ut Superior Regularis ab hujusmodi ex-
„ communicatione absolvere nequeat
„ Sac. Congreg. Cardinalium Concilii
„ Trid.Interpretum respondit Episcopum
„ posse.

F. Card. Verospius.

Franciscus Paulutius Sac. Cong. Secr.

In regestro hujus Congr. fol.42.

Ad removenda scandala. Hoc dicitur 12
in Declaratoria ad instructionem Ordinarii, qui uti non debet gladio Censurarum contra frequentantes, si in subsidium, & in locis, & casibus particularibus generantibus scandalum, & corruptelam, quæ alio modo, & via removeri non possint, ut erat in casu, quem retuli *par.*1. *tit.*11. *in præludio num.*3. *pag.* 226. quotiescunque enim multis grassantibus exemplo opus est, pœnæ possunt augeri; ut multis delinquentibus pœnæ unius sit metus multorum, ut inquit *text.in l. aut facta §. fin. ff. de pœn.*

Cæterùm, ut Virgines Deo dicatæ Immaculatæ se custodiant ab hoc sæculo, & ab eis procul recedant vana, efficaciora remedia sunt. Primum, prædicatio verbi Dei, quod sanat, & captivat intellectum ut dicit Psaltes *psal.* 106. *misit verbum suum, & sanavit eos*: imò sanat omnia ut ait Sapiens – *sermo domini sanat omnia Sap.*16. frequentatio Orationis, & Sacramentorum, hæc enim si debito modo fiant, plus obtinent, quàm remedia legalia.

14 Secundum remedium pro introductione, reformatione, & manutentione observantiæ regularis est, accretio redditutum, & vita communis, & ubi facultates monasterii alio modo augeri non valeant, promoveatur unio Monasteriorum, suaviter tamen, & absque ulla monialium coactione.

15 Tertium remedium est, nova fundatio cum Dote sufficienti, pro observantia vitæ communis, & cum præfixione numeri Monialium qui augeri non possit ac sub regula, & Constitutionibus, quibus prohibeatur Monialibus accessus ad Crates collocutorii.

16 Primum remedium adhibent omnes illi Episcopi, & alii Ordinarii, qui monitum Apostoli ad *Colos*.4. memorantes, vident ministerium, quod acceperunt, & illud implent.

17 Secundum remedium adhibuit Episcopus Camerin. qui cum licentia Sacræ Congreg. Episcop. & Regul. proponente Clar. mem. Card. Petruccio sub *die* 8. *Augusti* 1698. obtenta, univit Monasterium Monialium sub titulo S. Joannis, alteri sub titulo S. Hieronymi Terræ S. Genesii, cum obligatione servandi vitam communem, Unionem dirigente eodem Cardinali juxta mentem S.Congreg.Item Episcopus Nucerinus in Umbria, qui eadem, imò & Apostolica facultate suffultus, Moniales Monasterii sub tit.S. Claræ Terræ Gualdi, unà cum bonis transtulit, & univit monasterio Monialium S. Margharitæ ejusdem loci de *mense Martii* 1704. & hoc obtinuere quamvis moniales unitæ diversam regulam primò profiterentur.

18 Tertium remedium (præter primum cum Monasteriis jam rejectis) amplexus fuit laudatus Card.Petruccius, dum erat Prælatus, & Episcopus Æsinas, qui Conservatorium Virginum sub regula tertii Ordinis Sancti Francisci in d. Civitate existens, ad novum Conservatorium à fundamentis ære, & industria propria, ac impensa 4. m. scutorum circiter sub titulo SS. Trinitatis constructum animo introducendi Clausuram transtulit de anno 1684. Regulam antiquæ observantiæ Montis Carmeli sub Constitutionibus S.Mariæ Magdalenæ de Pazzis in (quibus accessus ad Crates Monialibus prohibetur) Observandam dictis Virginibus dedit, de Ecclesia anno 1694. providit, & denique superatis concordia obstaculis, quæ interponebantur circa pertinentiam bonorum pro erectionis Dote assignatorum sub *die* 19. *Aprilis* 1697. proponente Eminent. Cardinali Colloredo, & me scribente, gratiam erectionis in Monasterium obtinuit sequenti Decreto.

Pro confirmatione Concordiæ, & erectione Conservatorii in Monasterium cum Clausura, juxta eandem Concordiam, & formam præscribendam ab Eminent. Petruccio per litteras in forma Brevis.

In executionem hujus rescripti, idem Cardinalis, formam, numerum, & conditionem Virginum recipiendarum præscripsit: litteras in forma Brevis (in quibus Fundator, & Protector nuncupatur,) suis expensis sub *dat*. 28. *Septemb.* ejusdem anni, obtinuit, & expedivit, scuta mille sub nomine pii benefactoris de proprio Monialibus Convertitis transfigentibus pro æquanda, & exequenda Concordia rogitu q. Francisci Marossi Cancellarii Episcopalis sub *die* 14. *Octob.* anni prædicti, solvit,& tandem post multos labores, & expensas non modicas, & cursum tresdecim annorum, anno præfato 1697. nondum elapso, Clausuram optatam (Episcopo ejus Successore in litteris Apostolicis Delegato exequente) introduxit.

Oportuit in hoc tertio exemplo, & remedio totam facti seriem minutatim exponere, quia quidam Anonimus compilator Historiæ Æsinæ posthumæ, & defectuosæ (ut ipse fatetur in Epistola ad lectorem) q. *Thomæ Baldassini*, Typis editæ Æsii *anno* 1703. facti ignarus, in Cronologia Episcoporum de Civitat. p. 3. *cap*.2.*pag*.180. dicit. *Il quarantesimoprimo è Mons. Alessandro Fedeli d'Urbino presente Vescovo vivente, da Innocent. XII. transferito al Vescovato di Jesi l'anno* 1696. *Ha eretto, e ridotto in Clausura l'esemplarissimo Monastero della SS. Trinità &c.* 19

Cujus Historiæ, seu compilatoris assertio in secunda parte, non solùm est æquivoca, sed insubsistens, & erronea 20

ex

ex supra narratis Illustriss. enim hodiernus Episcopus Alexander Fidelis, qui anno 1696. successit in Episcopatu, non Fundator, sive Erector, (ut malè supponit Historicus) sed gratiæ erectionis à dignissimo Cardinali Petruccio obtentæ fuit merus Executor. Ne igitur lectores Historiæ ejusmodi decipiantur, & honori, ac merito tanti Cardinalis deroget devota posteritas, hæc in obsequium veritatis, absque periculo aberrandi advertenda propono.

21 *Et publicari mandamus*. Si reus à comminatione, seù declaratoria hujus censuræ appellet, non poterit publicationem Cedulonum suspendere, quia non admittit appellationem, ut habetur in *cap. periculoso de stat. regular. in 6.* ibi -- *contradictores, atque rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo*, quæ Constitutio iterum, à Conc. Trid. innovata in *cap. 5. sess. 25. de regul.* eandem vim retinuit, & rigorem, mandans illam observari eisdem ferè verbis -- *inobedientes, atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas quacunque appellatione postposita compescentes*, quod verùm est, quando Ordinarius servatis servandis, & modo in formula, & annotationibus supra insinuato processu, aliàs enim nulliter, & injustè ad Censuras deveniret.

Advertendo, quòd ubi accessus ad Monasteria Monialium præter prohibitionem Episcopi, esset quoque laicis prohibitus vigore bannimentorum Magistratus, seu Principis sæcularis, tunc contraventio, quo ad Sæculares, esset delictum mixti fori, & posset puniri ab utroque Judice, Sabell. *summ. div. tract.* §. *Monasteria num. 20. vers. Florentiæ tamen*.

De excommunicatione contenta in cap. 18. sess. 25. de Regular. Concil. Trident.

Sapientissimi PP. Concilii Tridentini consultè psalmographi verba recolentes, quibus voluntariè se Deo sacrificare pronunciat, & voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu Dei oblectat: anathemati subjecerunt omnes, & singulas personas cujusvis conditionis, si quomodocunque coegerint aliquam Virginem, vel Viduam invitam ad suscipiendum habitum Religionis, vel earundem voluntatem illum accipiendi impedierint. At malum, quod ab Ecclesia eliminare studuit hoc Decreto Concilium, jam hodiè ingravescit, & maximam exoptat Episcoporum vigilantiam, nè Virgines Parentum, aut fratrum imperio coactæ, statum, quem non elegerunt, invitæ suscipere adstringantur. Quare si post susceptum in Religione habitum, vel post emissam professionem, constet de vi illata, præter declarationem nullitatis susceptionis habitus, & respectivæ professionis, Decreto judiciali faciendam, poterit ordinarius ad declaratoriam excommunicationis contra cogentem devenire.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XXXV.

ATtentâ comparitione, & instantia Sor. N. in Sæculo N. Monialis professæ (sivè Novitiæ) in Monasterio N. *& intra Clausuram degentis retento habitu* de, & super nullitate suæ professionis coram nobis *intra quinquennium* judicialiter introducta, visis juribus pro illius parte exhibitis, toto processu *desuper constructo*, ex quibus constat *de vi eidem illata, & de metu cadente in constantem Virum* incusso ab N. ad suscipiendum habitum Religionis, & emittendam professionem in dicto Monasterio: dicimus, & declaramus, professionem (sive habitus susceptionem) per d. N. emissam, fuisse & esse nullam, & ad observantiam regulæ Monasterii ipsam minimè teneri, eique propterea

licuisse & licere absque Votorum violatione ad Sæculum redire, *& à Clausura egredi*, prout nos licentiam egressus liberè concedimus.

Item per caput separatum dicimus, & declaramus N. qui vim, & metum intulit, & d. N. ad suscipiendum habitum Religionis, & emittendam in *cap. 18. sess. 25. de Regul. Concilii Trid.* (vel si agatur de professione Viri -- esse excommunicandum, prout excommunicamus) & tanquam excommunicatum, *esse publicè denunciandum*, prout nos denunciari volumus, & mandamus.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Qui vult allegare nullitatem suæ professionis, non auditur, nisi retento habitu Religionis intra Claustra.*

2 *Ex aliqua justa causa potest audiri extra Claustra retento habitu.*

3 *Qui vult reclamare, post quinquennium debet obtinere restitutionem in integrum à Papa.*

4 *Religiosi viri professi in Domibus non designatis, super nullitate eorum professionis non audiuntur nisi coram Sac. Congreg. Concilii.*

5 *In processu construendo super nullitate professionis, citandi sunt, qui habent interesse.*

6 *Cogentes Virgines, vel Mares ad suscipiendum habitum Religionis sunt excommunicandi, & n. 7. 8. & 9.*

10 *Parentum confessio de vi illata, sufficit ad inferendas censuras, non autem ad annullandam professionem, & num. 11.*

12 *Ad judicandum an metus incussus sit sufficiens, nec nè ad annullandam professionem, plura consideranda sunt, & num. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22.*

23 *Hermaphroditus, qui validè professus fuit, an possit à Religione dimitti absque licentia Papæ, referuntur DD. Sententiæ, & num. 24. 25. 26. 27. 28. & 29.*

30 *Hermaphroditus est irregularis.*

31 *Hermaphroditi dicuntur Androgyni, quorum species abundat in America.*

32 *A censura inflicta contra cogentes fœminas, vel Viros ad suscipiendum habitum Religionis, an detur appellatio ostenditur.*

33 *Ordinarius procedens ad censuras vigore rescripti Sacr. Congregationis, quid agere debeat indicatur & numer. 34.*

35 *Cogentes ad suscipiendum habitum Religionis, justè excommunicantur.*

Denunciationis.

FORMULA XXXII.

HIC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus N. excommunicatione majori, ex eo, quia vi, metuvè cadente in constantem virum incusso, coegit N. ad suscipiendum habitum, & professionem emittendam in Monasterio N. contra expressam prohibitionem Sac. Canonum, & Con-

& Concilii Tridentini. Ut igitur ab omnibus evitetur præsente jussimus publicari: & excommunicatus existet donec peracta condigna pœnitentia meruerit &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

V E L

CON autorità ordinaria si denuncia, e dichiara scommunicato di Scommunica maggiore N. perche con le violenze, e con timore cadente nell' huomo costante, ha indotto, e forzato N. a pigliar l'abito della Religione, e far professione delli trè Voti solenni nel Monasterio N. contro l'espressa proibizione del Sacro Concilio di Trento, Ed acciòche sia da tutti evitato &c.

N. Vescovo N.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 ET INTRA CLAUSURAM DEGENTIS RETENTO HABITU. Ex hac Formula enunciativa percipere facilè est, quòd sivè fœmina, sivè vir, & sivè infra quinquennium, sivè post, velit dicere de nullitate suæ professionis, non debet audiri, nisi maneat intra Claustra retento habitu Religionis, juxta expressam dispositionem *Concilii cap.* 19. *sess.* 25. *de regular.* & Decretorum sæpè emanatorum Congregationis, & in specie de fœmina, quæ à Monasterio aufugerat in *Bisantina* 23. *Martii* 1697. & de viro in *Mantuana* 15. *Junii* ejusdem anni, & alibi frequenter, rescribendo contra illos, qui propria auctoritate habitum deposuerunt, & petunt audiri -- *reassumat habitum, redeat ad Claustra, & posteà supplicet*: & hoc servat etiam in Religioso formaliter à Religione ejecto, ut in una *Papien. restitutionis in integrum* 15. *Martii* 1692.

2 Verùm est tamen, quòd si aliquis Religiosus, aut Religiosa, non temerè, sed ex aliqua justa causa habitum Religionis dimitteret, v.g. quia non posset habere licentiam eundi, vel constituendi Procuratorem ad reclamandum, vel prohiberetur causas nullitatis coram Ordinario proponere, & ad Urbem accederet, vel in aliud Monasterium aufugeret sine scandalo, posset reassumpto habitu, etiam extra Claustra audiri, prout plures auditos fuisse tempore suo testatur Navar. *commentar.* 4. *de Regular. num.* 78.

3 *Intra quinquennium*, Hoc necesse est exprimere in declaratoria, ut appareat de legitima facultate judicantis: cùm Ordinarius post lapsum quinquennii à die emissæ professionis non possit se ingerere, ut Concilium disponit in *d. c.* 19. sed qui post quinquennium vult reclamare, debet habitu Religionis retento recurrere ad Papam pro obtinenda restitutione in integrum, qui solet, vel per Commissionem Ordinario directam cum clausula -- *constito tibi de expositis &c.* vel per organum S. Congreg. Concilii auditis partibus concedere,

constito de nullitate, & de impedimento reclamandi intra quinquennium, Donat.*prax. rer. regular. tom.4. tract.12. de profes. monial. quaest.* 30. *num.* 2. *Sacr. Congreg. Concilii in Mantuana* 18. *Maji* 1697.

4 Viri autem recepti, & professi in Domibus non designatis contra formam Decretorum *Clementis VIII.* nullitatem eorum professionis ex hoc capite allegantes non solùm post quinquennium coram Ordinario loci, & Superioribus audiri non possunt, sed etiam intra quinquennium reclamantes tenentur, tàm ipsi, quàm eorum Superiores eorum jura deducere coram. Sac.Congreg. Concilii, quod si non fecerint, & recedere à Monasteriis praesumpserint, tanquam Apostatae puniuntur, Superiores verò, qui in cognitione Causae se ingesserint, vel professos ejecerint, Censuras latae Sententiae incurrunt, ut habetur ex Decreto *Urbani VIII.* quod per extensum referunt Donat.*prax. rer. regular. tom.*2. *par.*2.*tract.*8. *de Domib.Novit.quaest.*9. *num.* 8.Corrad.*prax.disp.lib.*5. *cap.*14. *num.*11.

5 *Desuper constructo*. In fabricatione processus super nullitate professionis, & restitutionis in integrum, ut legitimè dicatur constructus, citandi, & audiendi sunt, non solùm Religiosi, sed etiam donatarii, seu Renunciatarii, vel eorum haeredes, vel similes interesse habentes in bonis professae, seù professi prout contra Donat. *in prax.rer. regul.tit.*2. *par.*2. *tract.*12.*de reclamat.profess. quaest.*19. *num.* 11. tenet Passer.*de hom. stat. tom.* 3. *quaest.* 189. *art.*10. *num.*485. cujus opinionem sequuta est *S.Congreg. Concilii in Cathacen. restitutionis in integrum* 20. *Aprilis* 1697. *& in Papien.*15. *Junii ejusd. anni*.

6 . *De vi eidem illata*. Cogentes Virgines, vel Viduas ad suscipiendum habitum Religionis aut ad profitendum, sicuti & auxilium, & favorem ad id praestantes, sunt feriendi gladio excommunicationis, ad quam fulminandam, & publicandam, satis est, quòd constet de vi illata, & metu incusso; etiam si vim passo non concedatur regressus ad saeculum, vel restitutio in integrum, utpotè

7 quia tacitè, aut expressè professionem ratificavit, imò sive agatur de vi illata foeminae sive Viro, ut pluries resolutum vidi à Sac.Congreg.Concilii, nempè quo ad Viros in *Hispalien.* 23. *Septemb.* 1690. in qua agenti pro restitutione in integrum adversùs lapsum quinquennii illam denegavit, addens resolutioni, & *Archiepiscopus procedat ad censuras contra Patrem si adhuc vivat*. *In Bononien.* 26. *Septemb.*1699. pariter restitutione in integrum denegata, fuit additum -- *& Em. Archiep. procedat contra Matrem cogentem prout de jure*. *In Mediolanen.*6. *Febr.* 1700. in qua dubio proposito -- *an sit concedenda restitutio in integrum adversùs lapsum quinquennii*: responsum fuit -- *Ordinarius procedat juris remediis contra Patrem cogentem*.

Et quo ad foeminas. In Tolonen. 28. Febr.1693. in qua concessa instanti restitutione in integrum, fuit additum -- *& Episcopus procedat contra Patrem*. *In Conversan. Nullit. profess.*26. *Julii* 1698. Congreg. particularis deputata sex Sapientissimorum Cardinalium, quorum unus erat Eminent. D. meus Card. Petruccius, resolutioni pro nullitate professionis captae addidit -- *& Ordinarius procedat contra eos, qui Oratricem coegerunt, & respectivè concilium, & favorem praestiterunt ad formam Concilii sess.*25. *cap.* 18. *de regul.In Montis Politiani* 30. *Augusti* 1698. concessa Puellae reclamanti restitutione in integrum, quia Episcopus erat consanguineus -- *mandavit confici processum per viciniorem contra cogentes ad formam Concilii In Cephaluden.* 18. *Julii*,1699. concessa Virgini recurrenti restitutione in integrum addidit -- *Et Episcopus procedat contra Patrem cogentem ad formam Concilii*. 8

Licèt autem Concilium in citato Decreto 18.*sess.*25. *de regular.* loquatur tantùm de cogentibus, vel retrahentibus Mulieres, quibus tanquam debilioribus succurrit, & non comprehendat cogentes, aut retrahentes Viros, ut de communi tradunt Barb. *in d. cap.*18. *num.*6. Bonac. *tom.*1. *de excomm. disp.*2. *quaest.*6. *punct.*2.*num.*15. Donat.*prax. regul. tom.*2. *par.*2. *tract.* 1.*de recip. ad habit. quaest.* 12. *num.*4. Passer.*de stat. homin. tom.*3. *quaest.* 189. *art.*9. *num.* 24. Nihilominus, quia etiam hi, qui viros cogunt graviter peccant 9

cant Passer. *ibi num.* 12. & ratio finalis, & intrinseca Concilii etiam in istis militat, ad promovendum, & servandum bonum Religionis. S. Contregatio eos primis parificat, & mandat coerceri, & puniri remedio juris, quod est censurarum, ut patet ex supra relatis resolutionibus, & præsertim ex d. *Hispalen.* 23. *Septembr.* 1690. & ex canone *hoc Sanctum* 32. *qu.* 2.

10 Constare autem de vi illata diceretur ad hunc effectum, quando Pater, Mater, Frater in judicio faterentur, professam, seù professum coegisse: quia confessio rei spontanea in judicio emissa facit rem notoriam, & manifestam *cap. quæsitum de cohab. cler. & mulier.* nec indiget alia probatione: non tamen talis cogentis Confessio sufficeret sine aliis testibus, & præsumptionibus ad annullandam professionem, vel concedendam restitutionem in integrum, ut colligitur ex *text. in cap. præsens* 20. *quæst.* 3. *ibique gloss.* & ex supra allegatis resolutionibus *Sacr. Congregat.* nempè *in Hispalen.* 23. *Septembr.* 1690. *in Bononien.* 26. *Septemb.* 1694. in quibus fuit denegata restitutio in integrum, non obstante, quòd Parentes judicialiter fassi fuissent, filios ad habitum religionis suscipiendum, & professionem emittendam coegisse, & magis præcisè in alia *Januen.* 30. *Jan.* 1694. at ad infligendam censuram satis esse monstravit.

11 Etsi Barbos. *Vot.* 16. *num.* 54. *lib.* 2. & *Vot.* 77. *num.* 123. *lib.* 3. dicat, quòd justus metus probetur ex confessione Patris motum inferentis, tamen non est ausus affirmare, quòd talis confessio per se sola sufficiat ad annullandam professionem, sed in casu dicti Voti 16. Patris confessio afferebatur in corroboratione aliarum probationum; ut legitur in *d. num.* 54. ibi *ultimo pro corollario comprobantur prædicta & num.* 55. ibi *-- quæ patris confessio in hac materia multum attenditur*, & in casu *d. Voti* 77. aderant depositiones aliorum testium, ut habetur ex *num.* 127. ibi *tum quia supersunt multi alii testes omni exceptione majores, quorum integerrima fides aliorum suppl?et defectum:* ideòque *Nicolaus Papa*, qui confessionem Patris de metu incusso filio non sufficere judicavit, scribit Episcopis, ut super expositis à Patre, investigent veritatem, *d. cap. præsens* 20. *quæst.* 3.

Et de metu cadente in constantem virum. Ad proferendum rectum judicium super qualitate metus incussi, & capiendum arbitrium à jure regulatum pro nullitate, vel validitate professionis; ad animum reducendæ sunt, & examinandæ sequentes juris regulæ, & conclusiones. 12

Prima quòd metus non præsumitur, sed ab allegante probari debet: sive per testes, sive per conjecturas, & præsumptionem, Sperell. *decis.* 79. *num.* 37. & 38. & quidem quòd non procedat ab intrinseco, vel à causa naturali sed ab extrinseco, & à causa libera, idest ab homine procedente vi coactiva, non inductiva, ad finem extorquendi consensum Sperell. *d. decis.* 79. *num.* 40. Passerin. *de stat. hom. tom.* 3. *quæst.* 189. *art.* 10. *insp.* 3. *num.* 59. & *seqq.*

Secunda, quòd metus justus cadens in constantem virum, ut talis dicatur, & faciat rescindere professionem, quinque conditiones regulariter requiruntur: prima ut malum, quod timetur sit grave, secunda, ut æstimatio mali, quod timetur sit fortis, idest ut timens, non vanè, aut leviter credat malum illud sibi imminere, sed probabiliter, & rationabiliter: tertia ut metum incutiens potens sit minas exequi, cùm non sit Viri constantis, ac fortis quibuscunque minis terreri, & trepidare ubi non est timor: quarta ut sit solitus minas exequi: secus si sit homo verbosus, facilè iram deponens: quinta ut timens non possit facilè occurrere malis quæ sibi timet imminere; quia si posset alia via malis mederi, non esset justus metus, ut docent Sperell. *d. decis.* 79. *d. num.* 40. & *trib. seqq.* Pac. Jord. *elucub. tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 12. *num.* 63. Donat. *prax. rer. regular. tom.* 2. *par.* 2. *tract.* 11. *de profess. null. quæst.* 4. *num.* 11. Barb. *Vot.* 77. *num.* 47. *lib.* 3. Et hæc nota ut scias articulare, & probare metum. 13

Tertia, quòd quando pro metu adest juris præsumptio, vel testes pro parte metum passi inducti deponunt de minis, & vi, & sic de actu externo, qui sensu percipitur corporeo, & è contra testes, pro libero consensu inducti deponunt, 14

non de actibus facti, sed de rebus in animo, & mente existentibus, magis credendum est duobus testibus de metu quàm mille de libera voluntate deponentibus, Sperell. *decis*. 5. *num*.22. *in fin*.

15 Quarta, quod probabilis, & prudentis timoris, seù metus cadentis in constantem Virum, objectum est, timor mortis, mutilationis membrorum, corporis cruciatus, longus carcer, Exilium, libertatis, Virginitatis, honoris famæ, alimentorum, & bonorum jactura, & amissio, vel alterius rei, quæ de jure debetur, Passer. *loco suprà cit. d. quæst*. 189. *art*.10. *insp*.3. *num*.53. & *ar*.9. *n*.17. Sanch. *de matrim. lib*.4. *disp*. 5. *per tot*. item terror armorum Sanch. *ibid*. & perorrescentia Paternæ maledictionis, Rot. coram Greg.414. *num*.2.

16 Quinta, quòd metus consideratur gravis non solùm ex parte objecti, vel ex parte modi, sed etiam ex parte subjecti, & censebitur Mulier constans, etiamsi timeat, quod non convenit prudenter timere Viro, undè aliquis erit gravis, & probabilis metus in Muliere, qui in Viro non erit, & sic minor metus sufficit in Muliere, ut dicatur metus cadens in constantem propter illius imbecillitatem, Passer. *loco citato num*. 55. Graff. *decis.aur. par*.2. *lib*.2. *cap*.5. *num*.3. Donat. *prax.rer. regular.tom*.4. *tract*.12. *de profes.monial. quæst*.29. *num*.4. Rot. coram Coccin. *decis*. 2207. *num*.10.

17 Sexta, quòd coactione exclusa, restat firma professio etiamsi metus reverentialis Parentum conjunctus importunis precibus, & blanditiis intercedat, quia nudum Patris imperium non cogit, neque est sufficiens ad annullandam professionem nec ad incurrendam excommunicationem in foro externo, Passer. *ubi supra art*.9 *num*.19. in puncto Donat. *tom*. 2. *par*. 2. *tract*. 11. *de profess. null. quæst*.10. *num*.5. & 9. Pellizar. *de monial. cap*.2. *num*.30.

18 Septima, quòd quando Parentum preces (quæ præcesserunt) excedunt limites modestæ, & simplicis hortationis, & persuasionis, & junguntur minis, aut verberibus, sivè sint formales, sivè solùm virtuales, irritant subsecutam professionem, v.g. si professurus præcedenter perpetuò detineretur Domi, itaut nunquam permitteretur egredi, si denegarentur alimenta vel Dos debita: si frequenter verberaretur, si omnis occasio honestè conversandi tolleretur: si vilia servitia contra decentiam sui status obire cogeretur, Barbos. *in cap. præsens* 21. *quæst*.3. *num*.3. *post principium* Donat. *tom*. 4. *tract*.12. *de profess. Monial. quæst*.29. *per tot*.

19 Octava quòd minæ (dummodo testes sint concordes in illarum qualitate, licèt discordent de loco, & tempore) probantur per testes singulares, Barbos. *in cap. in omni negocio num*.49. *de test. & attest*. Ciarlin. *controv*.108. *num*.42. & 44. Rot. coram Buratt. *decis*.205. *num*.11. etiam si sint domestici, Barbos. *Vot*.16. *num*.87. *lib*.2. & *Vot*.77. *num*.56. 128. & 129. *lib*.3.

20 Nona quòd licèt humani moris sit, omnes illos, qui possunt nocere, & prodesse vereri, ut habetur *in cap*.1.16. *quæst*. 2. in hac tamen subjecta materia, metus reverentialis qualificatus, ut supra ad effectum nullitatis professionis, regulariter cadit in Avo, Patre, Matre, quæ si sit austera metum in constantem virum inducere potest, Barbos. *Vot*. 37. *num*.5. *lib*.2. Patruo, Tutore, & Curatore, & Fratre natu majori si simul habitet, & habeat gubernium Domus, Ricc. *collect*. 1176. Donat. *prax.rer. regular.tom*.2. *par*. 2. *tract*.11. *quæst*.11.

21 Decima quòd metus semel incussus durat, & durare Præsumitur quamdiù durat ejus causa, quamvis in actu externo appareat libertas, Barb. *vot*.17. *n*.147. & *duobus seqq. lib*.2. in terminis professionis Monialis Rot. coram Seraph. *decis*. 1166. *per tot*. ubi intercesserat exploratio voluntatis facta à Vicario.

22 Undecima, quòd Judicis arbitrio definiendum relinquitur, qualis metus cadat in virum constantem; cùm enim exprimi non possint casus omnes particulares (quamvis de aliquibus malis constet esse sufficientia ad illum inducendum) & requiratur, ut plurimum probabilis æstimatio, juxta singulorum casuum circumstantias, jam Judicis arbitrium exigitur, Sanch. *de matrim. lib*.4. *disp*.5. *n*.1. Card. de Luc. *de regular. disc*.44. *num*.4.

Et à Clausura egredi &c. Licentia egres-

egressus à clausura, quæ hîc ab Ordinario conceditur nulliter professæ ex causa metus: an possit, & debeat concedi eadem auctoritate Hermaphrodito validè professo, ex causa diversi sexus, an potiùs sit expectanda licentia Papæ; hîc jam quæritur, in qua quæstione DD. non sunt concordes: nam Bonac. *de clausur. quæst.2. punct.* 10. §. 5. *num.*2. hæc habet -- *Hermaphroditum, in quo virilis sexus prævalet, non posse validè profiteri in Monasterio Monialium, quia censetur vir. Si verò profiteretur in religione virorum valida esset professio. Si verò uterque sexus æqualis sit, in neutra religione profite ri potest. In dubio autem uter sexus prævaleat, standum est judicio medicorum, innixo assertioni ipsius Hermaphroditi.*

*Et num.*3. *major difficultas est utrum Hermaphroditus, in quo virilis sexus prævalet, possit contra professionem in religione virorum factam reclamare, vel alio remedio uti, quo Monasterio egrediatur, respondeo affirmativè, quamvis enim professio valida sit, nihilominus imminet scandali periculum, ad quod vitandum petere debet à Summo Pontifice facultatem exeundi. Imò Rodriq.to.2.cap.6.ad fin.& Sanch.num.41. existimant expelli posse: absque Summi Pontificis facultate, eò quòd religionem cum periculo gravissimi damni deceperit,* & Bonac. sequitur Tamb. *de jur. Abbatiss.disp.6. quæst.7.num.2. & 3.*

*Tambur. de jur. Abbat. tom.3. disp.6. quæst.3. num.*21. sic ait -- *ex quibus colligitur Hermaphroditum inhabilem esse ad Religionem, quicunque sexus in eo prævaleat. Quòd si talis Hermaphroditus taceat suum defectum in ingressu Religionis, & ad professionem admittatur, professio nulla erit: imò cognito tali defectu ab Abbate expelli debet, & spoliari habitu: ratio est, quia Hermaphroditus est infamis &c.* & paulò post -- *Laurent. de Peyrin. tom.2. de Prælat. quæst.3. cap.1. num.59. ubi ait, quòd ad expellendum Hermaphroditum jam professum, non requiritur licentia Papæ, si in eo dominetur æqualis sexus: quia semper adest incentivum peccati, fomes scandali, & vix sciri potest, quo sexu sit validior.*

*Et num.*22. In hac re *Ledesma* loco citato, & *Laurentius Portellus in addit. ad dubia regul. verbo professio Hermaphroditi; movent dubitationem scitu dignissimam, an qui in Monasterio Monialium, tanquam Muliere professionem facit, cùm verò Mulier credatur, appareat, & sit, deindè supponens humeros suos gravi ponderi, ex vi illius ponderis, seu alio instanti accidenti excitatur sexus virilis, & fit vir, utrum teneatur in dicto Monasterio permanere, vel transire ad Monasterium Virorum ejusdem, vel alterius ordinis. Et respondet ipse Ledesma quòd non tenetur stare nec inter Moniales, nec transire ad Monasterium Virorum; quia professionem emisit tanquam Muliere, non tanquam vir, undè si mutata est in Virum, non tenetur amplius ad officia Muliebria, sed virilia in sæculo. Non mirandum, quòd talis dubitatio inter Doctores circumferatur; quia hoc contingere naturaliter posse, affirmant gravissimi Doctores, & præsertim S. August. de Civit. Dei cap.*31. *&c.* Et quòd professio talis, fuerit ab initio invalida, tenent in eisdem terminis, & casu Pelizar. *de Monial. cap.*3. *num.*32. Passer. *mox* infra citandus *num.*152.

Donat. *prax. rer. regular. tom.*2. *par.* 2. *tract.*3. *de qualit. recipiend. quæst.* 23. *nu.*5. dicit -- *secus autem dicendum, si magis vel valeat sexu virili, & in Virorum Monasterio profiteatur; vel si sit præpotens in fœmineo, & in fœminarum Monasterio professionem faceret, sic enim validè; quia Hermaphroditus est judicandus vir, vel fœmina, juxta magnitudinem potentiæ virilis, vel muliebris, & num.6. Si verò sit paris potentiæ, nulliter, & invalidè profiteretur.*

*Et nu.*10. *Ego autem credo, quando non sit nobis opus licentia, & privilegio ad expellendum hujusmodi, etenim tenentur Viri religiosi à suis Dormitoriis, Choro, & Cellis projicere Fœminas & è contra Religiosa Fœmina expellere masculos, secus autem horum societas, nedum erit inductoria, & provocatoria ad libidinem, sed scortis plena, & Sacrilegiis.*

Passer. *de stat. hom. tom.*3. *quæst.* 189. *art.*10. *insp.*4. *num.*148. sic inquit -- *At juxta datam distinctionem dicendum mihi videtur, professionem eorum Hermaphroditorum, qui extrinsecus nullum sexum ritè formatum habent, validam esse, si fiat in*

Monasterio fœminarum, quia hujusmodi pro fœminis habendi sunt, unde, & eorum professionem non esse illicitam probatum est. Si verò alter tantum sexus extrinsecus sit ritè formatus, alius verò sit penitus inutilis ad usum veneris, professionem valere, si fiat in Monasterio ejusdem sexus cum eo, qui in eo apparet ritè formatus &c. Sed loquendo de illis, in quibus uterque sexus extrinsecus est ritè formatus, unde & ad utrumque usum veneris sunt habiles, puto, quod sine distinctione professio illorum in quocunque Monasterio sit, irrita est professio &c.

Et num. 149. *In casu autem, quod per errorem aliquis hujusmodi Hermaphroditus fuerit admissus ad professionem, quia nimirum habens alterum sexum admissus est in Religione alterius sexus, vel habens utrumque sexum ritè formatum, admissus est in aliqua Religione, tanquam non Religiosus, & non professus, potest, & debet à Religione expelli Ubi autem, vel sequendo opinionem, quæ ait professionem emissam in Religionis ejus sexus, qui in Hermaphrodito prædominat, esse validum, vel ubicumque professio talis verè valida sit, aut dubia, & non evidens nulla, non est admittenda doctrina Rodriq. apud Donat. d. quæst. 23. num. 9. quod scilicet ex privilegio Leonis X. possit Hermaphroditus ejici ab Ordine à Provinciali, vel Generali, & multò minùs attendi debet, quod ipse Donat. asserit num. 10. scilicet, quod non sit opus licentia ad expellendum hujusmodi. Ubi enim evidens esset professionem fuisse nullam id verum esset, sed ubi, vel professio sit valida, vel sit dubia, & disputabilis, seu indigens Judice, qui de ea decernat an sit valida, servanda sunt Decreta Urbani VIII. ut nullus professus ejiciatur nisi titulo incorrigibilitatis, & servata forma ab eo statuta, vel Concilii Trid. Sess. 25. cap. 19. Ideò benè Navar. Ledesm. & Henriqu. suprà citati dixerunt, hujusmodi professum ejiciendum de licentia Papæ. Et interim ad evitandum scandalum, quod posset contingere, poterit juxta prudentiam Superioris, talis, vel sequestrari, vel etiam carcerari, nam & grave crimen fuit in Religionem commissum, tale vitium occultare.*

Et num. 150. *Nihil etiam in his casibus judicandum medico in consulto &c. sed judicium fieri debet per Medicos, & eorum inspectionem, ex principiis enim Medicinæ colligi poterit etiam Sexus Hermaphroditus, quia ex situ, & dispositione, & aliis qualitatibus, dantur signa, an talis habendus sit vir, vel fœmina.*

Et num. 151. *In casu autem, quod aliquis talis verè professus ejiciatur, nec tenebitur aliquam religionem ingredi, quia ad nullam est aptus, sed tenebitur ad votum castitatis, & ad alia etiam vota, & observantias Regulæ eo modo quo dictum fuit suprà, teneri alios à Religione ejectos.*

Quare cùm tam isti Authores, licèt discordes, quàm alii ab eis allegati magis communiter in hoc conveniant, quòd Hermaphroditus possit validè profiteri in ea Religione, cujus sexus prævalet, sequitur quòd quando de nullitate à principio evidenter non constat, sed potiùs de validitate, vel saltem de ea dubitatur, non possint locorum Ordinarii, nec alii Regularium Superiores (juxta Passerini Sententiam) propria auctoritate, & inconsulta Sede Apostolica, Hermaphroditos ejicere, & à Religione depellere, quia votum professionis, si semel fuit validum, infirmum, & invalidum fieri non potest ab inferiore Papæ, idem Passer. *loco cit. num. 162.*

Nec relevat, quòd si de facto non possent expelli, eorum societas esset occasio scandali, & provocatoria libidinis, ut dicunt Tambur. & Donat. quia ex hoc oritur causa legitima, propter quam Papa potest, imò debet dispensare, ut Hermaphroditus à Religione dimittatur ut docet Navar. *consil. 47. num. 4. de regular.* non autem acquiritur jus, ut possit sine licentia Papæ depelli: nam detecto morbo, donec responsum Papæ, seù Sac. Congreg. Episcop. & Regular. habeatur, scandalis, quæ possunt contingere, occurritur, ut inquit Passer. vel sequestratione personæ, vel alia prudentis Ordinarii provisione.

Verum est quoque id, quòd firmat Passer. quòd ad cognoscendum morbum, seù præpotentiam sexus Virilis, aut fœminei, non est standum dicto Hermaphroditi, sed Medicorum, & in hoc concors est DD. opinio, & etiam Do-

Donat. *loco cit. num.7.* admittit dicens, *si roges quodammodo potest cognosci isthæc præcellentia sexus; sunt qui dicant, quòd standum sit ejus dicto, hæc tamen regula non placet &c. etenim in his non standum est dictis eorundem, si namquè quoad hæc haberent liberam facultatem, non quod verius, sed quod eis melius, aut delectabilius foret, eligerent.* Et Bonac. *de im pedim. matrim. quæst.3. punct.13. num.28.* ait -- *Rogabis primò ad quem pertineat indicare quinam sexus prævaleat, & quid faciendum sit in dubio. Respondeo judicium pertinere ad Medicos, vel ad Matronas peritas, quæ ex pudendarum partium inspectione, judicium ferre debent &c. in dubio tamen judicium ferendum est ex ipsius Hermaphroditi assertione, nullus enim magis valet hunc statum divinare quam ipsemèt &c.* Et idem tenet cum aliis Sanch. *de matr. lib.7. disp.106. num. 2.*

27 Hæc autem pudendarum partium inspectio remitti, & evitari non debet, quia potest dari casus, quòd promanatio hujus morbi, tam in Viro quàm in fœmina sit invalida, & prorsus inutilis ad usum veneris, & quòd sine periculo scandali, Hermaphroditus possit in Religione remanere: prout accidit in una *Spoletana*, in qua cùm relatum fuisset clar. mem. Cardinali Pallavicino tunc Episcopo in Monasterio Monialium N. detectam fuisse quandam Monialem Hermaphroditam, quæ in sexu Virili prævalere asserebatur; facta per Peritos recognitione, repertum fuit, partem sexus Virilis fuisse potiùs excrescentiam carnis, quàm formam membri Virilis, minimè aptam, ac dispositam ad emissionem spernæ: Unde exposita relatione *Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium*, & dato ab eod. Cardinali quæsito -- *An dicta Monialis esset à Monasterio expellenda, seù potiùs toleranda*: eadem Congreg. *sub die 2. Junii 1690.* respondit *arbitrio, & prudentia Em. Episcopi*. Quod arbitrium maxima cautela, & circumspectione (quoties arbitrio locus) hac in re adhibendum erit: quia licèt Hermaphroditus non haberet sexum Virilem, vel muliebrem ritè formatum,

28 nec aptum ad generationem; adhuc si haberet aliquem usum illorum, quia ex hoc esset sufficiens, & aptus ad explendam malitiam incontinentiæ, & provocandum libidinem, tolerandus non esset.

Concludendum propterea est, quòd licèt Hermaphroditus non sit admittendus ad professionem neque in Monasterio sexus in ipso prævalentis, Donat. *prax. rer. regul. tom. 4. tract.9. quæst. 5. num.1.* Pelizar. *de Monial. cap.3. nu.32.* Si tamen fuit admissus, non potest detecto morbo ejici, & à Religione dimitti (nisi nullitas receptionis à principio esset evidens) inconsulto Papa, qui habet justam causam dispensandi, ut dimittatur: imò ad evitanda scandala, & occasionem fovendi libidinem, debet cum eo dispensare, etiamsi validè sit professus, Navar. *cons.47. de regular.* 29

Et hìc nota, quòd Hermaphroditus est irregularis, & ordinari non potest absque Papæ dispensatione, Navar. *in manual. cap.27. num.203.* Gavant. *manual. Episc. verb. Ermaphroditus num.1.* Piasec. *in prax. par.1. cap.1. art.3. num.2.* Et si ordines susciperet absque dispensatione, reciperet quidem characterem si in sexu Virili prævaleret, sed perpetuò suspendi deberet ab ordinum susceptorum executione: si verò æquè incalesceret sexus Virilis, & Muliebris, characterem non reciperet, Sayr. *de censur. lib.6. cap. 8. num.24.* 30

Item quòd Hermaphroditi, seu Androgyni dicuntur, eò quòd in eis uterque sexus apparet. *Herma* quippè apud Græcos masculus est: *Aphrodi* fœmina nuncupatur, de quo videndus *S. Augustin. de civit. Dei lib.16. cap.8.* Quàmvis hi apud nos pauci sint, tamen aliqua Regio iis abundat; & præsertim apud Indos ubi eò quia robusti sunt, & exosi, Jumentorum loco inserviunt, prout de Provincia Floridæ in Amerca testatur Jason. *in Theatr. Orb. terrar. tom.3.* his verbis -- *abundat Regio Hermaphroditis, quorum servili opera mancipiorum, jumentorumque loco utuntur*; quem refert etiam Verticell. *in tract. de Apostolic. mission. tit.14. miscellan. quæst. 196. dub.1. num. 2.* qui Author *ibid. & duob. seq. ex Democrito, Plinio, & Æliano*, probat, Lepores utrumque sexum habere, & mutuò coitu absque fœminis eorum speciem 31

pro-

propagare: darique Hermaphroditos parem, & perfectam potentiam habentes, pariendi, & gignendi.

32 *Esse publicè denunciandum*. A declaratoria incursus hujus censuræ, quando Episcopus procedit jure ordinario datur appellatio, qua, tempore debito interposita, tenetur denunciationem suspendere, præfixo appellanti termino ad illam prosequendam. At si Ordinarius censuras comminaret vigore commissionis, & rescripti, quo solet Sac. Congr. Concilii demandare, *ut procedat contra cogentem*, prout vidimus supra, tunc putò, quòd præmissa monitione ad videndum se excommunicatum denunciari; possit ad denunciationem procedere, & devenire nulla attenta appellatione, cùm enim ejusmodi rescriptum non emanet, nisi causa cognita super vi, & metu illato, & sic non possit excommunicandus ab Episcopo Executore gravari, denunciatio non poterit ab appellatione suspendi, cùm certum sit in jure, quòd à mero Executore non detur appellatio *cap. novit.* 43. *de appellat. c. consultationem de sent. & re judic.*

33 Ut igitur hoc rescriptum, seù Decretum Ordinarius debito ordine contra cogentes fœminas exequatur, debebit illud exhiberi facere in forma authentica in Actis, & posteà Promotore Fiscali instante mandabit citari, & moneri excommunicandus forma sequenti.

Citetur, & moneatur N. ad dicendum contra rescriptum, sive Decretum Sacr. Congreg. Concilii de Urbe emanatum in Causa N. & in actis in forma authentica exhibitum ad primam diem: & secunda die immediatè sequenti dicendum causam quare, non debeat denunciari excommunicatus: & tertia die pariter immediatè sequenti, videndum contra se ipsum relaxari, & publicari cedulones eo ampliùs non monito &c.

Si verò rescriptum sit exequendum contra cogentes Viros: quia isti non comprehenduntur in Decreto Concilii, ut vidimus supra, & excommunicati non sunt, sed debent excommunicari; monitio erit aliqua in parte varianda, & sic poterit concipi.

Citetur, & moneatur N. ad dicendum contra rescriptum, sive Decretum Sacri Congreg. Concilii de Urbe emanatum in Causa N. & in actis in forma authentica exhibitum ad primam diem: & secunda die immediatè sequenti, dicendum, & allegandum causam quare non debeat excommunicari: & die tertia pariter immediatè sequenti, videndum se excommunicari, & excommunicatum declarari, & denunciari, ipso ampliùs non monito &c.

Transacto termino, & nihil quod relevet per citatos deducto, ad denunciationem, & declaratoriam respectivè excommunicationis poterit devenire; appellatione quacunque, seu inhibitione, aut exhibitione absolutionis fortè obtentæ à Pœnitentiaria Urbis (quæ non prodest in foro externo) non obstante: subscribendo tam acta hujus processus, quàm Cedulones, tamquam exequutor rescripti S. Congregationis. 34

Neque denunciationem retardare poterit reflexio, seù objectio, quòd cùm agatur de peccato præterito, de quo cogens potest esse emendatus, non debeat contra usum Ecclesiæ (quæ illos tantùm qui à peccato cessare nolunt, vel jussi restituere, aut moniti juri stare, vel pro offensa, & peccato satisfacere noluerunt censuris punit) ad excommunicationem deveniri, quia hìc non tantùm agitur de mero peccato præterito, ut de sacro neglecto die festo, vel non servato jejunio die Sabbati Sancti, sed de peccato præterito qualificato cum damno, & ruina proximi, à quo pendent scandala, & jam sub pœna excommunicationis à lege prohibito, & nunc per sententiam Judicis, qui jubet puniri, notorio, & manifesto; ideoque rectè, & justè fertur excommunicatio contra cogentes, non solùm quia sunt peccatores manifesti, & Ecclesia in foro externo præsumit eos adhuc in peccato permanere, ex quo vim passo, modo, quo poterint, non satisfecerint, sed etiam, quia ad promovendum bonum commune, expedit, ut ita fiat, ad hoc ut cæteri homines avertantur ab hoc scelere. 35

De

De excommunicatione contenta in clem. 1. de sepultur.

Contingit aliquando, quòd vel tempore Interdicti corpora defunctorum in casibus à jure non concessis, vel decedentium impœnitenter, qui aliqua publica censura sunt innodati, scienter sepeliantur in loco Sacro, formidantes homines potiùs minas Consanguineorum, qui possunt corpus occidere, quàm Censuras Ecclesiæ, quæ eorum animas feriunt. Unde constito in actis de tali excessu, Ordinarius ad Declaratoriam poterit devenire modo sequenti.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XXXVII.

Visis relatione nostri Promotoris Fiscalis de tumulatione in loco Sacro Cadaveris q. N. publicè excommunicati (seu nominatim interdicti) & depositionibus testium, ex quibus constat tumulationem sequutam fuisse in Ecclesia N. externa die, mandantibus, & exequentibus infrascriptis; nec non *visa monitione* contra eosdem exequuta, dicimus, & declaramus omnes infrascriptos, *qui temerè, & scienter sepeliri mandarunt*, & actu sepelierunt in d. Ecclesia cadaver d. q. N. excommunicati, *& nullo modo absoluti*, damnabiliter incurrisse excommunicationem majorem contentam in *clem. 1. de sepultur.* & propterea tanquam excommunicatos, esse publicè denunciandos, prout nos denunciari volumus, & mandamus, nempè.

N. N.
N. N.
N. N.
N. N.

Qui excommunicati existent, *donec satisfactionem exhibuerint competentem*. Item per caput separatum dicimus, & declaramus *d. Ecclesiam. N. esse pollutam*, & non posse in ea, antequam reconcilietur nec officia divina celebrari, nec fidelium corpora sepeliri, omni &c.

N. Episcopus N.

N. *Actuarius.*

SUMMARIUM.

1 *A comminatione censura lata à jure, non datur appellatio.*

2 *A declaratoria hominis, qua quis declaratur in censuram incursus datur appellatio etiam in suspensivo, fallit, ut n. 3. & 4.*

5 *Qui dicantur temerè, & præsumptuosè sepelire excommunicatos, referuntur DD. Sententia, & n. 6.*

7 *Sepelientes ignoranter excommunicatos, non incurrunt pœnas* Clementinæ, 1. de sepult.

8 *Sub Clementina* 1. *de sepult. censura comprehenduntur etiam exempti, qui ab Ordinario publicè denunciari possunt.*

9 *Clerici sæculares, vel Regulares inducentes aliquem ad eligendam Sepulturam in eorum Ecclesiis, excommunicationem Papæ reserva-*

tam incurrunt. Declarat num. 10.
11 *Laici non ligantur censura Clementina cupientes de pœn.*
12 *Excommunicatus vitandus, si moriatur ante obtentam absolutionem, non potest sepeliri in loco Sacro, quàmvis signa dederit contritionis, & declaratur conclusio, num. 13.*
14 *Quæ sint signa pœnitentiæ, & quomodo probentur, ostenditur, & n. 15.*
16 *Ecclesia, in qua fuit sepultum corpus excommunicati, remanet polluta, & quomodo sit reconcilianda indicatur, & num. 17. 20. 21. 22. & 23.*
18 *Sepelientes in Ecclesia scienter excommunicatum, & sepulti hæredes quomodo teneantur satisfacere.*
24 *Ecclesia, in qua fuit sepultus nominatim interdictus non remanet polluta.*
25 *Presbyter, qui non est particeps sepelitionis excommunicati, si celebret in Ecclesia polluta, licèt peccet, non efficitur irregularis, neque suspensus.*

Denunciationis.

FORMULA XXXVIII.

HIC auctoritate ordinaria denunciantur, & declarantur excommunicati majori excommunicatione infrascripti, ex eo, quia contra Sacrorum canonum prohibitionem scienter sepelire præsumpserunt in Ecclesia N. cadaver q. N. publicè, & notoriè excommunicati (seù nominatim interdicti) propter quod dicta Ecclesia remansit polluta. Ut igitur ab omnibus evitentur, &c.

N. Episcopus N.

Loco + Sigilli.

N. Actuarius.

Excommunicati sunt

N. N.
N. N.
N. N.
N. N.

VEL

CON autorità ordinaria si denunciano, e dichiarano scommunicati di scommunica maggiore gl'infrascritti, perche contro la prohibizione espressa de' sagri Canoni, hanno scientemente sepelito nella Chiesa N. il Cadavere del q. N. notoriamente scommunicato, per lo che la d. Chiesa è rimasta polluta. Ed accioche da tutti siano evitati, &c.

N. Vescovo N.

Luogo del + Sigillo.

N. Attuario.

Gli Scommunicati sono

N. N.
N. N.
N. N.
N. N.

AD-

ADNOTATIONES.

1 VISA MONITIONE. Citatio, seù monitio — *ad dicendum causam, quare non debeant declarari incidisse in Excommunicationem Clementinæ* 1. *de Sepultur.* præmittenda est, tam contra illos, qui de facto Cadaver excommunicati sepelierunt, quàm contra Rectorem, & Superiorem Ecclesiæ, & alios mandantes, & auctorizantes sepelitionem: qui si compareant, & ab ista monitione, seu censuræ comminatione appellent, non est appellatio admittenda, sed Ordinarius, ea non obstante, procedat ad declaratoriam: quia talis comminatio nullum infert gravamen, ut docet Fagnan. *in cap. super eo il* 2. *num.*50. *de appellat.*

2 At si comparentes à declaratoria appellarent, tunc esset supersedendum à publicatione Cedulonum, præfixo appellantibus termino ad illam prosequendam: Nam licèt à pœna, & sententia legis non possit appellari, ut superiùs diximus, *glos. in c. quia nos* 32. *in fin. de appell.* à declaratoria tamen hominis, qua quis declaratur in censuram incursus, potest appellari, & appellatio venit admittenda, etiam ad effectum suspensivum, quia Judex potuit errare, prout in terminis tradunt Navar. *consil.*9. *num.*5. *de sent. excom. lib.*5. Bonaccin. *de censur. disp.*1. *quæst.*2. *punct.*2. *num.*7. Pasqual. *ad Laurent. de Franc. part.*2. *qu.* 12. *num.*6. Fagnan. *loco cit. d. nu.*50. Donat. *prax. rer. regul. tom.*2. *par.*2. *tract.*10. *de appellat. qu.*28. *num.*3. nisi tamen delictum

3 sepelitionis excommunicati esset adeò notorium, ut nulla tergiversatione celari, & negari posset; tunc enim appellatio à declaratoria interposita non prodesset, nec deberet admitti, ut limitando regulam advertunt Bonac. & alii ab eo allegati *loco mox citato*.

4 Verùm si sepelientes, delictum tumulationis in loco Sacro faterentur: sed ex aliqua causa ab incursu censuræ se excusandos esse prætenderent: tunc eis appellatio suffragaretur quoad suspensionem publicationis censurarum; sed manus liberæ remanerent Judici quoad publicationem faciendam pollutionis Ecclesiæ, quæ per bonam fidem sepelientium non evitatur.

Qui temerè, & scienter sepeliri mandarunt. Quinam dicantur temerè, & præsumptuosè sepelire, ut innodati censura d. Clementinæ judicandi sint, plures sunt sententiæ: una docet solos illos dici sepelientes, & comprehendi sub censura, qui propriis manibus cadaver deponunt intra Sepulturam; sed hæc opinio Clementinam eludit, & exponit ludibrio, quia cùm id possit expleri per unum Vespilionem, cæteri qui ad Cadaver sepeliendum mandatum, & auctoritatem dederunt liberi essent. Alia Sententia tenet, quòd non solùm Parochus, qui levat corpus cum suis Clericis; sed etiam deferentes Crucem, portitores Cadaveris, fodientes tumulum, levantes lapidem, & Consanguinei instantes, ut sepeliatur, dicantur mortuum sepelire: at hæc quoque opinio videtur extrema, quia cooperatores remotè, & dispositivè non nisi valdè impropriè dici possunt sepelientes, licèt sint cooperantes, & auxilium dantes; de quibus Clementina non loquitur, sed de sepelientibus. Tertia sententia distinguit inter cooperantes, & mandantes, & facientes sepelire, & vult, quòd soli mandantes sepeliri, aut qui de facto corpus excommunicati tradunt sepulturæ, sint excommunicati: illi verò, qui solùm comitantur funus, vel cantant, aut deferunt Crucem, vel luminaria, sub dicta Clementina minimè comprehendantur. 5

In prima Sententia resider cum Novar. Bonac. *de censur. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.*3. *num.*8. in Secunda Samuel. *de Sepultur. tract.*2. *disp.*1. *controv.*10. *num.*5. & 9. in tertia Donat. *prax. rer. regular. tom.*3. *tract.*9. *de Sepult. quæst.*39. *num.* 6. & 7. Nicol. *Insubr. can. lib.*5. *tit.*39. *num.*180. §.5. & non displicet Passerin. *de stat. hom. tom.*2. *quæst.*187. *art.*4. *num.*57. & 58. qui illam enucleando *num.* 59. dicit, quòd sub nomine sepelientium, veniunt qui corpus inferunt in Sepulchrum; item illi qui Sepulturam claudunt, vel terra corpus sepultum cooperiunt: item qui ipsam sepelitionem mandant, nimirum Consanguinei, qui jubent defunctum excommunicatum sepeliri: item, qui 6

ali-

aliquo positivo modo immediatè ad actum sepeliendi sua Auctoritate concurrunt, quod facit Parochus assistendo Sepulturæ ex Officio, tanquam habens jurisdictionem aliquam in cadaveris Sepulturam, levando cadaver, & ducendo illud ad Ecclesiam: ex quibus dicendum videtur, quòd tertia sententia verior sit, & in praxi sequenda.

7 Censura autem citatæ Clementinæ incurritur, quando mandantes, & sepelientes scienter excommunicatos, aut nominatim interdictos in Ecclesiis, vel Cæmeteriis sepelliunt; si enim hoc facerent ignoranter, ignorantia etiam aliquo modo culpabili, vel ex gravi metu coacti, essent excusandi, quia d. Clementina ferit audaces, scientes, & præsumptuosos, ut patet ex illis verbis -- *qui propriæ temeritatis audacia, scienter sepelire præsumunt*: quæ arguunt dolum, & temeritatem contrafacientis, ut tradunt Graff. *dec. aur. p.*1. *lib.*1. *cap.*13. *num.*94. Sayr *de censur. lib.*2. *cap.*4. *num.*10. Donat. *d. quæst.*39. *num.*5. Quia autem sunt præsumptuosi, non solùm censuram Clementinæ; sed etiam interdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrunt, vigore, *cap. Episcoporum de privil. in* 6.

8 Porrò sub hac Clementinæ Censura cadunt, & comprehenduntur non tantùm laici, & Clerici Sæculares subditi Diœcesano, sed etiam Regulares, & alii exempti, nullo quoad hoc suffragante Indulto exemptionis, vel quovis alio privilegio sub quacunque forma concesso, ut in eadem Clementina habetur expressè, & fatetur Passerin. *de stat. hom. tom.*2. *d. quæst.*187. *d. art.*4. *num.*53. unde, & hos sepelientes scienter excommunicatum, vel nominatim interdictum in horum Ecclesiis, aut Cæmeteriis, poterit Ordinarius excommunicatos denunciare, ut à Subditis evitentur, ut jam probatum est supra in *Form.*1. §. *quid autem dicendum*, ubi plures auctoritates ad hoc firmandum allegavi, quibus hic addo Nicol. *in flosc. verb. exemptio num.*14. *cas.*7. qui sic ait -- *Unde ad hoc ut evitentur, possunt ab Ordinario denunciari, quando in aliquam excommunicationem inciderunt*, & allegat duo decreta.

9 Quid si defunctus non sit excommunicatus, neque nominatim interdictus: sed tamen fuerit Sepultus in Ecclesia Sæculari, vel Regulari, vigore electionis Sepulturæ in ea factæ ad suggestionem Clericorum Sæcularium, sive Regularium; an inquam tunc sepelientes aliquam censuram incurrant? Respondetur, quòd si defunctus fuit ab uno, vel pluribus ex Clericis Sæcularibus, vel Regularibus promissione inductus ad eligendam Sepulturam in eorum Ecclesiam (secus in alienam) inducentes, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt, non tamen propter actum Sepelitionis, sed inductionis ad electionem Sepulturæ prædictam, ut habetur in *Clementina Cupientes* §. *sanè de pœn.* Ecclesia verò, in qua Cadaver Sepultum fuit, subjacebit Ecclesiastico interdicto, donec facta fuerit Ecclesiæ, in qua de jure sepeliendus erat, Cadaveris, & omnium, quæ occasione Sepulturæ ad eos pervenerunt plenaria restitutio, juxtà dispositionem text. *in cap.*1. *de Sepult. in* 6.

Notandum est tamen, quòd Clerici 10 Sæculares, aut Regulares non afficiuntur his pœnis per simplex consilium, sive adhortationem ad eligendam Sepulturam in eorum Ecclesiis, quia citata jura eos tantùm ligant, qui pacto, voto, aut juramento, seu promissione irrevocabili, ad id inducunt, ut communiter tradunt Samuel. *de Sepult. tract.*1. *disp.*2. *controv.*1. *conclus.*8. *num.*16. & 17. Pasqual. *ad Lauret. de Franch. contr. par.*2. *quæst.*63. *num.*2. Donat. *prax. rer. regular. tom.*3. *tract.*9. *de Sepult. quæst.*27. *num.*3.

Notandum secundò, quòd laici non 11 ligantur censura d. Clementinæ *Cupientes*, etiamsi pacto, vel promissione irrevocabili aliquem inducerent ad Sepulturam eligendam, Samuel *loco citato conclus.* 20. *num.* 46. & 47. Passerin. *in d. cap.*1. *de Sepultur. in* 6. *num.* 3. Medic. *de Sepultur. par.*1. *quæst.*8. *num.* 18. Ricc. *prax. for. Eccles. par.*4. *resol.*294. *num.*32. Et hinc oritur quòd si Episcopus, laicos alicujus Confraternitatis, Statuto, vel Synodo, sub dicta censura comprehenderet, nulliter, & malè ageret, quia cùm electio Sepulturæ taliter facta sit valida, ut probant mox allegatæ auctoritates, & laici

laici de jure nulla pœna propter hoc afficiantur, neque mortaliter peccent, inde sequitur, quòd pœna excommunicationis omnium pœnarum gravissima, & quæ sine lethali culpa non fertur, coerceri non valeant; sed alia arbitrio mitiori, v.g. restitutionis Cadaveris, & omnium, quæ occasione funeris oblata fuere, vel privationis juris cadavera in eorum Ecclesiis sepeliendi.

12 · *Et nullo modo absoluti*. Est enim regula indubitata, quòd Excommunicatus denunciatus: vel publicus, & notorius Clerici percussor, moriens ante absolutionem, obtentam ab eo, qui eùm poterat absolvere vivum, vel saltem à Sacerdote in articulo mortis (quo tempore nulla adest reservatio) etiam si signa pœnitentiæ, & contritionis dederit, in loco sacro sepeliri non potest, text. est clarius in *cap. à nobis* 28. *de sent. excomm.* Bonac. *de censur. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 3. §. 3. *num.* 7. Sayr. *de censur. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 13. Passer. *de stat. hom. loco supra cit. num.* 52.

13 Cavendum propterea est à quorumdam DD. lectura, qui absque modificatione loquentes absolutè asserunt, quòd Excommunicati denunciati, decedentes cum signis contritionis, & pœnitentiæ possint in Ecclesia, & loco sacro sepeliri: id inquam est intelligendum postquàm fuerint post mortem in forma Ecclesiæ consueta absoluti, ut alibi supra in præludio jam dixi §. 4. *vers. absens* ubi formulam expediri solitam à Sac. Penitentiaria ex Fagnano retuli. Signa enim pœnitentiæ requiruntur, ad hoc ut valeat Superior, cui excommunicatio erat reservata, post mortem à vinculo excommunicationis innodatum indirectè absolvere, quem aliàs sine pœnitentiæ signis non absolveret *cap. sacris* 38. *de sent. excomm.* quæ absolutio necessaria est, ut in loco sacro excommunicatus sepeliatur, pro eo oretur, & suffragia celebrentur, ut docent Sayr. *de censur. lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 17. Barbos. *in d. cap. à nobis num.* 7. *de sent. excomm.* Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 178. *in fin.* Donat. *tom.* 3. *tract.* 9. *quæst.* 41. *num.* 2.

14 Et hoc quidem procedit, & verùm est etiamsi excommunicatus in articulo mortis constitutus, ob defectum Sacerdotis, fuisset à simplici Clerico, vel laico (qui talem facultatem non habent) à censura absolutus, ut advertunt Graff. *decis. aur. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 89. Passerin. *de stat. hom. tom.* 2. *art.* 1. *quæst.* 187. *num.* 511. quidquid nimis laxè sentiat Samuel. *de Sepult. tract.* 2. *disp.* 1. *contr.* 9. *num.* 17. & 18.

Signa autem pœnitentiæ, & contritionis sunt, detestatio saltem verbalis delicti, & elevatio manuum, & oculorum ad Cœlum, vocatio Confessoris, tunsio pectoris, invocatio nominis Jesu, B.M.Virginis, & Sanctorum, osculatio rei sacræ, & similia indicantia emendationem; Fagnan. *d.c. à nobis nu.* 13. *de sentent. excomm.* Passer. *de stat. homin. d. tom.* 2. *d. quæst.* 187. *d. art.* 4. *num.* 113. quæ signa ad effectum obtinendæ absolutionis post mortem, unico teste probari, dicunt Medic. *de Sepult. part.* 1. *quæst.* 11. *num.* 31. Pirhing. *loco supra citato d. nu.* 178. *in fin.* Graff. *consil.* 7. *num.* 6. *de sent ent. excomm. par.* 1. 15

Quòd si ante obtentam absolutionem sepultum fuerit in loco sacro corpus excommunicati vitandi, qui vivens dedit signa pœnitentiæ, obtenta facultate illud absolvendi, non est necesse, quòd exhumetur, sed poterit absolvi & sic sepultum relinqui: interim tamen dum non absolvitur, nec locus pollutus reconciliatur, non possunt ibidem: nec divina officia celebrari, nec alia corpora sepeliri unde si non possit defunctus excommunicatus statim absolvi, vel debebit exhumari, vel relinqui locus, ut violatus, quod ultimum non est faciendum; non enim debet populus remanere privatus divinis officiis & Ecclesiastica Sepultura ob culpam, alterius, ut dicit Pafferin. *de stat. hom. loco supra citato d. num.* 52. *circa fin.* si verò corpus excommunicati ab aliis corporibus discerni, & separari non posset, erit tunc saltem locus sacer reconciliandus, ut tradunt Sayr. *de censur. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 11. Franc. *de Eccles. cathedr. cap.* 26. *num.* 175. 16

Ad occurrendum igitur ejusmodi casibus in Diœcesi contingibilibus, debebit Episcopus in Synodo, saltem pro locis, qui nimiùm distant à Civitate facul- 17

culiatem concedere Vicariis foraneis, ut possint excommunicatos denunciatos jure ordinario, & in casibus Sedi Apostolicæ non reservatis, decedentes antequam fuerint in vita absoluti, absolvere post mortem in forma Ecclesiæ consueta, dummodo ante obitum dederint signa pœnitentiæ, & Ecclesias non consecratas pollutas, juxta formam in Rituali præscriptam (si Sacerdotes sint) reconciliare.

18 *Donec satisfactionem exhibuerint competentem*. Sepelientes scienter excommunicatum in loco sacro, nequeunt ab incursa excommunicatione absolvi, nisi satisfactionem arbitrio rationabili Episcopi exhibuerint competentem, ut habetur expresse in citata *Clem.*1. *de Sepult.* ibique *glos. in verf. eis quibus*, Bonac. *de censur. disp.*2. *quæst.*2. *punct.* 3. §.3. *num.* 8. Barbos. *in d. cap.*1. *de Sepultur. num.*

19 1. Defunctus verò excommunicatus, si ante obitum signa pœnitentiæ, & contritionis dederit, & ideò sit absolvendus, illius hæres quàmvis laicus tenetur & compellitur satisfacere injuriam passo etiamsi nihil ad eum pervenirtet de bonis defuncti, secundùm expositionem text. in *d. cap. à nobis il* 2. *de sentent. excomm.* quam veram dicit Fagnan. *ibid. num.* 34. ubi quòd hoc est singulariter notandum: & licèt Passerin. *loco citato d. num.* 52. videatur sentire, quòd hæres teneatur ex delicto defuncti pro viribus hæreditatis, Fagnanus respondit, quòd hæc regula vera est, & locum habet, quando defunctus excommunicatus ante obitum signa contritionis non dedit, juxta sensum, & litteram alterius *text. in cap. ultimo de Sepultur.* & regulariter defunctus non absolvitur, nisi per hæredem satisfacta parte, vel nisi præstito juramento de parendo mandatis Ecclesiæ, Pignatell. *consult.* 59. *num.*44. *tom.*2. qui plura Decreta refert.

20 *Dictam Ecclesiam N. esse pollutam* Ecclesiam, sive Cœmeterium, per sepelitionem excommunicati vitandi pollui, nemo dubitat, *cap. consuluisti de consecr. Eccles.* Pac. Jord. *Elucubr. tom.*1. *lib.*5. *tit.*12. *num.*123. & concordantes passim & ideò antequam reconcilientur, nec officia divina cantari, nec fidelium corpora sepeliri in eis posset, pariter absolutum est, dummodo pollutio Ecclesiæ non maneat occulta: Pac. Jord. *elucubr. tom.* 1. *lib.*5. *tit.*12. *num.* 149. Sayr. & alii ab eo allegati *de cens. lib.*2. *cap.*4. *num.* 11. & 12. Reconciliatio autem, prout dixi *par.*1. *tit.*6. *ad form.*10. *num.* 26. si Ecclesia polluta sit consecrata, fieri non potest nisi ab Episcopo Ordinario, vel ab alio Episcopo de ejus licentia; si verò sit tantùm benedicta, poterit per delegationem Episcopi à quocumque Sacerdote aspersione aquæ lustralis, & Orationibus in Rituali præscriptis reconciliari, ut 21
probant DD. ibi allegati, quibus hìc addo Graff. *consil. lib.*3. *de consecr. Eccles. cons.* 2. *num.*15. Ventrigl. *in prax. par.*2. *annot.* 17. §.2. *num.* 25. ubi *num.* 26. firmat, quòd Prælati Regulares suas Ecclesias quocumque modo violatas, sive pollutas, possint reconciliare aqua priùs per Episcopum benedicta, & si Episcopus distet à loco per duas dietas, valeant ipsimet aquam benedicere, vigore privilegiorum concessorum à Julio II. & Leone X. de quibus mentionem facit Tamb. *de jur. Abbat. tom.*1. *disp.*23. *quæst.*10. *num.* 3. & 4. Pac. Jord. *elucubr. tom.*1. *lib.* 5. *tit.*12. *num.* 164. ubi quòd hoc privilegium fuit à Leone X. concessum Minoribus.

Hæc autem Ecclesiæ reconciliatio, debet fieri expensis illius, qui eamdem violavit, si sciatur quis sit, & solvendo sit: 22
si verò ignoretur, vel non sit solvendo, tunc recurrendum est ad consuetudinem, vel statutum loci, sive Ecclesiæ: quibus deficientibus, si Ecclesia esset curata in Rectorem, seu Parochum hoc onus rejicitur: vel si ipse pauper sit, in Parochianos, ac denique in defectum omnium prædictorum, ipse Episcopus suis sumptibus, Ecclesiam reconciliare debet, Barb. *in cap. aqua num.* 2. *vers. reconciliatio de consecr. Eccles.* quem sequitur Pirhing. *in jus can. lib.*3. *tit.*40. *num.*20. *in fin.*

Prætereà notandum, quòd licèt nonnulli DD. quos refert Barbos. *de offic. & potest. Episcop. alleg.*28. *num.* 60. voluerint, quòd si Episcopus longè distet, & non possit statim accedere ad reconciliandam Ecclesiam consecratam pollutam, valeat concedere facultatem, ut 23

in ea

in ea ante reconciliationem celebrentur Divina officia : hæc tamen opinio in praxi servanda non est, sed per Episcopum urgente aliqua justa causa alio modo erit providendum , v. g. concedendo facultatem, ut celebrentur Missæ in loco decenti non sacro super altare portatile, D.Thom. *in sum. par.*3. *quæst.*83. *art.*3. *ad* 2. vel in privatis Oratoriis, & aliis locis institutis ad Divina celebranda, ut monent Barbosa *allegat.*28. *num.* 62. Gavant. *in manual. Episc. verb. Ecclesia reconciliatio num.*9. Pac.Jord. *loco supra citato num.*152.

24 Notandum secundò , quòd si defunctus sepultus in Ecclesia, non esset excommunicatus , sed nominatim interdictus , quamquam in loco sacro sepeliri non potuerit, & sepelientes excommunicationem d. Clementinæ incurrerint: adhuc tamen ibi sepultus non facit locum pollutum , cùm hoc non sit jure expressum , ut advertunt Sayr. *de censur. lib.*5. *cap.*16. *num.* 22. *circa fin.* Pithing. *in jus can. lib.*3. *tit.*40. *num.*13. *circa fin.* & sic tali casu Ecclesia nulla reconciliatione indiget.

25 Notandum tertiò , quòd extraneus , qui hujusmodi criminis non est particeps , si missam celebret , aut alia divina officia peragat, vel corpora defunctorum sepeliat in Ecclesia publicè violata , quamvis mortaliter peccet (nisi urgente necessitate faceret de licentia Episcopi,) irregularis tamen , aut suspensus non efficitur , quia violatio Ecclesiæ non est propriè censura, ut de veriori Sententia tenent, Sayr. *de censur. lib.*2. *cap.*4. *num.*12. *ver. qui verò*, & *lib.*5. *cap.*16. *num.*29. Pac.Jord. *d. tom.*1. *lib.*5. *tit.*12. *num.*141. & 142.

De excommunicatione contenta in cap. de licto de sentent. excommunic. in 6.

Frequenter contigit , quòd volentes Episcopi visitare loca exempta suæ Diœcesis , vel quia sunt in possessione visitandi, vel quia loca sunt jure delegato Concilii, vel alio legitimo titulo, quò ad hoc ordinariis subjecta : adhuc nolunt exempti, visitationem recipere, neque Episcopum ad visitandum admittere : ideoque in actu visitationis sese opponunt , & etiam violenter resistunt . Unde Episcopi ad tuendam propriam jurisdictionem , possunt renuentes statim , & de facto absque monitione excommunicare, tanquam pars, & Executor officii, non tanquam Judex, quæ excommunicatio erit registranda per Notarium assumptum in Actis Visitationis , & posteà publicanda modo sequenti.

Decreti Excommunicationis.

FORMULA. XXXIX.

DIE .·. mensis .·. anni .·. Cùm Illustrissimus, & Reverendissimus D. Episcopus N. exerceret suam jurisdictionem visitando, N. & N. ausi fuerunt de facto resistere , sibique volenti Ecclesiam N. ingredi , & visitare, sese opposuerunt: quare ipse Reverendissimus Episcopus in ipso actu manifestæ violentiæ sibi illatæ , pro defensione suorum jurium , *vim vi repellendo*, ipsos prænominatos N. & N. excommunicavit, & contra eos mandavit Cedulones affigi , *prout ex actis visitationis* .

Ita est N. Visitationis Actuarius rog.

SI denunciano, e dichiarano per tanto scommunicati di scommunica maggiore li sopradetti N.& N. per essersi opposti con violenza a Monsignor Vescovo nell'atto che voleva visitare la Chiesa, (ò Monastero) N. & hanno impedito, che la visita non si faccia, acciochè da tutti siano evitati &c.

Lo stesso N. Attuario della Visita.

Luogo del ✠ Sigillo.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus, qui per modum defensionis & tanquam pars, utitur jure suo, potest injuriam censura propulsare absque monitione.*

2 *Visitator, si sibi impediatur aditus ad visitandum, non debet frangere Portas Ecclesiæ, sed uti gladio spirituali.*

3 *Patentati S. Officii, in his, quæ concernunt disciplinam Ecclesiasticam subjiciuntur Ordinario Visitatori.*

4 *Moniales exemptæ impedientes Visitationem, quomodo censuris sint coercenda, ostenditur.*

5 *Visitator excedens visitando terminos suæ facultatis, justè repellitur.*

6 *Actuario Visitationis, plenè creditur in his, quæ pertinent ad visitationem, & num.7.*

8 *Visitator antequam incipiat visitare, debet deputare Actuarium cum facultate Notarii publici.*

ADNOTATIONES.

1 VIM VI REPELLENDO. Hoc dicitur in Formula, ad demonstrandum, quòd Episcopus in ferenda hac censura, non debet assumere partes Judicis, sed adversùs potentiam, & violentiam renuentium visitationem, eodem tempore, quo repellitur, gladio ecclesiastico, debet tanquam pars extrajudicialiter injuriam propulsare, ut habetur in hoc *cap. dilecto de sentent. excomm. in 6.* & agendo sic, non astringitur ad juris ordinem servandum: imò hoc pacto se reum constituit, & adversarios actores facit, quos oportet conqueri de injusta excommunicatione; quæ tamen absque ulla monitione valida, & justa est, ut communiter docent, Barbos. *in d. c. delicto nu. 5. & seqq.* & supra Concil. *sess. 25. cap. 11. num. 17. de regular.* Genuen. *in prax. cap. mihi 18. num. 2.* ubi dat formulam Decreti scribendam à Notario, Ciarlin. *controv. lib. 1. cap. 65. num. 12.* Tamb. *de jur. Abbatiss. disp. 17. quæst. 3. num. 4.* Fagnan. *in c. procurationes de cens. à num. 29. ad 35. & per tot.* ubi quòd ex hac verissima conclusione oritur limitatio, & patet responsio ad jura quæ dicunt, sententiam excommunicationis ferendam non esse sine causæ cognitione, & monitione, ut *c. nemo 2. quæst. 1. c. sacro de sent. excomm. & cap. 1. eod. tit. in 6.* quoniam vindicant sibi locum, quando Episcopus procedit ut Judex, non autem quando procedit ut pars, & tanquam ille, qui utitur jure suo tanquam per speciem defensionis, ut hoc casu, tunc enim sine causæ cognitione, & monitione, tenet excommunicatio, Card. de Luc. *Miscellan. disc. 15. num. 9. ver. ult.* Graff. *decis. aur. par. 2. in Appendic. l. 3. cap. 1. num. 42.*

Et quamvis Barbos. *supra Concil. loco citato num. 16. & de jur. Eccles. lib. 1. cap. 43. num. 139.* Ciarl. *d. cap. 65. num. 11.* Tamb. *d. quæst. 3. num. 4.* & Ventrigl. *in prax. par. 1. annot. 58. §. unico num. 88.* velint, quòd renuentibus Regularibus, vel aliis exemptis visitationem, & claudentibus ostium Ecclesiæ vel Monasterii, liceat Episcopo vim inferre, & ostium frangere, mihi tamen magis placet in praxi sententia Graffii *decis. aur. par. 2. lib. 3. cap. 27. num. 59.* ubi sic ait -- *Visitator non debet frangere portas Ecclesiarum si sibi denegetur aditus ad faciendam visitationem, ita Innoc. in d. cap. 1. de immun. Eccles. quia bona Ecclesiarum sunt Sancta Sanctorum, & Domino consecrata &c. & sic qui violentiam facit, sacrilegium committit* 2

12.

12. quaest. 2. cap. nulli liceat, &c. quicunque, sed potest uti gladio spirituali, idest excommunicatione, vel interdicto, facit text. in cap. dilecto de sent. excomm. in 6. & ita defendere suam possessionem, hoc est visitationem ita not. per Innoc. & Host. in cap. venerabili de cens. &c.

3 Prædicto autem gladio spirituali poterit Episcopus Visitator uti, etiam contra patentatos Tribunalis S. Officii, qui in his, quæ concernunt disciplinam Ecclesiasticam, & morum correctionem non sunt exempti, sed possunt, & debent visitari, prout *S. Congreg. sub die 16. Januarii 1672.* rescripsit Episcopo Melitens. his verbis: *Ha risoluto questa S. Congregatione del S. Officio, che in occasione della Visita, e quanto alla disciplina Ecclesiastica, e costumi, possa V. S. correggere, e punire i Chierici patentati di questo S. Officio secondo la forma del S. Concilio di Trento*: quam resolutionem refert D. Raynald: *observ. crim. supplem. ad cap. 1. supplem. 3. num. 127.*

4 Si autem ageretur de visitatione Monasterii Monialium exempti; vigore *Clementinæ Attendentes de stat. Monac.* quodammodo innovatæ à Concilio Trid. *sess. 25. de regul. cap. 9.* & Visitator oppositionem inveniret, non esset statim ad censuras procedendum: sed priùs opponentes, & impedientes essent monendi, saltem per diem antè, ad desistendum ab illato impedimento, quòd si nollent resipiscere, tunc ipso jure excommunicationem in *d. Clementina* contentam incurrerent, & Episcopus Visitator, posse impedientes, & opponentes sic innodatos publicè denunciare, absque alia sententia, *Glos. in d. Clem. verb. impedire, & verb. ipso facto* Barbos. *ibid. num. 6.*

5 Verumtamen si Moniales exemptæ accersitis Notario, & testibus protestarentur, se esse paratas, & promptas Visitatorem cùm debito numero, & qualitate personarum recipere, & per se non stare, quo minus illum canonico modo admittant; & nihilominùs Visitator numerum superfluum personarum, vel qualitates à Clementina requisitas non habentium secum ducere, & introducere in Clausuram vellet, tunc oppositio esset juridica nec posset Visitator impedientes justè censura percellere, *cap. ut juxta de offic. ordin. d. Clem. Attendentes §. ipsos juncta glos. in verb. viris aliis*: imò potiùs ipse Visitator fines suæ facultatis excederet, Graff. *decis. aur. par. 2. lib. 3. cap. 17. num. 60.* & ad interesse teneretur, si ita impedientes excommunicaret Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 31. num. 12. vers. addit. glosa.*

Prout ex actis visitationis. Notarius, sivè Actuarius visitationis testatur de oppositione, & excommunicatione respectivè, tanquam de re pertinente ad suum officium: nam Episcopus, neque ejus Vicarius non debet in aliquo se ingerere: quia per quemcumque actum judicialem, quem faceret, videretur recessisse à via procedendi ut pars: liber autem seu acta visitationis, ab eodem Notario, seu Actuario conscripta, & in Cancellaria Episcopali retenta plenam inducunt probationem de contentis in illis: ideòque ratione officii publici, ejus attestationi standum est, ut in terminis probat Ricc. *prax. rer. for. Eccles. part. 1. resolut. 545. per tot.* cùm certum sit, quòd Episcopus sententiam excommunicationis à se latam, per Notarium, aut Scribam valeat promulgare, Sayr. *de censur. lib. 1. cap. 13. num. 4.* 6

Cautè autem Episcopus Visitator agendo, debet antequàm ad visitandum accedat, scripto præmonere visitandos, ut pareant se certa die ad recipiendam visitationem, nec non deputare visitationis Officiales, & præsertim Actuarium cum facultate Notarii publici, dato per eum in actis juramento de fideliter officium exercendo, ne unquam de illius deputatione, & fide sit dubitandum. 7

8

De excommunicatione contenta in Constit. Greg. XIII. Dubiis, Bullar. tom. 2. pag. 394.

Hæc Gregorii Constitutio, fuit à me per extensum data *in par. 1. in Appendic. pag. 283.* cujus dispositione videtur, jam dictis hìc aliqua addere pro illius vera intelligentia, abusus præveniendo non piget, nec te addita fortè legisse pigebit.

Dico igitur, quòd si Episcopus in primor-

mordio sui gubernii, & in Syndicatu Vicarii Capitularis inveniret certitudine facti, illum absque necessitate pluries ingressum fuisse Clausuram Monasteriorum Monialium, vel in eam numerum excessivum personarum, etiam laicarum introduxisse, poterit si sibi pro exemplo futurorum Vicariorum Capitularium, pro correctione delinquentis expedire videatur, declarare eum incidisse in excommunicationem contentam in d.Bulla, modo sequenti.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XL.

V*Isis actis Syndicatus* R.D.N. Vicarii Generalis Capituli proximæ præteritæ Sedis vacantis hujus nostræ Cathedralis Ecclesiæ, ex quibus satis constat (*præter alios notabiles defectus* sui regiminis) ipsum Vicarii Capituli munere fungentem, abutendo facultate *sibi ratione officii à jure tributa* per tres vices absque necessitate, *& etiam à laicis juvenibus associatus*, contra expressam prohibitionem Bullæ Greg. XIII. quæ incipit *Dubiis*, in Clausuram Monasteriorum Monialium hujus Civitatis, nempè S.N.& S.N. ingressum fuisse: *visa monitione* contra eum exequuta, dicimus, & declaramus prænominatum N. *incurrisse excommunicationem* contentam in d.Bulla, & tanquam excommunicatum, esse publicè denunciandum, prout nos contra eum Cedulones relaxantes, denunciari volumus, & mandamus, &c.

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Vicarius generalis Capituli, tenetur stare Syndicatui.*

2 *Episcopus novus, omittens Syndicatum contra Vicarium Capituli, peccat mortaliter.*

3 *Vicarii Capitulares, sæpè abutuntur jurisdictione.*

4 *Quænam sint crimina, quæ cadunt sub Syndicatu Vicarii Capituli ostenditur, & num.*5. *&* 6.

7 *Quæ possit facere Vicarius Capituli suo jure ordinario ostenditur, & n.* 8. 9. 10. *&* 11.

12 *Prælati non possunt ingredi Clausuram Monialium, nisi occurrente necessitate, & à paucis, & Ecclesiasticis Viris associati, non autem à laicis, num.*13. *&* 14.

15 *Prælati visitantes septa Monialium, non possunt, nec debent secum ducere plusquam octo personas, & n.*16.

17 *Vicarius Capituli, si est Bullæ Gregor. XIII. transgressor, an & quando à censuris sibi comminatis ab Episcopo appellet, ostenditur.*

18 *Vicarii Capitulares visitantes septa Monialium, & non servantes Bullam Greg.XIII.censuras in ea comminatas incurrunt, & vindicatur conclusio ab objectis num.* 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. *&* 30.

31 *Vicarius Capituli Bulla Gregor. XIII. transgressor, absolvitur ab Episcopo.*

Denun-

Denunciationis.

FORMULA XLI.

HIC auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus, N. Vicarius Generalis Capituli proximæ præteritæ Sedis vacantis ex eo, quia contra prohibitionem expressam Constitutionum Apostolicarum, sine necessitate, & forma sibi in eis præscripta non servata, abutendo auctoritate officii ausus fuit pluries ingredi in clausuram Monasteriorum Monialium hujus Civitatis. Ut igitur ab omnibus evitetur, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli. *N. Actuarius.*

VEL

CON autorità ordinaria si denuncia, e dichiara scommunicato di scommunica maggiore N. Vicario Capitulare della prossima passata Sede Vacante, perche contro la prohibitione espressa dalle Constitutioni Apostoliche, senza necessità, e giusta causa, e senza osservanza della forma al suo officio prescritta, abusandosi dell' autorità della carica, & entrato più volte nella Clausura do Monasteri di Monache. Acciochè dunque sia da tutti evitato, &c.

N. Vescovo N.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 VISIS ACTIS SYNDICATUS. Ex actibus enim Syndicatus, si Vicarius defecerit, remanebit instructus processus, ex quo Episcopus poterit illum censura punire, tenetur etenim Vicarius Capituli stare Syndicatui, & reddere rationem novo Episcopo Successori suæ administrationis; qui successor, si eum alicujus criminis reum inveniat, auctoritate tributa à *Concilio Trid. cap. 16. sess. 24. de reform.* punit, ut communiter tradunt Piasec. *in prax. par. 2. cap. 4. art. 1. de person. Judic. num. 16. ver. similiter*, Pac. Jord. *elucubr. tom. 2. lib. 12. tit. 2. num. 43.* ubi resolutionem Sac. Congr. Concilii refert Gallemart. *collect. in Concil. d. c. 16. num. 4.* Pirhing. *in jus can. l. 1. tit. 28. num. 79. ver. porrò.*

2 Hunc autem Syndicatum Episcopus facere non omittat, nec reputet hanc omissionem esse levem: quia *Concilium Trid. d. c. 16. sess. 24.* non consulit, aut hortatur Episcopum, ut recipiat rationem administrationis officii à Vicario, & aliis Officialibus Capituli, sed ei præcipit, & imperat illis verbis *rationem exigat*, & per consequens Episcopus scienter, omittens id facere contra præceptum Concilii non est immunis à culpa mortali, per text. satis clarum *in cap. nulli fas 19. dist.* & ex aliis juribus ad hoc probandum adductis à Fagnan. *in cap. quoniam num. 22. de constit. & in cap. à crapula num. 21. de vit. & honest. cleric.*

Idque optima ratione à Concilio ordinatum fuit, quia inde non parva proveniunt bona; hoc enim timore perterriti Vicarii Capituli, æquiùs officio fun-

guntur suo; at dum vident syndicatui subjici non debere, sæpè aliqui fortè prævaricatores fiunt, justitiam passionibus ducti subvertunt, disciplinam enervant, & omnia gratia, vel prætio pro arbitratu gerunt.

4 *Præter alios notabiles defectus*. Per hanc Formulæ expressionem datur intelligi, quòd si Vicarius Capituli gravaretur in Syndicatu de aliis criminibus ad Officium spectantibus magis contra eum urgeret præsumptio malæ fidei ingressus in Clausuram Monialium, adeò ut rigidiùs mereretur plecti, v. g. si constaret Decreta, rescripta, licentias per gratiam vel Sordes concessisse: mulctas pecuniarias, reis pro delictis inflictas: locis piis ad formam Concilii non applicasse: Ludos, & illicita à Sac. canonibus prohibita Clericis explicitè concessisse, & non prohibuisse: Clausuram Monialium custodire non procurasse, & neglexisse: distributiones quotidianas, cùm esset Canonicus, quàmvis Choro non interfue-
5 rit, percepisse: (nam illas non lucratur, nisi choro intersit, ut reprobato Garc. *de benef. par.* 3. *cap.* 2. *num.* 359. firmat Monet. *de distrib. par.* 2. *quæst.* 11. *num.* 83. *& plurib. seqq.*) loca Diœcesis ante lapsum anni à postrema Episcopi defuncti visitatione, visitasse, & procurationem exi-
6 gisse, (visitare enim non potest, nisi post lapsum anni à die ultimæ visitationis, Barbos. *de canonic. cap.* 42. *num.* 70. *&* 71.) alienationi bonorum Capituli, vel Ecclesiarum contra formam juris, assensum præstasse: Ecclesias Parochiales Pastore viduatas, de Æconomo, seu V. Curato non providisse. Hæc enim cadunt sub sindicatu.

7 Non posset tamen, neque deberet Sindicari 1. de facultate data absolvendi à casibus Episcopo reservatis 2. de absolutione excommunicationis incursæ ob levem percussionem Clerici 3. de translatione Beneficiorum simplicium ab Ecclesiis collapsis 4. de reservatione jurispatronatus, in fundatione Beneficii, vel Ecclesiæ 5. de licentia data pro fundatione novi Conventus 6. de dispensatione concessa interstitiorum 7. de Decretis interpositis pro alienatione bonorum Ecclesiæ ad formam *cap. terrulas* 11. *quæst.* 2. 8. De dispensatione denunciationum pro matrimonio contrahendo, nam hæc jure ordinario dare, & concedere potest Vicarius Capituli.

De prima docet Graff. *decis. aur. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 23. & adest declaratio *Sac. Congr. Conc.* 3. *Decembr.* 1632. quam refert Barb. *decis. Apost. collect.* 717. *num.* 5. De secunda idem Graff. *consil.* 8. *num.* 20. *lib.* 5. *part.* 2. *de sent. excomm.* Fagnan. *in cap. pervenit nu.* 16. *ver. similiter de sent. excom.* De tertia idem Fagnan. *in c. his quæ num.* 56. *de majorit. & obed.* De quarta, Barb. *alleg.* 70. *num.* 32. & est hodie indubitatum, quia cùm non possit Capitulum (resistentibus Decretis Sac. Congregat.) facultatem Vicario restringere, & sibi aliqua specialia reservare, sed plenam jurisdictionem in eum transferre teneatur, prout à me ostensum fuit *par.* 1. *tit.* 1. *ad for.* 2. hæc facultas specialiter tributa censetur, Ventrigl. *in prax. par.* 2. *annot.* 15. *num.* 61. Amostaz. *de caus. piis tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 35. *&* 37. De quinta licèt DD. inter se pugnent, & plures innixi Decreto *Sacr. Congreg. Concilii* quòd refert Barbos. *decis. Apost. d. collect.* 717. *num.* 17. teneant, quòd Vicarius Capituli hanc licentiam concedere non possit, prout sunt, Donat. *prax. rer. regul. tom.* 2. *par.* 2. *tract.* 1. *de monast. ædific. quæst.* 18. *num.* 2. Laurer. de Franch. *contr. par.* 1. *num.* 506. Card. de Luc. *disc.* 29. *num.* 17. nihilominus contraria sententia, quæ sustinet Vicarium Capituli posse illam concedere (servatis tamen, & concurrentibus requisitis Constitutionum Apostolicarum Clem. VIII. & Gregorii XV. verior est, quia hæc facultas competit Episcopis de jure communi, ut patet ex *cap. quidam, &c. de Monachis* 18. *quæst.* 2. & perconsequens cùm sit actus jurisdictionis ordinariæ transit in Capitulum, & hanc amplectuntur Fagnan. *in cap. non amplius num.* 70. *de instit.* Pignat. *consult.* 179. *num.* 46. *tom.* 1. Passer. *in cap. cum ex eo de de excess. prælat. in* 6. *nu.* 23. *in fin.* qui testatur ita fuisse decisum à *Sacr. Congreg. Episcop. & Regular.* Verùm est tamen, quòd cùm sit res ardua, & requirat specialem industriam, laudabilius est, quòd abstineat.

De sexta nec minùs dubitatur, quia 9
facul-

facultas dispensandi ordinandos ab interstitio, tanquam jurisdictionis ordinariæ, transit in Capitulum, sivè in ejus Vicarium, prout declarasse *Sacr. Congreg. Concilii in Asloricen.* 21. *Aprilis* 1595. refert Gallemart. *collect. in Concil. Trid. sess.*23.*cap.*11.*num.*1. & tradunt Biss.*hierur. lit.I.num.*199.§.5.& alii, quos citavi *p.*1. *tit.*1. *ad form.*2. *num.*26. Et quamquam non ignorem, Marchett. *in prax. Vicar. capit. par.*2.*tit.*14.*num.*19. tenere, quòd Vicarius Capituli si habeat facultatem à Sacr. Congregatione concedendi intrà annum dimissorias, non possit dispensare ordinandum ab interstitio; adhuc firmiter dico, affirmoque, quòd in hoc Marchett. fallitur, quia Concilium nunquam prohibuit, neque abstulit Capitulo, Sede vacante, facultatem dispensandi ordinandos ab interstitiis, sed tantùm dimissorias intrà annum non arctatis inhibuit; undè ablato per licentiam isto obstaculo, dispensatio ab interstitiis remanet, sicut priùs in facultate Vicarii, nec indiget Superioris dispensatione. Quarant.*in sum. bullar. verb. Capitulum Sede vacante vers.decimo quæro* §. *Et refertur*.

10 De septima non ambigitur: nam Vicarius Capituli potest interponere Decretum pro alienatione bonorum Ecclesiarum servata dispositione *c. terrulas* 11. *quæst.* 2. *glos. in clem.unica verbo conferantur de rer. permut.* Quarant. *in sum. bullar. verb. Capitulum Sede vacante n.*1. *ver.sexto quæro* Pac. Jordan. *elucubr. tom.* 2.*lib.*12.*tit.*2. *de Vic.cap.num.*23.Ventrigl. *in prax. par.* 2. *annot.* 15. §.1. *num.* 27. non tamen si bona, quæ servari possunt, essent mensæ Episcopalis sivè Episcopatus, quia hæc alienari non possunt sine licentia Papæ, ut dicit Zecch. *de republic. Eccles.de Capitulo, & Canonic. cap.* 24. *num.*11. *vers. Decimo nil potest*.

De octava Pac.Jord.*elucubr.tom.*1. *lib.*3. *tit.*7.*num.*10.

11 *Sibi ratione officii à jure tributa.* Potest enim Vicarius Capituli jure suo ordinario visitare septa monialium Episcopo subjectarum in temporalibus, & spiritualibus; Monasteria verò Sedi Apostolicè immediatè subjecta, & quæ perpetuò Episcopali muneri sunt commissa, & delegata juxtà *cap.* 9. *Concilii Trid.sess.*25. *de regular.* spiritualiter tantùm, Barbos.*de Canonic.& dignit. cap.*42. *num.*71.*&* 107. Ventrigl.*in prax. p.*2. *annot.*15. §.1. *num.*19.

Et etiam à laicis juvenibus associatus. Prælati, & alii Superiores, Clausuram Monialium ingredi non possunt sine aliqua necessitate, qua occurrente, debent esse associati paucis, gravibus, ætate maturis, & Ecclesiasticis personis, ut citata *Bulla Gregorii XIII.* disponit, & est etiam expressum in jure, ut *in cap. ut juxta de offic. ordin. & in Clementina attendentes de stat. Monach.* §. *Ipsos autem*, *& ibi glos.* & declaratum *à Sac. Congreg. Episcop. & Regular. in Gallipolitan.* 22. *Maji* 1615. his verbis -- *Congreg. decrevit Episcopum, non nisi in necessitatis articulo, & gravibus, maturaque ætatis Ecclesiasticis personis associatus Monasteriorum Monialium septa ingredi posse*, & eadem repetit Gavant. *in manual. Episcop. verb. monialium clausura num.*46. ubi ait -- *quibus cura est Monialium, non possunt ingredi, nisi in casibus necessariis, cum paucis Senioribus, ac Religiosis viris*. 12

Ex quibus planum fit, quòd si Vicarius Capituli in ingressu clausuræ etiam in casu necessario, secum introduxisset laicos, & præsertim juvenes (prout in Formula supponitur) Constitutionis Gregorii ex hoc capite diceretur transgressor, quia licèt DD.nostri antiquiores dubitaverint, an laici possent, necnè, in visitatione Monasterii Monialium introduci, ex eo, quia citata Clementina *Attendentes*, loquitur simpliciter, *de aliis Viris honestis, & maturis*, & non distinguit, an debeant esse Clerici, vel laici, hodiè tamen dubitationem sustulit, tam ipsa Constitutio Gregorii, quàm citatum Decretum Congregationis, in quibus prohibetur, quòd laici non introducantur, quod & ita observari debere, eadem Congreg. mandavit in *Tarvisina* 20. *Novembr.* 1601. quæ habetur in originali regestro *fol.*105. etiamsi essent Officiales, seu Santesii ejusdem Monasterii, ut in *Genuen.* 16. *Januarii* 1607. *in regestro fol.* 2. *&* 3. *& in Lucana* 22. *Jan.* 1616. *fol.* 15. quæ 13

De-

Decreta prout hic jacent refert teſtis fidelis Fagnan. *in d. cap. juxta num.* 23. *de offic. ordin.*

14 Quæ Decreta intelligenda ſunt de illis laicis, qui à prælatis, & Viſitatoribus introducuntur ex levitate, & abſque ullo juſto motivo, v. g. quia ſunt Viſitatoris, aut alicujus Monialis conſanguinei, & videre curioſi, vel nullam præſtant, nec præſtare valent Viſitatori in re, quam gerit, operam. Cæterùm ſi Prælatus Viſitator occaſione ingreſſus indiget in faciem loci ad ſuccurrendum neceſſitati, vel promovendam utilitatem monaſterii, conſilio, & auxilio alicujus Periti laici, utique unum, aut plures ſecum ducere poterit, quia tunc laicus, non tanquam comes, & ſocius ingreditur, ſed tanquam peritus neceſſarius, prout deducitur ex alia ejuſdem Congregationis reſolutione emanata 18. *Febr.* 1593. quam refert, & originaliter in Archivio Traguriem. ſervari teſtatur Pac. Jord. *elucubrat. to.* 2. *lib.* 7. *tit.* 12. *num.* 103. in qua ſic habetur. *Nel viſitare i Monaſterii delle Monache entrino con V. S. ò ſuo Vicario ſolamente perſone Religioſe, & honeſte ſecondo la Bolla di Pio V. e non v'entri alcun laico, ſe non quando l'Ordinario lo giudicaſſe neceſſario per alcun giuſto riſpetto.*

15 Dubium igitur ſolùm oritur circa numerum perſonarum qualitates requiſitas habentium, quas Prælati, & alii Viſitatores Ordinarii, & delegati, poſſunt ſecum ducere in clauſuram, cùm Bulla Gregorii numerum non determinet, hoc dubium movet, & reſolvit Fagnan. *loco mox citato num.* 3. ſic -- *Pondera primò, nam in declaratoria Gregorii non determinatur numerus perſonarum, quas Prælati poſſunt ſecum ducere intra ſepta Monaſterii Monialium, determinatur tamen in præcitata Clementina attendentes de ſtat. monach. à qua Conſtitutio Gregorii recipit interpretationem paſſivam, juxta text. in l. 2. cod. de noxal. unde ſi Viſitatores introduceret plures, quàm octo ibi* (ideſt in Clementina) *præfinitas, utique pœnas conſtitutionis non evaderent, & hoc planum.*

16 Nam ut ipſe Fagnan. *num.* 31. *& ſeqq.* probat, cùm ſignificatio illius verbi, *paucis*, in jure ſit varia, non valet reſtringere dictum numerum, ſed arbitrio judicantis relinquitur, arbitrium verò ad juris correctionem non extendatur, ſed potiùs à jure reguletur, numerum in d. Clementina præfixum attendendum eſſe, & cùm Fagnan. videtur concordare Pirhing. *in jus can. lib.* 1. *tit.* 31. *de offic. ord. num.* 98. *verſ. notandum tertiò*, ubi loquens de eadem re concludit ſic -- *verùm conſtitutio hujus c. locum tantùm habet quando viſitantur Monaſteria Virorum, in viſitatione verò Monaſteriorum Monialium, ſervandum eſt, quod ſtatuitur in Clementina 2. §. Ipſos autem Viſitatores de ſtat. Monach. ubi definitur numerus admittendorum tempore viſitationis Monialium &c.* ex quibus benè infertur, quòd Viſitatores excedentes dictum numerum octo, pœnas Conſtitutionis incurrent, qui verò dicto numero contentatur, legem non lædit, qui autem utitur minori, meliùs facit.

Viſa monitione. Si Vicarius Capituli expleto ſyndicatu, ex quo conſtet ipſum reum eſſe de tranſgreſſione d. Bullæ Gregorii: monitus ab Epiſcopo -- *ad dicendum cauſam quare, non debeat declarari incidiſſe in excommunicationem contentam in Bulla Gregorii XIII. quæ incipit, Dubiis &c.* appellet ab hac Cenſuræ comminatione, non debet recipi, nec admitti ejus appellatio, ſed ad declaratoriam deveniendum erit, à qua ſi iterum appellaverit, tempore debito, tunc erit in publicatione cenſuræ ſuperſedendum præfixo termino ad proſequendam appellationem, niſi tranſgreſſio Bullæ eſſet notoria, & cùm aliquo ſcandalo ſequuta, nam tunc poſſet Epiſcopus ad denunciationem devenire, non obſtante appellatione poſt declaratoriam interpoſita, quia remedium appellationis in cenſuris latis à jure, admittitur, quoties Judex potuit in facto errare, & reum gravare, non autem quando factum eſt certum, & tranſgreſſio, cui annexa eſt cenſura, excuſari non poteſt, ut ſuprà jam dixi.

Incurriſſe excommunicationem. Vicarius Capituli, qui dicitur Vicarius juriſdictionis Epiſcopalis, ſi in ingreſſu Clauſuræ Monialium non ſervat formam traditam in d. Conſtitutione *Gregorii XIII.* 17

pro

pro prima vice Interdictum, pro secunda suspensionem, & pro tertia excommunicationem incurrit, ut ibi cavetur, & planum est; neque me terret auctoritas contraria Bonac. *de censur. & pœn. viol. clausur. quæst. 4. punct. 5. num. 11. vers. ex dictis patet*, & Ventrigl. *in prax. par. 1. annot. 5. §. 1. n. 46.* astruentes, Vicarios Generales, vel Prælatos sæculares Episcopo inferiores, habentes quasi Episcopalem jurisdictionem, in Clausuram Monialium ingredientes, ut suprà, non affici pœnis d. Constitutionis, neque aliam excommunicationem incurrere ea non servata, ex eo quia ibi non sunt expressi, imò miror, quòd Viri tam docti potuerint in hanc ire sententiam.

19 Etenim volens *Greg. XIII.* dubium exortum super intelligentia suæ primæ Bullæ, quæ incipit -- *Ubigratia* declarare, in hac alia, quæ incipit *Dubiis*, sic ait: „ -- Constitutione item nostra fuit provisum, nè cui in posterum, nisi in casibus „ necessariis septa Monasteriorum Monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse „ sciamus circa personas, quæ alterius „ ad id licentia non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur, an liceat eis „ pro libito suæ voluntatis hujusmodi septa ingredi, vel potiùs servare debeant „ ipsi quoque regulam à Concilio præscriptam (Hæc in proœmio) & in dispositiva -- Nos omnem hæsitationis „ materiam tollere, & viam scandalis „ præcidere, ac Sanctimonialium quieti „ consulere volentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus, Prælatos omnes tam sæculares; quàm regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio „ attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demum uti posse, si id faciant „ in casibus necessariis, à paucis, iisque „ Senioribus, ac Religiosis personis comitati &c. Quòd si contrafecerint eadem auctoritate statuimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint ab ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda à „ munere Pontificali, & à Divinis suspensos ac deinceps ipso facto absque „ alia declaratione excommunicatos existere; regulares verò omni officio, ac „ ministerio privatos excommunicationi „ similiter subjacere.

Verus propterea sensus istius Constitutionis est, quòd omnes Superiores, qui 20 aliena licentia non indigent ingredientes clausuram Monialium in casibus non necessariis, & non à paucis, ac senioribus & religiosis personis comitati, pro prima vice interdictum, pro secunda suspensionem à divinis, & pro tertia excommunicationem incurrunt: neque dicendum, 21 quòd Vicarii Generales, & alii Prælati inferiores non fuerint nominati, neque expressi: tum quia non cortici verborum est inhærendum, sed legislatoris menti, cui verba debent inservire, vulgato *c. humana 22. qu. 5.* tum quia satis illos expressit, & nominavit in Bullæ proœmio, quod causam finalem, & mentem, ac animum loquentis ostendit ut pluribus cumulatis 22 docet Barbos. *axiom. 192. per tot.* In illis verbis -- *à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quæ alterius ad id licentiam non indigent, sed sui auctoritate officii nituntur*, ecce omnes Superiores, & in illis verbis dispositivæ ibi -- *Nos omnem hæsitationis materiam tollere volentes, declaramus, Prælatos omnes, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria*, ecce Vicarios Capitulares, quibus ut præmissum est, attributa est à jure facultas visitandi Monasteria Monialium.

Neque verba hæc per se clara, & effræ- 23 nata restringi possunt ab aliis verbis subsequentibus ibi -- *qui Pontificalis dignitatis fuerint*, quia ex his solùm infertur, quòd si Superior, qui contrafecerit, sit Pontificali dignitate insignitus, secunda vice præter suspensionem à divinis; etiam à munere Pontificali sit suspensus, nòn autem deducitur, quòd cæteri Prælati inferiores pœnas non incurrant, ut volunt Bonac. & Ventrigl. quia si hoc esset verum, statim daretur præcedentium correctio, & contrarietas, quæ semper est vitanda, maximè quando verba sunt satis clara, ut hîc, Rot. coram Coccin. *dec. 2338. num. 5. & 6.* & pas-

& passim alibi, & ordine inverso gravius punirentur Episcopi, & Archiepiscopi,
24 quàm inferiores, & tamen ubi agitur de imponenda pœna censurarum, vel corporis afflictiva, mitiùs puniuntur existentes in dignitate, quàm cæteri inferiores, ut docet *glos.* punctualis *in cap. exigit de cens. in* 6. *in figuratione casus notab.* 5. Passer. *in cap. qui pontificali num.* 7. *de off. jud. deleg. in* 6. imò si talis interpretatio daretur, tota Bulla esset eversa, & quòd ad præcidenda scandala ibi statutum fuit scandalis viam sterneret, cùm isti Prælati Episcopo inferiores absque metu censurarum possent clausuram ingredi absque necessitate, & ad libitum quod est intolerabile absurdum; Quare dum clarè constat de Pontificis constituentis mente, non debemus curare de
26 verbis: quia non sermonis, sed rei est sermo subjectus *cap. petitio de procurator.*

27 Erronea quoque est alia propositio ejusdem Bonacinæ loco supra allegato firmata, nempè, quòd tam Prælati Sæculares, quàm Regulares ingredientes clausuram Monialium ex causa necessaria, non incurrunt excommunicationem, si soli ingrediantur, vel si secum ducant personas non religiosas, nec senes: quia ut ipse dicit, pœnæ Constitutionis Gregorii, extenduntur solùm ad ingredientes in casibus non necessariis: nam Pontifex Gregorius, declarando suam primam Bullam, per modum novæ legis, statuit, quòd superiores, quia alterius licentia non indigent pro ingressus facultate, quæ eis ex officio datur non utantur, nisi in casibus necessariis, & non nisi à paucis, & religiosis personis fuerint comitati, ut patet ex suprà recitatis verbis ibi -- *facultate prædicta ita demum uti*
28 *posse, si id faciant in casibus necessariis, & à paucis, iisque senioribus ac Religiosis personis comitati*, & sic dum dicit -- *si id fa-*
29 *ciant in casibus necessariis*, ponit conditionem non modum Barbos. *dict.* 364. *num.* 1. & dum dicit, *& à paucis comitati*, virtute illius copulæ, & hanc aliam conditionem, prout juris est æqualiter conjungit, & duo principaliter requirit, nempè necessitatem, & socios senes, & Religiosos: ideoque ad evitandas pœnas constitutionis, non sufficit alterum verificari, sed debet per necesse utrumque concurrere, Gratian. *discept.* 968. *num.* 16. Rot. coram Pamphil. *decis.* 710. *num.* 6. & in terminis d. Bullæ ponderant Fagnan. *loco supra allegato nu.* 29. Nicol. *lucubr. can. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 200. *vers. superiores*: aliàs sequeretur secundùm laxam opinionem Bonacinæ, quòd Prælati Episcopo inferiores, efficta aliqua ingressus in clausuram necessitate (quod effingere non esset difficile) possent sine testibus ingredi soli pro libito, & absque timore pœnæ: quo nihil absurdius, & nil injuriosius sanctioni Apostolicæ.

Concludendum propterea videtur,
quòd Vicarius Capituli, de ingressu in 30
clausuram Monialium possit sindicari. Primò quando ingreditur sine necessitate de qua debet sibi constare per relationem Abbatissæ, & Monialium Crispin. *de visit. pastor. p.* 2. §. 32. *n.* 113. secundò quando secum duxit, & introduxit numerum superfluum, & excessivum personarum. Tertiò quando est ingressus solus sine sociis, vel cum sociis laicis, præsertim juvenibus: quia in his casibus, est constitutionis Gregorii transgressor, prout sunt omnes alii superiores, qui super eisdem
delinquunt. Ab excommunicatione au- 31
tem, quam fortè incurrerit, poterit ab Episcopo absolvi, cùm non sit reservata, ut probat Fagnan. *in cap. nuper num.* 38. *de sentent. excomm.* Cætera, quæ pertinent ad jus, tempus, & qualitates electionis Vicarii Capitularis tradidi *tom.* 2. *tit.* 16. *for. X. num.* 13.

De excommunicatione contenta in Clementina 1. de privileg.

Regulares, qui Sacramenta Eucharistiæ, vel extremæ Unctionis infirmis sæcularibus ministrant, vel matrimonia solemniter benedicunt sine licentia Parochi expressa (exceptis casibus privilegiatis) excommunicationem Papæ reservatam incurrunt, ut habetur in hac Clementina. Quare constito de dd. Sacramentorum administratione inscio Parocho per eos facta, poterit Episcopus eodem Parocho, vel Promotore Fiscali instante, contrafacientes excommunicatos denunciare, præmissa declaratoria.

Sen-

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XLII.

ATtentis comparatione, & instantia R. Parochi Ecclesiæ N. & depositionibus testium per eum inductorum ex quibus constat, P.N. Ordinis N. ministrasse, *& ministrare præsumpsisse* N. laico sæculari infirmo Sacramentum Eucharistiæ (vel extremæ Unctionis) absque ejusdem Parochi speciali licentia, dicimus, & declaramus, prænominatum P.N. incurrisse excommunicationem contentam in Clementina 1. de privil. Papæ reservatam, & ut à subditis nostris vitetur, esse publicè denunciandum prout nos per affixionem Cedulonum *denunciari volumus*, & mandamus.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Regulares administrantes infirmis sæcularibus Sacramenta Eucharistiæ, vel extremæ Unctionis sine Parochi licentia, censuras incurrunt, & ab Ordinario denunciari possunt, & num.* 2. 3. 4. *&* 5.

6 *Privilegium alicui Ordini Regularium concessum ministrandi tempore infirmitatis sæcularibus Sacramenta prædicta, non suffragatur cæteris Regularibus, per solam generalem communicationem.*

7 *Regulares contravenientes Clementinæ* 1. *de privileg. possunt denunciari excommunicati sine monitione, vel cum monitione, & num.* 8. *&* 9.

10 *Regulares delinquentes in administratione Sacramentorum, puniuntur ab Episcopo jure delegato.*

Narratur vexatio, & patientia Auctoris.

Denunciationis.

FORMULA XLIII.

HIC auctoritate ordinaria, ut à subditis nostris evitetur, denunciatur, & declaratur excommunicatus excommunicatione majori Papæ reservata P.N. Ordinis N. Ex eo, quia absque ulla licentia proprii Parochi ausus fuit contra prohibitionem Sac. Canonum ministrare N. laico sæculari infirmo, Sacramentum Eucharistiæ (vel extremæ Unctionis) præcipimus propterea omnibus nostræ Curæ subjectis, ut illum evitare curent, neque ad divina admittant, aut ei ave dicant, sub pœna, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

VEL

VEL

CON autorità Ordinaria, acciochè sia dalli nostri sudditi evitato, si denuncia, e dichiara scommunicato di scommunica maggiore riservata al Sommo Pontefice, il P.N. dell'Ordine N. perchè senza alcuna licenza del proprio Parocho, ha havuto ardire contro la proibitione de' sacri canoni, d'amministrare ad N. laico secolare infermo, il Sagramento dell' Eucaristia (ò dell' estrema Unzione) Si comanda per tanto a tutti alla nostra cura spirituale soggetti, che debbano evitarlo, e di non ammetterlo alle cose Sacre, e Divine, nè di communicare con esso sotto pena, &c.

N. Vescovo N.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 ET *MINISTRARE PRÆSUMPSISSE.* Attenta d. Clementinæ clara dispositione, non ambigitur, quòd si à Regularibus violetur, possint ab Ordinario excommunicati denunciari: imò debet hoc facere, prout sibi injungitur illis verbis *quos etiam locorum Ordinarii*, illis *postquam de hoc eis constiterit, excommunicatos faciant publicè denunciari*: & probat auctoritates, & Decreta allegata *par.1. tit.6. ad form.20. num.16.* hoc tamen sanè debet intelligi, quando nulla, nec expressa, nec saltem præsumpta accedit Parochi licentia, tunc enim Regulares, dicta Sacramenta ministrando, verè dicuntur præsumere: at si quis laicus sæcularis jam jam esset animam expiraturus, & copia Parochi haberi non

2 posset ad ministrandum viaticum, vel ungendum Sacro oleo infirmum tunc posset Regularis Sacerdos hæc Sacramenta ministrare, absque ullius excommunicationis incursu: quia in hoc casu ratihabitio Parochi statim clarè præsumeretur, Graff. *decis.aur. par.1. lib.4. cap.20. num.6.* Lauret.de Franch. *contr.par.2. quæst.6. vers. duodecimo*, Medic. *in summ. peccat. par.2. quæst.78. num.164.*

3 Si autem Regulares Clementinæ violatores ad se excusandum dicerent, prædicta Sacramenta infirmis sæcularibus ministrasse ignoranter, bona fide, & sub credulitate suorum privilegiorum (quidquid sit dicendum in foro conscientiæ) hæc excusatio in foro externo, non admittitur, quia ignorantia facti, & non juris excusat, *cap. ignoran: ia de regul. jur. in 6.* privilegia verò, quibus Regularibus conceditur, ut possint Eucharistiam ministrare fidelibus omni tempore præterquam in die Paschatis, non extenduntur ad ministrationem viatici tempore infirmatis, nisi de hoc fiat expressa mentio, ut fatentur Pasqualig. *ad contr. Lauret. de Franch. part.2. quæst.26. num.2.* & Passerin. *de stat. hom. tom.2. quæst. 187. art.1. num.940. & num. 988. in fin.* (plus æquo defensores acerrimi Regularium privilegiorum) juxta declarationem Leonis X. in Concilio Lateranensi factam, de qua in *Bullar. tom.1. Const.22. §.7.* ubi sic habetur: *Eucharistiæ verò, & extrema Unctionis, aliqua Ecclesiastica Sacramenta illis, quorum etiam infirmorum, ac decedentium confessiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotem illa sibi dare denegasse, dare nequeant, nisi denegatio sine legitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram Notario publico facta doceatur:* & pluries declaravit *Sacr. Congreg. Concilii*, nempè *in Nullius 19. Septemb. 1637. in Ripana 13. Februarii 1652. & in Gerunden. 13. Februa-*

4

bruarii 1694. Pignatell. *consultat.* 306. *tom.* 1.

6 Privilegium hoc speciale, ministrandi scilicet tempore infirmitatis hospitibus, etiam sæcularibus extraneis Sacramenta Eucharistiæ, & extremæ Unctionis, alicui ordini Regularium concessum, non suffragatur cæteris Regularibus per solam generalem communicationem privilegiorum: quia cùm sit contrà jus commune, & Bullam prædictam Leonis X. à Concilio Lateranensi approbatam, & involvat præjudicium Parochorum, nunquam censetur communicatum, nisi specialiter, & expresè concessum sit, ut probant auctoritates, & Decreta, quæ ad hoc firmandum allegata sunt, *par.* 2. *tit.* 13. *ad form.* 4. *num.* 33. 34. *& seqq.*

7 *Denunciari volumus*. Denunciatio, & publicatio hujus censuræ juxta rigorem hujus Clementinæ fieri potest absque ulla monitione, ut colligitur ex supra notatis verbis -- *postquam de hoc eis constiterit excommunicatos faciant publicè denunciari*: nihilominùs cùm detur casus in quo juxtà DD. sententiam admittitur excusatio, & in quo Regulares administrantes possunt se tueri speciali privilegio, tutiùs est præmittere monitionem -- *ad dicendum causam quare non debeat denunciari excommunicatus*, hæc enim monitio hic non turbat Regularium exemptionem, Passerin. *de stat. hom. tom.* 3. *quæst.* 189. *art.* 10. *num.* 782. ubi invitus admittit, quòd Regulares contravenientes Clementinæ, possint citari, & excommunicati denunciari: quia concesso consequente, videtur etiam concessum antecedens, sine quo consequens obtine-

8 re non potest, ut de hac eadem censura loquendo magis libenter fatetur Pirhing *in jus can. lib.* 5. *tit.* 33. *num.* 149. *vers. notandum ultimo*.

9 Quòd si Regularis transgressor ab Ordinario monitus ad dicendum causam quare, &c. licentiam Parochi expressam, vel saltem de jure præsumptam habuisse, vel de privilegio non doceat, poterit (si Ordinario ita expedire videatur) excommunicatus denunciari, appellatione, & cæteris frivolis excusationibus non attentis, juxtà terminos casus in *Neapolitana* 5. *Junii* 1700. in quo cùm Monachus Olivetanus ministrasset Sacramentum extremæ Unctionis, sine licentia Parochi, Hospiti laico sæculari commoranti in Monastrio, & ad se excusandum afferret particulas librorum Monasterii, ex quibus apparebat fuisse pluries aliis sæcularibus ibidem infirmis à Monachis d. Sacramentum administratum, & ideò ipsum illud administrasse bona fide, & cum credulitate id sibi licere, & nullam incurrisse excommunicationem: imò Archiepiscopum, qui cùm excommunicatum denunciaverat non obstante appellatione interposita A. C. nulliter processisse prætenderet: proposita causa sub d. die in plena *Congreg. Concilii* responsum fuit -- *Censuras sustineri, & detur facultas Ordinario absolvendi in forma privata*.

Et hic nota; quòd si Regulares alio modo delinquerent in administratione Sacramentorum, possent ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato puniri vigore *Constit. Greg. XV.* quæ incipit *Inscrutabili*, per extensum à me datæ *par.* 1. *in Appendice pag.* 30. prout firmavit *Rot. in Firmana jurisdictionis* 10. *Maji* 1700. *coram R. P. D. Molines Decano*, quàm pariter dedi *par.* 2. *in Appendice decis.* 40. pro cujus, & aliarum paucarum decisionum reimpressione, ad opus faciendum additarum, vexationem ab Impressore Camerali humiliatus sustineo, & dico patienter -- *Domine vim patior, responde pro me* qui autem me vexat, ut vincat canit, 10

Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.

potens enim est, Verùm plena Camera justitia, & æquitate Principe digna, lite ultrà biennium protracta, & post plura damna passa ab injusta vexatione me liberavit.

De excommunicatione contenta in Clementina 1. *de sent. excomm.*

Quia nonnulli DD. Morales Ordinum Regularium sustinere perperàm nituntur, quòd eorum privilegia, quibus concedebatur ut pro suis festis, vel aliis certis diebus, non tenerentur servare Inter-

terdicta, non fuerint à Concilio Tridentino revocata: contingit aliquando, quòd horum opinione freti, Interdicta localia generalia per Ordinarios promulgata, Regulares non servant. Undè quatenus casus eveniat, constito de Interdicti violatione, ad sequentem declaratoriam deveniendum erit.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XLIV.

Visis relatione, instantia nostri Promotoris Fiscalis, *& testium depositionibus*, ex quibus constat PP. N. N. Ordinis N. in eorum Ecclesia non servasse interdictum generale *per Nos promulgatum* in loco N. quod matrix Ecclesia d. loci servat, sed illud, publicè celebrando, laicis sæcularibus sanis *Eucharistiam ministrando*, & cadavera sepeliendo violasse, illos ad observantiam Decreti *S. Concilii Trid. cap.* 12. *sess.*25. *de regular. reducere cupientes*, tanquam incursos in excommunicationem *Clementinæ* 1. *de sentent. excomm.* dicimus, & declaramus prænominatos PP. N. & N. esse publicè denunciandos, *prout denunciari volumus*, & mandamus ut ab omnibus nostræ jurisdictioni subjectis evitari debeant, & possint, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *In facto notorio pro Instructione Judicis requiritur processus facti.*
2 *Citatio ad dicendum causam quare, requiritur ex urbanitate, etiam in facto notorio.*
3 *Nemo præsumitur velle delinquere sine causa.*
4 *Datur forma citationis ad exhibendum privilegium.*
5 *Privilegia Regularibus concessa ante Concilium sunt revocata.*
6 *Regularibus allegantibus privilegium, nisi illud exhibeant, non est credendum.*
7 *Regulares tenentur observare Interdicta ab Episcopo promulgata non obstante contraria consuetudine.*
8 *Interdictum locale generale non est Regularibus intimandum, nisi ad cautelam.*
9 *Regulares administrantes Sacramenta sæcularibus sanis, tempore Interdicti, ab Episcopo possunt puniri.*
10 *Episcopus pro observantia Decretorum Concilii, potest censuris Regulares punire, & num.*11. 12. *&* 20.
13 *Regulares Censuris, quandò delinquunt, ab Ordinario coercendi, & non aliis pœnis, & allegantur rationes, & num.*14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.
21 *Cui licet, quod est plus, licet quod est minus.*
22 *Quando non liquet de violatione Interdicti, & dubium est, est supersedendum in denunciatione censurarum.*

Denun-

Denunciationis.

FORMULA XLV.

HIC tam auctoritate ordinaria, quàm delegata Concilii Tridentini, ut ab omnibus nostræ jurisdictioni subjectis evitari possint, & debeant, denunciantur, & declarantur excommunicati excommunicatione majori RR. PP. NN. Conventus N. Ordinis N. ex eo, quia non obstante publica promulgatione Interdicti Ecclesiastici localis generalis loci N. ausi fuerunt publicè celebrare Missas, ministrare Sacramentum Eucharistiæ laicis sæcularibus sanis, & cadavera sepelire in eorum Ecclesia, contra prohibitionem expressam *Clementinæ 1. de sentent. excomm. & Sacr. Concil. Trid. c. 12. sess. 25. de Regular.* & sic illud damnabili præsumptione violare. Præcipimus igitur eisdem nostræ jurisdictioni subjectis, ut omninò illos evitare debeant, sub pœnis à Sac. Canonibus participantibus cum excommunicatis inflictis, &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

VEL

CON autorità tanto Ordinaria, quanto delegata dal S. Concilio di Trento: accioche da tutti quelli, che sono soggetti alla nostra giurisdizione possano, e debbano evitarsi; si denunciano, e dichiarano scomunicati di scomunica maggiore li PP. infrascritti dell'Ordine N. perchè non ostante l'Interdetto locale generale Ecclesiastico, da noi promulgato, e posto nel luogo N. hanno publicamente celebrato le Messe, amministrato il Sagramento dell'Eucaristia a i Secolari sani, e sepelito i Cadaveri nella loro Chiesa, e così con dannabile presunzione, e contro la proibizione espressa della *Clementina 1. de sentent. excommun.* e del Sagro Concilio di Trento, l'hanno violato. Onde si comanda a tutti, sudditi alla nostra giurisdizione, che debbano onninamente evitarli, e di non ardire d'ammetterli alla partecipazione delle cose Sacre, e Divine, nè di comunicare con essi sotto pena, &c.

N. Vescovo N.

Luogo del ✠ Sigillo.

Nomi delli Scommunicati.

Il P. N. dell' Ordine N.
Il P. N. dell' Ordine N.
Il P. N. dell' Ordine N.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 *ET TESTIUM DEPOSITIONIBUS*. Licèt in facto certo, & notorio, ex quo resultat incursus Censurarum ipso jure, Ordinarius non debeat contra exemptos processum instruere in forma judicii, & formales partes Judicis assumere: attamen debet examinare testes super facto notorio, qui dicitur processus facti ad futuram rei memoriam, sivè ad instructionem, & informationem ipsius Ordinarii: sicuti etiam quamvis in facto certo, & notorio non exigatur ad promulgandas censuras mo-
2 nitio, seù citatio, adhuc laudabilius est, & praxis recepit, ut antè denunciationem, per modum lenitatis, & urbanitatis, excommunicandi citentur -- *ad dicendum causam quare non debeant denunciari excommunicato*? vel -- *ad videndum se excommunicatos denunciari*: de qua laudabili praxi testantur Genuen. *cap. mihi* 57. *num.* 1. Fagnan. *in cap. non potest num.* 23. *& seqq. de sentent. & re jud.* Card. de Luc. *Miscellan. disc.* 14. *num.* 7. *&* 8.

3 Et quia nemo præsumitur sine aliquo motivo, & causa spontaneè delinquere, & nemo velle facere, quod facere de jure non potest Rot. coram Gregor. *decis.* 531. *num.* 3. in hac hypothesi, Ordinarius cautiùs agendo, poterit committere, ut monitio, sivè citatio contra exemptos violatores fiat sic -- *ad exhibendum spe-*
4 *ciale privilegium Apostolicum post Concilium Trid. concessum non servandi Interdicta Ecclesiastica localia generalia ab Ordinariis locorum promulgata, infra tres dies: aliàs termino elapso, die immediatè sequenti, videndum se excommunicatos denunciari*: & ita certior fiet de validitate denunciationis.

5 Nam si in termino violatoribus Interdicti præfixo, privilegium speciale non exhiberent; sed privilegia Regularibus concessa ante Concilium allegarent, hæc tanquam ab eodem concilio revocata in *d. cap.* 12. *& cap.* 22. *sess.* 25. *de regular.* Navar. *cons.* 7. *de privileg. per tot.* Garc. *de benefic. par.* 3. *cap.* 2. *num.* 278. *& seqq.* Sayr. *de censur. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 29. *& cap.* 11. *num.* 30. *&* 31. ad evitandam excommunicationem *d. Clementinæ* 1. non suffragarentur, nec essent attendenda.

Sicuti nec eis suffragaretur privilegium speciale suppositum; sed non productum: quia non tenetur Ordinarius tali suppositioni, & assertioni fidem adhibere, ut jam declaravit Summus Pontifex *Innoc. X.* in causa *Angelopolitana* 14. *Maji* 1648. *ad* 3. *dubium in quo proponebatur. An Regularibus, etiam Societatis Jesu asserentibus se habere privilegia, quo minus obediant Episcopo in executionem Decretorum juris communis, Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum: Ordinarii debeant ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum; Respondit, Ordinarios non teneri hujusmodi assertioni fidem adhibere absque integrali privilegiorum exhibitione*. Quod Decretum cum aliis emanatis in d. Causa famigerata, referunt authenticè per extensum Tondut. *de prævent. par.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. Pafferin. *de stat. hom. tom.* 2. *quæst.* 187. *art.* 1. *num.* 163. & habetur impressum *in Bullar. tom.* 5. *pag.* 498. 6

Nec minùs eos excusaret prætensa contraria Consuetudo: quia Regulares exempti, qui speciale privilegium post Concilium concessum non habent, interdicta generalia localia ab Ordinariis locorum promulgata observare tenentur non obstante asserta consuetudine, etiam immemorabili, ut respondit *Sac. Congreg. Concilii* adversùs equites Hierosolymitanos 7

tanos *in Cæsaraugustana Interdicti* 11. *Junii* 1695. *ad* 2.

8 *Per nos Promulgatum*, Interdictum locale generale, licèt non sit singulis intimandum, sed satis sit, si promulgatio sententiæ fiat in locis solitis publicis judiciorum, Sayr. *de censur. cap.* 11. *num.* 30. *lib.* 5. adhuc si Regularibus specialiter intimaretur laudarem, quia si posteà illud violarent, de inobedienria Decretis Concilii, & Contumacia magis essent gravati.

9 *Eucharistiam ministrando*. Si præter celebrationem publicam missarum, quæ per se sola sufficit pro violatione Interdicti, Regulares administrassent, etiam sanis sæcularibus Eucharistiam, prout supponitur in formula; tunc possent ab Ordinario ex duplici delicto censuris puniri, nempè uti violatores Interdicti, & tamquam illicitè administrantes hoc Sacramentum, vigore *Const. Gregor. XV.* de qua dixi in præcedenti formula, & pro indubitato tenet Card. de Luc. *in Miscellan. disc.* 16. *num.* 11. *&* 12. ubi ait, quòd d. Gregorii Constitutio in hoc quæstionem dirimit.

10 *Reducere cupientes*. Per hanc clausulam, sivè expressionem datur intelligi, quòd Ordinatius, quando agit contra Regulares exemptos pro observantia, & executione Decretorum Concilii Trid. quæ eidem specialiter fuerunt commissa, prout sunt Decreta omnia, quæ habentur in *sess.* 25. *de regular.* potest illos non solùm in excommunicationem incursos, excommunicatos denunciare; sed jure proprio pro debita execurione (quatenus, sibi id expedire videatur) censuris compellere, etiamsi habeant privilegium, quòd excommunicari ab Ordinario non possint, ut in terminis tradunt Genuen. *in prax. c. mihi* 57. *num.* 9. Piasec. *in prax. par.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *de visit. Regular. num.* 77. Barb. *suprà Concil. d. cap.* 22. *sess.* 25. *de regular. num.* 5. *& in Apostol. decis. collect.* 297. *num.* 3. *&* 4. Bellet. *disq. cleric. par.* 2. *de pœnis Cleric.* §. 30. *num.* 6. *vers. an verò Regulares*, Ciarlin. *contr. tom.* 1. *cap.* 50. *num.* 21. Pac. Jord. *elucubr. tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 14. *num.* 189. Card. de Luc. *in Miscellan. d. disc.* 16. *num.* 14. & declaravit *Sac. Congreg. Concilii in Limana* 19. *Septemb.* 1625. *ad* 12. *dubium*; in quo cùm proponeretur.

XII. Idem cap. 22. *ut exequantur omnia contenta in capitibus præcedentibus de Regularibus, & Monialibus, inter alia continet sequentia verba, videlicet — Præcipit omnibus Episcopis in Monasteriis sibi subjectis, & in omnibus aliis in superioribus Decretis specialiter commissis, &c. ut statim præfata exequantur. Dubitatur modò, an in dictis rebus Regularium, & Monialium, in quibus ipsi Episcopo tribuitur jurisdictio, possit Episcopus hujusmodi Regulares cogere, & compellere sub censuris, aliisque remediis opportunis; Aliqui enim Regulares in libris ab eis editis asserunt super illis verbis cap.* 13. *accedere compellantur, quòd eò, quia Concilium de censura mentionem non fecerit, Episcopus eos sub dicta pœna cogere nequit.*

Die 19. *Semptemb.* 1625. *Sac. Congr. Concilii ad singula dubia superiùs proposita hanc in modum respondit, videlicet.*

Ad I. &c.

Ad XII. in Decretis Episcopo specialiter commissis sess. 25. *de Regularib. licere eidem Episcopo ad illorum executionem Regulares compellere, etiam pœnis, & censuris Ecclesiasticis*: prout per extensum hæc, & alia refert Barbos. *vot. decis.* 125. *post num.* 42. *lib.* 3.

Hæc sententia firmissimum habet in 11 jure fundamentum, enim eo ipso, quòd Regulares à Concilio, seù Constitutionibus Apostolicis in aliquibus subduntur Episcopis, nulla ampliùs circa ea remanet exemptio, quæ eos liberet à censuris, dum modus non restringitur compellendi, sed per remotionem obstaculi, censetur eisdem Episcopis restituta plenaria antiqua, & habitualis, seù nativa jurisdictio sicut in cæteros de populo, ut firmant auctoritates allegatæ & probat optimus *text. in cap. propterea de offic. & pot. jud. deleg. in fin.* illis verbis — *quia ex eo, quòd causa sibi committitur super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem*, quem ponderat in his terminis Frances *de Eccles. cathedr. c.* 28. *num.* 357.

Ideoque de plano intrat regula, quòd ubi pœna non est à jure vel lege determinata, imponitur arbitrio judicis, Menoc. 12

*de arbitr.cas.*365.*num.*2. *& seqq.*qui illam imponere debet juxtà qualitatem culpæ, quæ pœna licèt sit Judici arbitraria, adhuc dicitur canonica, Passerin. *in cap.romana num.*25. *de supplend. negligent. prælat. in* 6. non autem potest eligere reus, quæ sibi sit infligenda, quia hoc est contrà rationem pœnæ ut observat Guazin. jun.*ad defens. animar. lib.*2.*def.*6. *cap.*40. *num.*49.

13 Prætereà ad reducendum Regulares ad observantiam Decretorum Concilii, & Constitutionum Apostolicarum, ac Decretorum, nulla magis propria infligitur contrà eos pœna, quàm Censurarum, tanquam medicinalis, & proportionata delicto, & maximè in casu formulæ, ut in eo puniantur, in quo peccaverunt: cœteræ enim pœnæ minùs conveniunt statui Religiosorum: nam pœna Carceris, affert injuriam, famam
14 Religionis, & carcerati onerat, & gravamen infert continuum, & ideò Viris Religiosis manus satellica, rarò, inferenda est, & non nisi in causis, & delictis gravibus. Pœna pecuniaria est nimis im-
15 propria, cùm Religiosi nihil habeant de proprio, & Monasterium, nisi ex delicto subditi sit effectum ditius, non tenetur pro illius delicto, *cap. delictum* 76. *de regul.jur. in* 6. & ideò aliàs *Sac.Congreg. Episc.* decrevit, quòd Episcopus debeat abstinere à mulctis pecuniariis, contrà Regulares, prout refert Nicol. *in flosc. verb.pœna num.*7. Pœnitentia publica, sicuti hodiè, nec Clericis sæcularibus delinquentibus non debet irrogari, *glos. in*
16 *cap.*1. *de pœnit. & remiss.* ita nec minùs Clericis Regularibus. Pœna privationis vocis activæ, & passivæ, seù inhabilitatis ad officia Religionis, inter Re-
17 gulares, est gravissima, & durissima, sunt verba Passerin. *de elect. capit.* 25. *num.* 619.
18 Ex quibus benè infertur, quòd dum Regulares sustinere nituntur, quòd Episcopi, qui in certis casibus, tùm à jure, tùm à Concilio, & Decretis Apostolicis determinatis punire eos possunt, non debeant, neque valeant uti gladio censurarum, laborant contrà proprium commodum. Verùm hæc dicta sint ex abundanti, cùm suprà firmata conclusio, fulcro non indigeat robustiore: & clariùs infrà *tit.*3. *ad form.*6. *num.*13.

Privilegium autem, quod Regulares habent, ne possint ab Ordinariis locorum excommunicari, seu interdici, intelligi debet, in casibus, in quibus viget, & juvat exemptio, ut respondent DD. suprà allegati, & res plana est. 1

Prout denunciari volumus. Quòd Episcopus possit denunciare excommunicatos Regulares exemptos, qui ob notorium delictum inciderunt in Censuram juris, ut evitentur à subditis jam probatum fuit suprà *ad form.*1. §. *ultimo*, *& ad form.* 36. §.*Porrò:* quæ conclusio difficultatem non patitur in casu supposito in formula: dum enim potest Ordinarius, ex mox firmatis, jure proprio ad observantiam Decretorum Concilii sibi commissorum, Regulares exemptos censuris compellere: multò magis poterit ad eundem effectum, illos in censuram latam à jure incursos publicè denunciare: quia cui licet, quod est plus, licet utique quod est minus *cap.*53. *de regul.jur. in* 6. & in terminis violationis *d.Clementina*, *& c.*12. *sess.* 25. *de regular.*tradit Ricc.*prax. rer.for. Eccles. par.* 2. *resol.* 210. *num.* 1. *vers. Quinta fallit*, & hunc quoque articulum declaravit prædicta Sac. Congreg. Concilii in alia pariter *Limana* de anno 1633. ad primum dubium,in quo cùm fuisset propositum. 20 21

Primò an Episcopus possit denunciare pro publico excommunicato Regularem, & exemptum ut evitetur ab omnibus, qui ob notorium delictum in censuras inciderit.

Die 29. Januarii 1633. Sac. Congreg. &c.respondit ad primum regulares exemptos, qui ob notorium delictum in excommunicationem inciderunt, posse ab Archiepiscopo denunciari excommunicatos, ut ab aliis evitentur. Quod Decretum cum aliis dubiis, & resolutionibus refert Barb. loco suprà allegato *d. Vot.*125. *post. num.*42. *num.*45. *lib.*3.

Quando autem de violatione Interdicti non plenè constaret, & Regulares moniti ad dicendum causam quare, &c. factum, & violationem negarent, & jurisdictionem Ordinarii non declinando adversùs testes fiscales exceptiones juridicas proponerent, in denunciatio- 22

ne

ne esset supersedendum: & deindè abstinendum, nisi de violatione liqueret.

De excommunicatione contenta in Const. Alexandri VII. Felici in Bullar. tom.6. Const. 153.

In visitatione Monasteriorum Monialium, Regularibus subjectarum, eorum Superiores plura ex hac Bulla sub diversis pœnis, & præsertim Censurarum, servare debent, quæ si non fecerint, Ordinariis locorum subduntur. Pro instructione igitur Episcopi, hìc illam referre in necessariis, non erit inutile, in ea enim hæc habentur.

„ §.1. Fœlici Sacrarum Virginum statui „ &c. Sancimus, & in posterum intrà „ fines Italiæ, & Insularum adjacen„ tium Generalibus, Provincialibus, Ab„ batibus, & quibuscumque aliis Supe„ rioribus Regularibus, quibus alioqui „ cura, & regimen Monasteriorum San„ ctimonialium quovis modo incumbit, „ intrà septa eorumdem Monasteriorum „ nullatenus ingredi liceat, nisi ex causa „ Visitationis localis, & hoc semel tan„ tùm in anno ita ut in eo anno, in quo „ unus ex memoratis Superioribus visita„ verit, alius Superior à Visitatione hu„ jusmodi se omninò abstineat.

„ §.2. Quòd si ob Clausuram, quæ à „ Sancta Tridentina Synodo, etiam in „ Monasteriis exemptis, Curæ, & vigi„ lantiæ Episcopi in primis committitur, „ ob aliam urgentem, ac necessariam „ causam oportuerit Superiorem Regu„ larem eodem anno plures ingredi se„ pta Monasterii, tunc non aliter ingre„ diatur, quàm cum Præsentia Episcopi „ Diœcesani, vel alterius personæ Ec„ clesiasticæ Sæcularis boni exempli, ac „ maturæ ætatis ab ipso Episcopo ad hoc „ specialiter deputatæ.

„ §.3. Visitet autem Superior Regula„ ris interiorem Clausuram, per se ip„ sum, non autem per alium, etiamsi „ fuerit legitimè impeditus, quo casu „ differatur visitatio ad aliud tempus, „ quo cessaverit impedimentum, & Vi„ sitationem celeriter, & unica die, de„ bita tamen cum diligentia absolvat, „ nec antè ortum solis eam incipiat, nec „ post occasum protrahat, neque ipse Vi„ sitator neque ejus Socii ullam sumant „ in Monasterio refectionem. Porrò si „ visitet Generalis, possit secum habere „ duos Socios sui Ordinis, si alius à Ge„ nerali, unum tantùm, exclusis omni„ bus aliis etiam ratione officii; Qui „ quidem Socii assumantur exemplares, „ & maturæ ætatis, & in actu Visitatio„ nis à Visitatore nunquam separentur, „ sed eum aspicere, & ab ipso aspici sem„ per possint.

„ §.4. Ac prætereà Visitatori assistant „ quatuor Moniales ex Senioribus Mo„ nasterii, quæ similiter Visitatione du„ rante, numquam separentur à Visita„ tore & Sociis &c. Visitatio verò perso„ nalis fiat ad Crates, & omninò extra „ Clausuram Monasterii, & per ipsum„ met Superiorem dumtaxat &c.

„ §. 5. Ad hæc Confessor Sanctimo„ nialium tam Ordinarius quàm Extra„ ordinarius minimè ingrediatur septa „ Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœni„ tentiæ Eucharistiæ, & Extremæ Un„ ctionis ministranda Monialibus, vel „ aliis personis infirmis ibi degentibus, „ nec non ad commendandam animam „ Agonizantium, nec unquam ingredia„ tur, nisi cum Socio, qui sit probatæ „ Vitæ, & maturæ ætatis semperque ma„ neat in ea parte Monasterii, qua Con„ fessorem videre, & ab ipso videri sem„ per possit.

„ §. 6. Insuper districtè præcipimus „ memoratis Superioribus Regularibus „ ut intrà terminum duorum mensium à „ publicatione præsentis Constitutionis „ computandorum revocent ad Claustra „ Confessores, eorumque Socios, Con„ cionatores, & alios quoscumque Re„ gulares apud Monasteria Monialium, „ vel assiduè, vel ad tempus quocumque „ titulo pernoctare solitos: neve permit„ tant eosdem, seù alios Regulares, intrà „ seù propè septa Monasteriorum hujus„ modi habitare, vel commorari: quin „ etiam infrà eumdem terminum quas„ cumque cellas, mansiones, seù Cubicu„ la propè Monasteria prædicta ad usum „ memoratorum Regularium existen„ tia, si Clausuræ Monasteriorum ea„ rundem Monialium contigua sint, ei„ dem

„ dem Clausuræ includi, vel dividi „ omninò faciant, si verò sint extrà „ septa, vendi, pretiumque in Mona„ sterii utilitatem converti; nec in po„ sterum alia similia aptari, ædificari, „ aut emi permittant. Quòd si infrà „ dictum terminum Superiores Regu„ lares præmissa cùm effectu non adim„ pleverint, teneatur Ordinarius loci, „ tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, „ illa adimplere, & omninò exequi, „ etiam invocato si opus fuerit Brachii „ sæcularis auxilio.

„ §. 7. Verùmtamen si Monasterium „ Sanctimonialium sit extrà mœnia Ur„ bis, vel Oppidi, & Monasterium Re„ gularium Virorum, quibus Moniales „ sunt subjectæ, sit intrà dicta mœnia, „ vel è converso, habeantur, vel condu„ cantur, si commodè fieri possit, man„ siones ad usum Confessarii, quæ non „ sint conjunctæ, seù contiguæ ipsi Mo„ nasterio Monialium, sed ab eo penitùs „ disjunctæ, non solùm per parietes, sed „ etiam per tecta: sin autem utrumque „ Monasterium sit intrà mœnia, & „ unum ab altero Episcopi judicio mul„ tum distans, tunc habeantur, vel con„ ducantur hujusmodi mansiones, ut „ suprà distinctæ, & separatæ à Mona„ sterio Monialium, distantia ab ipso „ Episcopo recognoscenda, & appro„ banda; ita tamen, ut in mansionibus „ Confessoris, sivè intra sivè extra mœ„ nia constitutis, excepto Confessore „ cum suo Socio, alii Regulares, etiam„ si Superiores sint, minimè pernoctent.

„ §. 8. Si quis verò prædictorum Regu„ larium aliquid contrà præsentium te„ norem facere, vel moliri præsumpserit, „ aut adimplere neglexerit, ipso facto „ pœnam excommunicationis, & pri„ vationis omnium officiorum, quæ ob„ tinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, „ vel alia in posterum obtinenda, vo„ cisque activæ, & passivæ absque alia „ declaratione incurrat. Et nihilominùs „ nullis privilegiis, & exemptionibus „ tueri se possit, quominùs ab Episcopo „ loci, tanquam ad hoc Sedis Aposto„ licæ Delegato quoties, & quando opus „ fuerit, corrigi, & puniri valeat.

Quare constito Episcopo de hujus Bullæ transgressione, poterit, vel Regulares excommunicatos denunciare, vel juxtà sibi traditam facultatem alio modo punire: aut si sibi expedire videatur eos excommunicare: cùm certum sit, quòd excommunicatus à jure, possit denuò excommunicari à Judice, *cap. gravem* 53. *ibique glos. verb. promulgare de sent. excom.* Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 39. num.* 110. si primum remedium eligat, ad declaratoriam deveniat modo sequenti.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XLVI.

Habita relatione nostri Promotoris Fiscalis *de illicito ingressu* P.N. Provincialis Ordinis N. (sivè Confessarii) in clausuram Monasterii Sanctimonialium N. hujus nostræ Diœcesis sibi subjecti, sequuto sub die ∴∴ absque ulla nostra præsentia, & participatione: constitoque nobis annum à die ultimæ Visitationis sui Antecessoris nondum esse completum: dicimus, & declaramus ipsum prænominatum P.N. Provincialem incurrisse in excommunicationem contentam in Bulla Alexandri, Papæ VII. quæ incipit *Fælici*, & propterea esse publicè denunciandum, ut omnibus evitetur, *prout nos denunciari mandamus* omni &c.

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Delinquens mitius punitur in omittendo, quàm committendo, & mitius contra eum agitur per viam inquisitionis, quàm accusationis.*
2 *Confessarius Regularis Monialium, non potest ingredi clausuram pro sepultura, benedictione Cellarum, vel exorcizanda moniali.*
3 *Exorcizatio Monialis à quo, & quomodo, & in quo loco sit facienda, demonstratur.*
4 *Signa Monialis Energumenæ referuntur, & num. 5.*
6 *Dæmones Deo permittente, afficiunt corpora hominum variis morbis.*
7 *Causæ, ob quas Deus permittit Mulieres energumenas fieri, referuntur.*
8 *Superior Regularis transgressor Bullæ Alex. VII. an à censuris ab Episcopo comminatis appellet, ostenditur.*

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XLVII.

HIC tam auctoritate Ordinaria, quàm delegata, ut ab omnibus evitetur, denunciatur, & declaratur excommunicatus majori excommunicatione P. N. Provincialis Ordinis N. ex eo, quia anno nondum completo à die ultimæ Visitationis Monasterii Monialium N. nobis inconsultis, ingressus fuit cum Sociis Clausuram dicti Monasterii contra formam, & prohibitionem expressam Constitutionis Alexandri Papæ VII. quæ incipit *Felici*. Quare &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. *Actuarius*.

VEL

CON autorità tanto Ordinaria quanto delegata, acciochè sia da tutti evitato si denuncia, e dichiara scomunicato di scomunica maggiore il P. N. Provinciale dell'Ordine N. perchè non essendo ancor compito l'anno del giorno dell'ultima Visita del Monastero delle Monache N. senza nostra saputa, e la nostra presenza, è con i Compagni entrato nella Clausura di d. Monastero, contro la forma, e proibizione espressa della Costitutione d'Alessandro Papa VII. che comincia *Felici*. Che però &c.

N. Vescovo N.

Luogo ✠ del Sigillo.

N. *Attuario*.

ADNOTATIONES.

1 DE ILLICITO INGRESSU. Hoc exprimitur ad demonstrandum, quòd non solùm Superiores, & Confessarii Regulares Monialium puniri possunt in casu in Formula supposito, sed toties, quoties ingressus in Clausuram juxtà formam præscriptam in Bulla, est illicitus; verùm est tamen, quòd circa hæc prudenter se gerere debet Ordinarius, & remissiùs agere ex officio pro ommissis, quàm pro commissis; quia mitiùs punitur delinquens in omittendo, quàm in committendo, *glos. in l.si mora ff.solut. matr.* & mitiùs contrà eum agitur per viam inquisitionis, quàm per viam accusationis, ut dicit Medic. *tom.1. in repet. cap. erit 4. dist.num.84. & 91. post tract.de legib.stat.* & præsertim ubi nullum oritur, nec oriri timetur scandalum.

2 Non tamen esset tolerandus, neque dissimulandus ingressus in Clausuram Confessarii; si fieret pro rebus, & casibus in Bulla non concessis, v.g.pro sepultura, pro benedictione Cellarum cum aqua lustrali, aut pro exorcizanda Moniali energumena, in nullo enim ex his casibus licitus est Confessario ingressus, sed illicitus, & punibilis, Nicol.*in flosc.in verb. sepultura num.6. in verb.Clausuram num. 27. & in verb.exorcismus num.2.*

3 Quando enim aliqua Monialis est exorcizanda, Sacerdos exorcista, sivè sit sæcularis, sivè Regularis, debet esse ad hunc actum ab Ordinario loci approbatus, & exorcizatio non intrà septa Monasterii; sed obtenta priùs à *Sacr. Congreg. Episcop. & Regular.* licentia (& non anteà) in Ecclesia exteriori Monasterii, clausis Janius coram eodem Confessario, & aliis fœminis honestis consanguineis, vel aliis provectæ ætatis, & probæ conversationis, eam comitantibus, est facienda: & exorcismo expleto, statim sine diverticulo reducenda est in Clausuram, juxtà modum præscriptum à *Sacr. Congreg. Concilii* in Decreto, quod per extensum referunt Barbos. *Apostol. decis. collect. 509. verb. Monialium Clausura circa egressum num. 5.* Tambur. *de jur. Abb. disp.24. quæst.4. num.1.* Pelizar. *de Monial. cap.5. num.67.* & Decreta *Sacr. Congreg. Episcop.& Regular.* eadem præcipientia congerunt Gavant. *in manual. Episcop. verb. Monialium cura spiritualis num.30.* & Nicol. *in flosc.verb. exorcismus num.2.* ubi *num.4.* quòd Ordinarius ad exorcizandum ingrediendi licentiam non concedit, & Sacr. Congregatio concedere non solet.

Antequam autem licentia exorcizandi Monialem ab Ordinario detur, debent 4
præcedere diligentiæ ad cognoscendum, an Monialis sit revera à Dæmone vexata: nam frequenter Mulieres Dœmoniacas se esse fingunt, licèt non sint, quarum exorcismi sunt Carceres, jejunia, & pœnitentiæ rigorosæ. Signa autem Dæmoniaci, quæ referuntur à Martino del Rio *disq magic lib.6. quæst.3. sect.2.pag. mihi 699.* regulariter & simpliciter sunt sequentia.

1 Linguam nigram, & tumidam multoties Dæmoniacus de ore contra naturam projert, inflatur guttur, vel distringitur angustè: ita ut videatur velle strangulari, sed tamen in suum pristinum statum redit.

2 Plorant Dæmoniaci nescientes quid plorent.

3 Cum ira, & contentione respondent interrogantibus.

4 Quandoque etiam coacti ut loquantur, nolunt loqui.

5 Claudunt dentes, & nolunt comedere.

6 Homines odio prosequuntur.

7 Multa dicunt, ex quibus minimè dignoscitur, quid velint innuere.

8 Opprimuntur sopore gravi.

9 Remanent tamquam sensibus destituti.

10 Se ipsos pugnis percutiunt, & vestes lacerant, & capillos.

11 Terribiles habent oculos, & horribiles.

12 Terrore repentino afficiuntur, & confestim terror ille recedit.

13 Diversorum animalium voces imitantur, & sic audiuntur rugitus Leonum, balatus Ovium, bovum mugitus, latratus canum, porcorum grunnitus, & similium.

14 Strident dentibus, & spumant, & S-

& signa alia ostendunt tamquam Canes rabidi.

15 Multoties exponunt se præcipitiis.

16 Discurrit aliquando per eorum corpora igneus, vel glacialis vapor.

17 Sentiunt per corpus signa, tamquam formicas discurrentes, ranas saltantes, viperas, serpentes, pisces natantes, muscas volantes, & similia.

19 Varia præter naturam vident, & audiunt.

19 Sentiunt sub manu Sacra Sacerdotis capiti superposita, vel ex Sacra lectione quid frigidissimum, vel calidissimum, vel grave.

20 Clamant cùm aliquas reliquias Sanctorum capiti superponis etiam occulatè, & dicunt: auferre istas à me, quoniam malè olent, vel sunt nimis graves, aut efflant, aut circumvolvunt caput, aut ipsas reliquias projicere student, aut contra ministrum, & stantes se iratos ostendunt.

21 Omnia spiritualia odio habent, à facie Sacerdotum, & præcipuè exorcistarum fugiunt, in Ecclesiam ingredi nolunt, & si ingrediantur ab ea statim fugere procurant, vel coronæ, vel spiritualium librorum tædet, cuncta benedicta, Sanctorumque Imagines, & maximè Crucifixi nolunt inspicere, nec deosculari, imò projiciunt, & in hæc omnia conspuunt.

22 Sacra verba proferre negligunt, qualia sunt -- *Miserere mei Deus*. *Qui habitat in adjutorio altissimi*. *Magnificat Anima mea Dominum*. *In principio erat Verbum*, & similia. Et si ea pronunciaverint balbutire student, vel verba corrumpunt, tædium grave demonstrant, & tandem ea perficere non possunt, & palam ita se Dæmoniacos ostendunt.

23 Sentiunt in aliqua corporis sui parte dolorem, & si super eum signum Sanctæ Crucis feceris, statim per corporis membra fugiet, sed si eidem dolori locum præcisum assignaveris, in ea corporis parte, in qua volueris, signo Sanctæ Crucis; Crucis patientia, & perseverantia adnotabis.

24 Cùm super Dæmoniacos Evangelia, Passionem Jesu Christi, conjurationes, & similia legeris, conturbabuntur, sensus occupabunt, intollerabiles etiam in illis anxietates, ac inflationes, vel guttas sudoris defluentes conspicies. Insuper stridores ad Cœlum usque mittent, prosternent se, ac similia facient.

25 Cùm audieris idiotas, & ignaros litterarum interpretari difficilia, aliorum manifestare secreta, pulsare, vel musicalia canere, aliqua prædicere, loqui variis linguis, & supernaturalia facere, absque dubio, signum erit Diabolicæ præsentiæ.

His signis, quæ communia sunt cunctis maleficis, vel peculiaria quibusdam, junguntur alia, quæ deducuntur ex qualitate morbi, & sunt sequentia. 5

1 Si moribus ægerrimè cognoscitur, ita ut Medici hæsitent, & ambigui huc, illuc animo agitentur, nec certi quidquam de illo audeant proferre.

2 Quòd remediis ex arte adhibitis, morbus se non remittat, se potiùs exasperetur, & augeatur.

3 Quòd more naturalium morborum, non crescat paulatim; sed frequenter statim ab initio, nullis peccantibus humoribus in causa existentibus cum gravissimis symptomatibus, & doloribus se morbus prodat.

Quòd valdè inconstans sit morbus, & rarò periodos naturæ servet, & licèt similis videatur naturalibus morbis, in multis tamen discrepet.

5 Multoties licèt ægrotans gravissimè doleat, in qua tamen parte doleat, nequeat referre.

6 Interdum ægri suspiria (quæ luctuosa vocant) absque manifesta causa emittunt.

7 Aliquibus appetitus rejicitur, aliqui cibos revomunt, & ventriculum ita malè affectum habent ut sepiùs astructione laborent, vel etiam pondus in ipso quoddam, quin, & rem aliquam per æsophagum modò ascendere, modò descendere percipiant & si in Superiorem partem delatum deglutire conentur omnem operam ludant, reipsa mox spontè desiliente.

8 In regione cordis punctorium dolorem percipiunt, adeò ut ipsum aliquando lacerari asserant.

9 In quibusdam circa collum arteriæ manifestè pulsare, & quasi tremere

mete comprehenduntur.

10 Alii sævo colli, seù renum dolore cruciantur, vel circa ventrem inferiorem torsiones acerbissimas, & sæpè flatum quendam frigidissimum per ventrem permeantem, & citò redeuntem, vel vaporem, uti flammam ignis calidissimè simili modo illos infestantem percipiunt.

11 Quidam ad venerem impotentes redduntur.

12 Consuevere quidam levibus Sudoribus præcipuè circa noctem corripi, quamvis tempore, & cura frigidiore.

13 Alii videntur habere particulas corporis veluti nexibus deligatas.

14 Morbi, quibus laborant veneficio læsi, sunt ut plurimum totiùs corporis quædam extenuatio, & macies, & virium imbecillitas cum summo languore, mentis stupiditas, quædam varia Melancholica deliria, diversa febrium genera Medicis multum negotii exhibentia, motus quidam convulsivi, unde epileptici videantur, membrorum quædam rigiditas speciem convulsionis præseferens. Aliquando omnes capitis partes tumefiunt, aut talem circa totum corpus lassitudinem percipiunt, ut vix ullo pacto se movere possint: Plerumque tota cutis, sed ut plurimum faciei, flavo, seù cinereo colore suffunditur. Aliqui habent oculorum palpebras adstrictas, ut eas vix aperire possint. Oculi sunt perlucidi, & transparentes, & nonnumquam quædam spectra, vel nubeculam inspicere videntur.

15 Veneficio affecti faciem Sacerdotis vix aspicere valent, nec oculis intentis ullo modo: album oculorum variis modis mutatur. Ægrotantes cùm instrumenta venefica comburuntur, solent in deteriùs mutari, vel noxam quandam recipere majorem, vel minorem pro ratione levioris, vel sævioris veneficii: itaut quandoque formidabiles clamores, & mugitus cogantur emittere: quòd si nullam mutationem, vel læsionem percipiant, erit de salute ægri benè speran dum.

16 Si fortè veneficus ad visendum ægrotum accedat, statim infirmus ingenti molestia afficitur, aliquo terrore, seù tremore corripitur: si sit puer statim plorat, oculi ad fuscum colorem mutantur, vel alia notatu digna in ægrotis mutatio observatur.

17 Quando pro curatione morbi quædam linimenta Sacra ad oculos, aures, frontem, & quasdam alias partes Sacerdos adhibet, si in partibus illis sudor, vel aliqua alia mutatio appareat, signum est veneficii. Hæc del Rio *loco citato pag.* 700. quæ signa non est necesse ut ipse ex *Codronco* ait, ut omnia in ægro inveniantur, sed sufficere aliqua pro diversitate morbi.

Quòd autem arte, & potentia Cacodæmonum, Deo permittente, hi, & alii mirabiles morbi procurentur, & causentur in corporibus humanis in vindictam scelerum impiis, aut in meritum coronæ piis: probat auctoritate Scripturæ, SS. PP. & DD. & exemplorum, Stengel. *mundi.theoritic.lib.*4. *cap.*18. *per tot.* ubi ait, negantes morbos nonnullos à Dæmonibus provenire, inter Ethnicos, & Atheos esse annumerandos. 6

Causæ autem, ob quas Deus permittit Dœmones introire in corpora humana, & ea vexare, sunt. 7

Primò ratione superbiæ, & enormitatis cujuscumque peccati, ut patet in *Saul.*1. *Reg.*15. quia omnes superbi sunt sub dominio Diaboli *Job.* 41.

Secundò, hoc accidit ex misericordia & bonitate Divina, ut in bonis hominibus, qui quandoque propter parva peccata, quæ Deus statim punit, à Diabolo possidentur: & hoc ut dicunt D. Thom. & D. Bonav. ad punitionem etiam peccati venialis, & habetur ex *dialog. Gregor.*

Tertiò accidit aliquando propter maledictionem, quam quandoque optat, vel imprecatur quis alteri, vel sibi ipsi.

Quartò Deus permittit hoc fieri ad nostram emendationem, ut terreamur Deum scienter offendere, ne fortassis nobis cras eveniat, quod hodie huic accidit.

Quintò accidit ad gloriam Dei, & Sanctorum Ostensionem, quando ipsi Sancti invocantur, & liberationem à Deo impetrant.

Has causas refert Jo: Herold. vulgo Disci-

Discipulus in *Sermon. Quadrag. in Dominica Oculi, serv.* 19. ubi ex Nicolao de Lira, quòd istarum rerum rationes, & causæ non latent propter hoc, quòd occulta sunt Dei judicia, & ideò non debeamus judicare de obsessis, quia filios, & filias Regni Cœlestis, Deus misericorditer quandoque hîc in præsenti punit, & præparat eos ad vitam æternam.

Item Deus permittit Energumenos pro confirmatione veritatis fidei Catholicæ, cujus soli Ministri cum exorcismis Dæmones à corporibus obsessis expellunt.

Prout nos denunciari mandamus. Denunciatio hujus excommunicationis non potest, nec debet suspendi per appellationem, quatenus interponeretur, quia casus Formulæ, in quo Ordinarius nec errare, nec denunciandum gravare potest, appellationem non admittit. Quidquid esset dicendum, si Ordinarius, Superiorem Regularem declarasset incursum, ob inobservantiam Bullæ in alia re, v. g. quia introduxerit secum in Clausuram Socium juvenem, vel Visitationem protraxerit post occasum solis vel refectionem sumpserit intrà septa, in his enim casibus, quia hæc ex inopinato accidenti, contingere, & fieri potuerunt, & sic Epicheja allegari possit, quæ excusset transgressorem ab incursu censurarum, si denunciandus à declaratoria appellaret, deberet Ordinarium denunciationem suspendere, quia potuit (rejiciendo legitimam excusationem) errare, & Superiorem Regularem denunciando gravare. At quando Superior visitat ante tempus, & ingreditur Clausuram intra annum à die ultimæ Visitationis, prætextu causæ necessariæ sine præsentia Episcopi, tunc delinquit in officio, à quo propterea est removendus, non autem pro commissis excusandus, ad tradita per Riec. *decis.* 289. *par.* 2. *per tot.*

De excommunicatione contenta in Constit. Gregorii XV. Sanctissimus in Bullar. tom. 4. *Const.* 9. *pag.* 80.

Ad removenda crebra dissidia, quæ oriebantur inter Ordinarios, & Conservatores Regularium; multifariè Summi Pontifices providere studuerunt, sed incassum: quia abusus jurisdictionis talium Delegatorum, quos recenset Fagn. *in cap. si Clericus num.* 38. *& plurib. seqq. de for. comp.* adhuc vigent. Quare Ordinarius si ad reprimendos eorum excessus cogatur ad censuras procedere poterit uti declaratoria sequenti.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA XLVIII.

ATtentis relatione nostri Promotoris Fiscalis, & juribus exhibitis, ex quibus constat N. instetisse coram N. *asserto Conservatore* PP. N. Ordinis N. pro ∴ ipsumque Conservatorem, inhibitione cum comminatione censurarum, nè ad ulteriora in causa damni dati contra d. N. in nostro Tribunali introducta procedatur (sivè præceptum de excarcerando concessisse *& exequi fecisse*, tam contra N. quàm in personas nostri Procuratoris Fiscalis & Cancellarii: imò arbitrorum electionem *Curiam nostram propositam*, *& oblatam* respuisse d. N. *partem instantem* in excommunicationem latæ sententiæ, & præfatum N. assertum Conservatorem *fines officii excedentem*, in pœnam suspensionis ab Officio per annum, juxtà dispositionem Bullæ Greg. XV. quæ incipit *Sanctissimus incursos declaramus*, *& denunciamus* & publicè per affixionem Cedulonum denunciari mandamus, omni &c.

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *De modo eligendi, qualitate, & durati one Conservatoris remissivè.*

2 *Regulares eligentes Conservatorem, debent electionis documentum exhibere Ordinario loci, & datur formula electionis.*

3 *Conservator electus, debet esse in dignitate constitutus, & simul Judex Synodalis.*

4 *Canonici Collegiata, etiamsi in dignitate sint constituti non possunt eligi in Conservatores.*

Fallit in Religione Hierosolymitana.

5 *Conservator, exequi faciens citationem cum comminatione Censurarum contra Curiam Episcopi, dicitur excessisse suas facultates, & num. 6.*

7 *In controversiis ortis inter Curiam Ordinarii, & Conservatores super competentia jurisdictionis debent eligi Arbitri.*

9 *Arbitri hujusmodi recusari non debent: quia assumuntur de necessitate.*

9 *Respuens Arbitrorum electionem, si procedat ad ulteriora, nulliter agit.*

10 *Arbitrum eligens Ordinarius, electionem notificare debet Conservatori cum inhibitione, & datur formula electionis, & intimationis, & num. 11.*

12 *Arbitri eligi debent, de consilio, in numero dispari.*

13 *Arbitri dum assumuntur in forma juris, compelli possunt ad acceptandum munus.*

14 *Arbiter in rebus Ecclesiasticis debet esse Clericus.*

15 *Pars, quæ instetit, & procuravit, ut Conservator suam potestatem excederet, excommunicationem incurrit Papalem, à qua non absolvitur satisfacta parte à simplici Confessario.*

16 *Censuræ lata à jure, & Papa non reservata, absolvuntur ab Episcopo, non autem à Confessario.*

17 *Conservator non potest se ingerere in causis, quæ non respiciunt manifestas injurias.*

18 *Conservator non cognoscit de injuriis illatis familiaribus Regularium.*

19 *Coloni Regularium damnum dantes conveniuntur coram Ordinario, qui illos carcerare potest.*

Amplia in Colonis Religionis Hierosolimitanæ, & n. 20. & 21. ubi declaratur, & enucleatur conclusio.

23 *Pro damno illato ab Animalibus, potest mandato Judicis, Custos in carceribus detineri, & declaratur doctrina Panimolla.*

23 *Conservator excedens fines suæ facultatis, de jure communi suspensionem ab Officio Ordinis, de jure novo Suspensionem ab Officio Conservatoris incurrit.*

24 *Conservator non se ingerit in causis dubiis, nec simplicem injuriam, sed notoriam defendit, & n. 25.*

26 *Conservator, quas injurias defendat, ostenditur.*

27 *Ordinarius, punit Conservatorem in excessibus dolosis, etiam censuris.*

28 *Conservator, qui Arbitros recusat, & in causa vult procedere, quomodo sit monendus, ostenditur.*

Denunciationis.

FORMULA XLIX.

HIC auctoritate ordinaria declaratur, & denunciatur excommunicatus N. ex eo, quia conventus in nostro Tribunali pro emendatione damni studiosè per eum dati in bonis N. jurisdictionem nostram eludere volens adiit N. ass. conservatorem Regularium N. N. quorum, ut asseritur, est Colonus, & ut offi-

cii sui limites excederet, prout excessit, institit, & procuravit contra expressam prohibitionem Constit. Apostolicæ Greg. XV.

Nec non per caput separatum declaratur, & denunciatur suspensum per annum ab Officio Conservatoris N. ex quo suas facultates excessit, & nostram jurisdictionem læsit, & turbavit. Ut igitur d. N. ab omnibus evitetur, & ass. Conservatorem suspensum esse sciatur præsentes &c. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

VEL

CON autorità ordinaria si dichiara, e denuncia scommunicato N. perche convenuto nel nostro Tribunale per l'emenda del danno dato da lui studiosamente ne i beni d. N. volendo eludere la nostra giurisdizione, è ricorso al Conservatore de' PP. N. de quali dice esser Colono, & ha procurato, che quello faccia atti giudiziali non competenti alla di lui giurisdizione, sì come ha fatto, contro l'espressa prohibizione delle Constitutioni Apostoliche.

Ed in oltre si denuncia sospeso per un anno dall'Officio di Conservatore N. per havere in d. Causa ecceduto i limiti della sua podestà, e leso, e turbato la nostra giurisdizione. Che però &c.

N. Vescovo N.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

1 ASSERTO CONSERVATORE. De modo eligendi, qualitate, duratione, & potestate Conservatoris electi, traditur in hac Constitutione, quam per extensum dedi *tom. 1. in Appendice pag.* 302. ubi plura circa hæc nota sunt, hic autem alia, quæ ad censuras in ea inflictas pertinent addenda erunt, præter modum eligendi.

Regulares propterea quatenus velint gaudere privilegio Conservatoriarum eis à pluribus Summis Pontificibus concesso, tenentur Conservatorem habentem requisita ibi enumerata in singulis Diœcesibus eligere, & sibi assumere, & postea electionis documentum authenticum penes acta Curiæ Ordinariorum locorum exhibere, & dimittere: quòd si non fecerint, coram eisdem Ordinariis conveniendi erunt; formula autem talis electionis poterit esse sequens. 2

FORMULA I.

CUM inter cætera à S. Apost. Religiosis concessa, hoc unum præcipuum sit, ut possint sibi eligere Conservatorem, qui Apostolica auctoritate, & jurisdictione valeat, & debeat reprimere, & compescere quamcumque personam prædictis Religiosis, eorumque Monasteriis ac bonis injuriam, & violentiam inferentem: hoc sanè privilegio uti volentes, & peroptantes.

„ Nos infrascripti PP. Monasterii N. in unum Capitulariter congregati ut

juris

„ juris, & moris est, hodiè quæ est ∴∴ mensis ∴∴ anni ∴∴ præsentium „ serie tenore, & vigore, eligimus, deputamus, nominamus, & constituimus Conservatorem privilegiorum hujus nostri Monasterii N. & omnium Religiosorum habitantium in eo per Sedem Apostolicam quocunque modo „ concessorum, & elargitorum, N. J. U. D. Archidiaconum Cathedralis N. „ in Dignitate Ecclesiastica constitutum, ac Judicem Synodalem ejusdem Diœcesis, qui valeat pro tuitione, defensione, & manutentione jurium dicto „ Monasterio, & Religiosis competentium, & competiturorum procedere, „ juxta statuta per Sac. Canones, & Apostolicas Sanctiones hac in re manatis: „ transferentes in eum, quantum in Nobis est, & ad nos pertinet, plenam, & „ liberam facultatem, & authoritatem similibus Conservatoribus de jure, vel „ de consuetudine competentem per quinquennium tantùm duraturam. In „ quorum fidem subscripsimus manu propria in Conventu S. N. loci N. die, & „ anno, quo suprà.

Ego Fr. N. Prior Conventus eligo ut suprà.
Ego Fr. N. Magister Sac. Theologiæ eligo ut suprà:

Loco ✠ Sigilli Monasterii.

(& sequantur aliorum subscriptiones)

Advertant prætereà Electores quòd
3 eligendus non solùm debet esse in aliqua dignitate constitutus, sed etiam copulativè requiritur, quòd sit Judex Synodalis, ut expressè habetur in hac Constitutione §. 2. ibi -- *itaut Dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Cathedralium Canonici existant: sed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis juxtà Decretum Concilii prædicti Judices electi, seù designati sint*. Et ideò Canonici Collegiatæ, etiamsi sint
4 in Dignitate constituti, & Doctores, quia constitui non possunt Judices Synodales, in Conservatores eligi non poterunt, ut de veriori Barb. *de offic. & pot. Episc. alleg.* 106. *num.* 12. tenet, quem sequitur in pluribus aliis allegatis Donat. *prax. rer. regular. tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 17. *de Conservat. quæst.* 28. *num.* 2. 3. & 4. Nisi tamen agatur de Religione Hierosolymitana, quæ ex indulto Alexandri Papæ VII. concesso 17. Maji 1655. personas Ecclesiasticas in Conservatores eligere potest, etiamsi in Conciliis Provincialibus, vel Diœcesis, Judices designati non sint.

Et exequi fecisse. Hoc enim sufficit,
5 ut dici valeat quòd Conservator in suis facultatibus excesserit, & pœnam suspensionis ab officio incurrerit: quia cùm executio citationis sit actus jurisdictionis contentiosæ, & de judiciali processu. 6
Fagnan. *in cap. conquesti num.* 55. *de feriis*. Lædit jurisdictionem Ordinarii: & facta cum comminatione censurarum, infert injuriam, & gravamen irreparabile, ut mederi non possit, nisi per appellationem, Fagnan. *in cap. super eo il* 2. *num.* 47. *de appellat.* nisi illico ex ignorantia, & inadvertentia id evenisse constaret, aliàs scienter fecisse præsumitur, ut in terminis advertit Bonac. *de excomm. extrav. Bull. Cæn. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 15. *num.* 11.

Per Curiam nostram propositam, & 7
oblatam. Quia controversiæ, & scandala, quæ in dies oriuntur inter Conservatores Regularium, & Ordinarios locorum, ut plurimum procedunt ex imperitia eorumdem Conservatorum, ut observat Fagnan. *d. cap. si clericus num.* 55. *de for. comp.* ideò in d. Const. Gregorii provisum fuit, quòd si quæ inter Judices Conservatores hujusmodi, & locorum Ordinarios controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit: *nequaquam* (sunt verba Bullæ) *in causa procedatur, donec per Arbitros in forma juris electos super jurisdictionis competentia,*

fuerit

fuerit judicatum. Unde si talis dispositio servabitur, prout servatam hic suppono, clausum erit ostium Scandalis.

8 Hæc autem Arbitrorum electio, quoties ex parte Ordinarii, vel ex parte Conservatoris proponatur, recusari non debet, quia assumuntur de necessitate, & dicuntur Arbitri juris, ut ex recitatis verbis ibi -- *in forma juris electos*, & habetur quoque dispositum à Conc. Trid. *sess*.14.*cap*.5. *de reform*. Pasqual. ad Lauret. de Franc. *p*.1. *num*.853. imò puto, quòd facta propositione, si respuatur, & negligatur Arbitrorum electio, actus jurisdictionis, electionem recusantis deinde subsecuti, nulli sint: quia verba illa Constitutionis -- *nequaquam in causa procedatur donec &c.* quæ idem important, quòd si diceret -- *nullo pacto, nullo casu, nulla ex parte*, ut docet Barbos. *dict*.212. videntur habere vim præcisæ prohibitionis, & æquipollere clausulæ *nullatenus*, quæ nullitatem actus ipso jure inducit, idem Barb. *dict*.226. *num*.4. Rot. coram Dunoz. jun. *decis*.732. *num*.25. maximè juncta dictione illa *donec*, quæ de per se facit conditionem, Barb. *dict*.93. *num*. 12.

Ideoque Ordinarius quoties inter ipsum, & Conservatorem de jurisdictione contentio fit, præveniendo inconvenientia, & Scandala, eligat Arbitrum, & posteà electionem denunciet Conservatori, ut in illum consentiat, vel alium eligat, cùm inhibitionem, nè in causa procedat, donec de pertinentia cognitionis ab Arbitro electo judicetur, talis autem electio, sic erit facienda judicialiter.

F O R M U L A LI.

Die .....

Comparuit coram Dominatione Vestra Illustrissima Promotor Fiscalis hujus Curiæ, & habita notitia quòd N. assertus Conservator PP. N. Ord. „ N. Monasterii N. se jactat Censuram inter N. & N. vertentem velle cognoscere „ & judicare & de facto monuit .·.·. licèt cognitio omnimoda pertineat ad hanc „ Curiam, nè eveniant scandala, instat ad formam Constitutionis Greg. XV. „ eligi Arbitrum, vel Arbitros, qui prætensionem, & controversiam hanc ju- „ risdictionis dirimat, & posteà electionem factam d. Conservatori intimari „ cum inhibitione, nè in causa prædicta audeat procedere sub pœnis &c.

„ Qui Illustrissimus D. attentis expositis, ex parte sua, & hujus Curiæ in cau- „ sa suprà expressa nominavit, & elegit, nominat, & eligit in Arbitrum N. „ J. U. D. qui Judicis partes in d. causa suscipiat, & per suam sententiam ser- „ vato juris ordine controversiam de competentia jurisdictionis in ea inter hanc „ Curiam, & ass. Conservatorum obortam dirimat, & dicto Conservatori in- „ timari mandavit cum inhibitione, nè interim nihil innovet sub pœnis cen- „ surarum, Hac die .·.·.

N. Episcopus N.

N. *Actuarius*.

Intimationis.

F O R M U L A LII.

Intimetur N. Conservatori asserto Monasterii N, & illius Religiosorum Ordinis N. qualiter in Causa .·.·. vertente inter N. & N. Curia Episcopalis ele- „ git & nominavit in Arbitrium N. Clericum J. U. D ut in controversia ex

„ orta

„ orta jurisdictionis super cognitione d.Causæ, Judicis partes suscipiat, & per „ suam Sententiam d.controversiæ finem imponat servato juris ordine, juxta „ formam præscriptam in Constitutione Greg.XV. *Sanctissimus:* ideò monetur „ idem ad conveniendum, & consentiendum d.electioni; vel ad alium, aut a- „ lios Arbitros ad eundem effectum nominandum, & eligendum quamprimum, „ & interim sibi inhibetur, nè in dicta causa nil innovet sub pœna in d. Con- „ stitutione contenta instante Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis &c.

11 Hac eadem formula uti poterit Conservator, quando ipse Curiam Episcopalem in electione prævenit, absque tamen inhibitione, quia in casu dubio, & controverso, Conservator nullam habet præsumptionem boni juris, sicut habet Ordinarius, qui jus, & potestatem habet legitimam cognoscendi de omnibus causis. Proponitur autem in formula electio unius tantùm Arbitri, & non
12 plurium: quia Arbitri debent eligi in dispari numero, & sic vel unus tantùm, vel tres juxta *text.in cap.1. de arbitr.* ad hoc, ut si non omnes in judicando consentiant, saltem major pars reperiatur, cujus arbitrio stetur: nam alioquin si in pari numero eligantur, facilè est quòd sine exitu res futura sit, & arbitrium impediatur propter hominum facilitatem ad dissentiendum, ut monet *glos. in d.cap.1. vers. unius eligatur*, & sequitur Pirhing.*in jus can.lib.1. tit.43. num.* 32. hoc tamen non est de necessitate, sed de consilio: quia si eligantur duo Arbitri valida erit electio: qui duo si non concordent: tertius erit eligendus *glos. in d. cap.1.de arbitr.* – non tamen à partibus, sed ab ipsis Arbitris discordantibus, ut habetur in *cap. suspicionis 39. de offic. & pot. jud deleg.* Passerin.*in cap.fin.num.*244. *tit. eod. in* 6.

13 Et est notandum, quòd hi Arbitri, cùm eligantur in forma juris, & sic habeant jurisdictionem, qui assumuntur ex præscripto citatæ Bullæ Gregorii, compelli possunt ad hoc munus suscipiendum: nam sicut munus judicandi est necessitatis, & necessariò acceptari debet *l. munerum* 18. §. *judicandi*, *ff. de muner. & honor.* ita, & hoc munus arbitrandi, seù judicandi, prout argumentatur Pirhing.*loco supra citato num.*4. Mihi autem videtur consultius, quòd unus tantùm de consensu eligatur, quia ita faciliùs, & celeriùs res erit expedita, qui debet esse clericus, quia non decet ut laicus 14
in rebus Ecclesiasticis arbitretur, Pirhing. *ibid. num.*20.

Partem instantem. Idest persona, seù 15
personæ, quæ faciunt partem in judicio, sivè actores sint; sivè rei, non autem cæteri: quia tam *text.in cap.fin. de offic. & pot. deleg. in* 6. quàm Constitutio Gregorii loquuntur de sola parte, quæ procuravit, ut Conservator scienter suam potestatem cum effectu excederet, quæ censuram excommunicationis Papalem incurrit, à qua absolvi non potest – *nisi ei, quem sic fatigavit indebitè, primò satisfaciat integraliter de expensis* sunt verba præcisa *text. in d.c.fin.* ubi Barbos.*num.* 29. Bonac.*de censur.extr. bull.cœn. disp.* 2.*quæst.*2.*punct.* 35. *num.*2. Donat.*loco supra citato quæst.*43.*num.*2. ubi cum Bonac. *num.*5. asserit, quòd hæc censura post satisfactionem evadat Episcopalis, & possit absolvi à quocunque approbato Confessario, ex quo in textu non legatur reservata: quod dictum non admitto, teneoque absolvi reum non posse, nec deberi à simplici Confessario, nisi ex delegatione Episcopi, prout tenet Barb. *in d.c.fin.num.*22.quia Confessarius scire non potest quantitatem expensarum, & ea verè pars fuerit integraliter satisfacta, nec debet credere assertioni pœnitentis: & etiam quia censuræ latæ à jure, & Papæ non reservatæ, censentur reservatæ Episcopo, non autem simplicibus, 16
Confessariis, ut latè ostensum fuit in *prælud.in tit.de censur. excomm.* §.1. *ver. una enim sententia*, Sayr.*de censur.lib.*2. *cap.* 19. *num.*2. ubi hæc habet – *ab omni excommunicatione jure Pontificio, aut Synodico lata, quæ nemini reservatur, & etiam ab omni excommunicatione hominis generaliter lata absolvere potest in foro exteriori Episcopus proprius, & omnis Prælatus pro-*

proprius, habens jurisdictionem fori exterioris &c. quia cùm legislator ejus absolutionem sibi specialiter non retinuerit, videtur tacitè absolutionem suis similibus, & consequenter propriis Episcopis, & Prælatis: & proindè absolutio data, & obtenta à Confessario nihil prodesit in foro externo.

17 *Fines officii excedentem*. Excedit officium suum Conservator, quando se ingerit in causis, quæ non respiciunt manifestas injurias, & violentias, quæ de facto inferuntur Religiosis, aut bonis Monasterii, ad quas restringitur jurisdictio, ut habetur expressè in *d. cap. fin. de potest. Jud. delegat. in* 6. ubi DD. communiter: nec ullo modo extenditur

18 ad cognoscendum de injuriis illatis eorum familiaribus, & agentibus: quia antiqua nonnullorum Regularium privilegia Conservatoriarum, quæ fortè talem facultatem tribuebant, tum à Concilio Trid. tum à d. Constitutione Gregorii in hac parte abrogata fuerunt, ut ingenuè fatetur contra suos Donat. *prax. rer. regular. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 17. *de Conserv. quæst.* 14.

19 Ideòque si eorum Coloni accusentur, & conveniantur in Tribunali Ordinarii Ecclesiastici pro damno dato (qui est casus figuratus in formula) sive illato sine dolo, sive illato dolosè, & studiosè, non potest Conservator se ingerere, etiamsi Colonus carceretur: quia Colonus non est bonum mobile Monasterii: & quo ad Animalia damnificantia, tunc posset procedere, si extent propria Monasterii, quando nullum damnum intulissent, vel si intulerunt, Regulares essent parati satisfacere, dantes sufficientem cautionem & tamen animalia detinerentur, quia tunc fieret violentia eorum bonis, ut inquit Donat. *loco citato quæst.* 13. *num.* 1. Et hæc procedunt etiam in Colonis Militum Hierosolymitanorum, qui habitant in Domibus ruralibus alicujus Commendæ: nam hi, cùm non habeant requisita *Bullæ Gregorii XIII. la* 67. subjiciuntur Ordinario, ut probant Pignat. *consult.* 23. *per tot. tom.* 2. ubi *num.* 4. Decretum S. C. Concilii refert, & Card. de Luc. *disp.* 4. *de jurisd.*

20 Nec dici potest, quòd si Colonus detineretur pro damno dato in carceribus inferretur saltem indirectè præjudicium bonis Monasterii propter ejus absentiam, ad quod evitandum valeat Conservator se ingerere, & illum è manu Judicis Ordinarii vindicare, quia talis ratio suffragaretur, quando captura demandata esset per Judicem laicum, qui sicuti non debet, nec potest pro damno illato retinere animalia Ecclesiasticorum ita nec Custodem, sive Colonum carcerare, ne per indirectum lædatur immunitas Ecclesiastica, & præjudicium inferatur Ecclesiæ, ad tradita per D. Raynald. *observ. crim. tom.* 2. *cap.* 15. §. 4. 5. & 6. *num.* 92. & 93. non autem in casu formulæ: quia cùm causa 21

damni dati sit criminalis, ut absolutè tenet idem Raynald. *loco citato num.* 80. præsertim quando damnum fuit dolosè illatum, R.P. D. Zaul. *ad stat. Favent. tom.* 2. *rubr.* 8. *num.* 12. & illam cognoscere privativè spectet ad Judicem Ecclesiasticum juxta generale Decretum Sacr. Congreg. Immunit. à me relatum *tom.* 2. *tit.* 15. *annot. ad form.* 4. *num.* 10. ritè, & rectè potest Ordinarius absque injuria, Custodem, sivè Colonum detinere, & carceribus mancipare, nec præjudicium Monasterio inde proveniens causatur facto Judicis jure procedentis, sed provenit ex culpa, & delicto ipsius Coloni.

Nec minùs objici potest, quòd pro damno illato ab animalibus non sit de- 22

veniendum ad capturam Custodis, sed priùs sint experienda alia remedia juris, ut dicit Panimoll. *decis.* 12. *annot.* 8. *num.* 11. Quia hic Auctor est intelligendus juxta terminos auctoritatum, quas allegat Rot. *decis.* 602. *num.* 7. coram Cerro, & coram Dunoz. jun. *decis.* 498. *num.* 22. & *sæpè alibi.* Surd. *autem cons.* 561. *num.* 27. *lib.* 4. & Gratian. *discept.* 80. *num.* 3. ab eo allegati, solùm firmant, quòd pro damno dato, non datur detentio animalium quando adest notitia cujus sint animalia quæ damnum dederunt, & quòd multò minùs liceat retinere personas, & dominos animalium, tum quia hoc esset auctoritate propria sibi jus dicere, quod non permittitur: tum nè violetur jurisdictio jus dicentis, cùm pignora capere sit species jurisdictionis: tum quia Domino prædii damnificati est consultum per

per aliam actionem, quàm per retentionem, nisi adsit Statutum, vel Consuetudo contraria, ut videre est apud Surd. & Grat.*d.discept.*80.*num.*4. 5. *&* 6. & sic istæ auctoritates loquentes de retentione facta auctoritate privata partis, non solùm præmissis conclusionibus non obstant, sed mirificè favent, & infirmam reddunt propositionem Panimollæ.

23 *Incursos declaramus, & denunciamus.* Licèt jure communi inspecto Conservator excedens suas facultates, non solùm ab officio Conservatoris, sed etiam ab officio ordinis suspensionem incurrat, ut notant DD.*in d.cap.fin.de off.& pot.jud. deleg.in* 6. hodiè tamen jure novo attento d.Constit. Gregorii XV. ab officio tantùm Conservatoris suspensus remanet, Passerin. *in d. cap.fin.n.*39. quæ pœna, sicut, & alia excommunicationis, quoad partem procurantem, cùm sint latæ sententiæ, ritè possunt ab Ordinario denunciari, & non solùm in casibus, in quibus clarum est Con-

24 servatores jurisdictionem non habere: sed etiam in aliis causis dubiis, & requirentibus altiorem indaginem, in quibus se ingerere non possunt, ut advertit Pithing. *in jus can.lib.*1. *tit.*29.*nu.*209. *&* 211. imo cognoscendo de injuria simplici, quam Conservator non defendit, sed qualificatam

25 tantùm, hoc est notoriam Ricc.*dec.Archiep.Neap.*258.*nu.*9. *& seqq.par.*2. Donat. *loco supra citato quæst.*8. *num.*24.

26 Cùm enim Conservatoriæ sint odiosæ, & restringendæ, injuria, de qua loquitur *tex.d.cap.fin.* non sumitur largè, hoc est pro omni eo, quod non jure fit, & damnum causat Regularibus, sed strictè, propriè, & specificè pro injuriis, quæ fiunt violentia, aut contumelia, scilicet per vim aliquid auferendo, à possessione expellendo, ad aliquid faciendum, quod spontè quis non erat facturus compellendo, vel pacificam possessionem perturbando, ut benè hæc advertit notabiliter Donat. *loco sæpè citato quæst.*8. *num.*5. *& seqq. qu.*11.*num.*6. *qu.*16. *num.*1. *& qu.*26.*num.*2.

Porrò Ordinarius non solùm Conservatorem in pœnam Constitutionis incursum potest denunciare, sed ulteriùs si excessus esset dolosus, præsumptuosus, eum, tanquam usurpatorem jurisdictionis Ordinariæ in Censuram Bullæ Cœnæ incursum proclamare deberet Donat.*loc.cit.q.*42.*n.*5. Pignat.*consult.*24.*num.*8.*tom.*2.Ventrig. *in prax.par.*1.*annot.*27.*n.*10.vel etiam iterum excommunicare, cùm ratione offensæ jurisdictionis fiat subditus Barbos. *de officio & pot.Episc.alleg.*106.*n.*37. *in fin.*Donat.*d. qu.*42. *num.*6. Et sic juxta excessus circumstantias manus aggravanda erit.

Quatenus autem in casu controversiæ Conservator Arbitros, ut suprà, propositos eligere recusaret, monendus erit sic *Ad desistendum à prosecutione processus in causa .·.· & in termino .·.·. revocandum, & cassandum omnia acta hucusque per eum gesta, aliàs termino elapso, & actis non revocatis, die immediatè sequenti compareat ad dicendum causam quare non debeat declarari suspensus ab officio Conservatoris per annum, & tanquam usurpator jurisdictionis ordinariæ incursus in excommunicationem in Bulla Cœna &c.* Hæc autem monitio semper præmittenda erit, quando excessus non sit notorius ut in casu formulæ vel periculum non sit in mora, aut scandalum timeatur, in his enim casibus poterit ommitti, Passer. *in d. cap. fin. num.*196.

FOR-

FORMULARIUM LEGALE PRACTICUM

Fori Ecclesiastici.

PARS TERTIA.

TITULUS II.

De Censura Suspensionis in particulari.

De suspensione, seù depositione contenta in cap. omnis utriusque sexus de pænit. & remiss.

Contingit (licèt raró) aut ex Confessoris levitate, aut ex ejus lubrica linguæ loquacitate, aut humanæ naturæ (quæ prona est ad malum) infirmitate, confessionem Sacramentalem directè, vel inditectè revelari: ideoque, quia materia gravissima est, & exemplaris: Ordinarius, habita criminis patrati notitia etiam ex officio contrà revelantem procedere non omittat, reoque sine strepitu vocato, & audito, si de delicto non plenè, vel si plenè, non tamen malitiosè, & ex proposito, sed ex levitate revelasse constet, ab audiendis confessionibus eum suspendat, & etiam in aliam pœnam extraordinariam condemnet, præmissa sequenti declaratoria.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA I.

V*isa in ormatione capta* super sigilli Sacramentalis fractione, & Confessionis revel atione per Presbyterum Confessarium N. facta, eoque vocato, & in defensione sua audito, *attento quòd constet* sigilli Sacramentalis fractionem non ex proposito, *sed ex levitate*, & inadvertentia licèt culpabili, sine damno pœnitentis processisse; dicimus, & declaramus prænominatum N. esse perpetuò ab audiendis Confessionibus, nec non à Divinis per annum suspendendum, prout nos vigore præsentium perpetuò à Confessionibus, & respectivè per annum à Divinis suspendimus, & suspensum denunciamus, & *hanc sententiam eidem intimari mandamus &c.*

N. Episcopus N.

N. *Actuarius*.

SUMMARIUM.

1 *Criminis fractionis sigilli confessionis cognitio, pertinet privativè ad Episcopum.*

2 *Episcopus, in quibuscumque delictis ad suum forum spectantibus, procedere potest ex officio.*

3 *Judex absque sacrilegio non potest procedere pro delicto revelato à Confessario.*

4 *Fractio sigilli confessionis respicit non tantum pœnitentem, quam ipsum Sacramentum, cui per revelationem fit injuria.*

5 *Delictum revelationis confessionis, quomodo probetur, & qua pœna puniatur, ostenditur, & num. 6. 7. 14. 15.*

8 *Licentia pœnitentis data confessario revelandi peccatum, debet esse libera, & expressa, & non debet ea uti nisi ex causa gravi, & num. 9.*

10 *Confessarius, non debet uti scientia peccati pœnitentis, quam habet aliunde, nisi in re gravi, & magna necessitatis.*

11 *In violatione sigilli Confessionis non datur parvitas materiæ.*

12 *Sigillum confessionis durat etiam post mortem pœnitentis.*

13 *Confessarius Regularis, si sit fractor sigilli confessionis, punitur ab Episcopo jure delegato.*

14 *Duo testes singulares, probant revelationem confessionis.*

16 *Processus, contra Confessarium fractorem sigilli, debet construi secretò, & datur modus servandus, & n. 17.*

18 *Inquisitus, & condemnatus de crimine fractionis sigilli Confessionis, an appellet, ostenditur.*

ADNOTATIONES.

1 VISA INFORMATIONE CAPTA. Cognitio criminis revelationis confessionis, & fractionis sigilli, ad Episcopum privativè pertinet: nec Tribunal S. Officii in hoc se ingerit, nisi in casu, quo Confessarius crederet licitam esse revelationem secreti Sacramenti, vel aliunde esset de hæresi suspectus, ut de praxi testatur Caren. *de Sanct. Offic. par. 2. tit. 17. §. 23. num. 91. & seqq.*

Hunc autem processum potest, & debet Episcopus, sive ejus Vicarius construere remedio inquisitionis ex officio, etiamsi Confessarius de revelatione non accusetur: quia interest bono Ecclesiæ, ut hoc crimen non relinquatur impunitum: nec in dubium revocatur, quòd Episcopus in quibuscumque delictis ad suum forum spectantibus, procedere potest ex officio, ut de consuetudine generali testantur Farinac. *de inquisit. quæst. 1. num. 9. & 10.* ibique Vulpin. *nu. 3.* Conciol. *resol. crimin. vers. inquisitio resol. 1. num. 1.* ubi concordantes communiter. 2

Nec processum retardare debet reflexio quòd cùm sigillum confessionis sit inductum jure positivo Ecclesiastico favore pœnitentis, non possit de illius violatione inquiri, nisi ejusdem Sacramentaliter confessi interveniat consensus, seù querela, cùm ejus intersit, ne sua peccata detegantur in foro, & publicentur, quia tunc fieret injuria pœnitenti, & Sacramento, quoties Judex indicio habito revelationis Sacramentalis, vellet processum instruere, & agere, pro peccato, seu delicto revelato contra ipsum Sacramentaliter confessum, aut illius complicem quod absque sacrilegio, & fractione sigilli facere non posset, & ab hoc omninò abstinere debet, ut tradunt Caren. *loco citato num. 88.* Lazar. *quæst. can. sect. 2. quæst. 17. num. 6.* Malder. *in opusculo de sigill. confess. cap. 27. pag. 177. & seqq.* del Rio *disq. mag. lib. 6. sect. 2. §. Ex hoc autem pag. 657.* Navar. *in manual. Conf. cap. 8. num. 7.* 3

Secus autem quando Judex procedit contra Confessarium sigilli violatorem, quia tunc jus pœnitentis, non læditur, imò vindicatur, dum injuriæ sibi illatæ per revelationem, paratur vindicta: Et licèt sigillum confessionis sit inductum favore pœnitentis, tamen principaliter jure Divino ex Institutione Christi respicit Sacramentum, de cujus ratione, & substantia est quòd sit secretum, Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 38. num. 14.* & sic quàmvis pœnitens possit favori suo renunciare, dando scilicèt facultatem Confessario, ut possit ex aliqua justa, & gravi causa peccatum confessum manifestare, ut 4

ut contrà Scot. tenent cum D. Thom. *in summ. supplem.* 3. *par. quæst.* 11. *ar.* 4. communiter DD. morales: non potest tamen præjudicare rationi Sacramenti, neque impedimenti esse, quòd pro injuria gravissima eidem Sacramento per revelationem peccati illata, Confessarius contra bonum commune non puniatur, & quæ ad utilitatem publicam instituta sunt frustrentur, Amen. *de dilect. & pœn. tit.* 8. §. 4. *abusus in confessione num.* 10. & 11. D. Ursay. *Instit. crim. lib.* 1. *tit.* 10. §. 2. *num.* 154.

5 Dubium igitur solùm oritur circa probationem delicti, & pœnæ mensuram, in quo dubio solet adhiberi distinctio: aut enim pœnitens objicit Confessario revelationem confessionis, & tunc onus probandi se revelasse de licentia ipsius pœnitentis, vel peccatum revelatum scivisse aliundè, incumbit Confessario, præsertim quando ex revelatione sequitur detrimentum pœnitentis, vel alterius: nam tunc præsumptio stat contrà eum, ut sigillum confessionis servetur illæsum: Undè ut Confessarius pœnas fracti sigilli, & suspensionis, ac molestiarum evitet periculum; cautela datur, ut licentiam revelandi in scriptis à pœnitente recipiat, Biss. *Hierurg. lit.* 5. *num.* 145. §. 5.

6 Aut revelatio confessionis objicitur à tertio, & tunc accusanti incumbit onus probandi, Confessarium revelasse absque licentia pœnitentis, si ipse Confessarius asserat illam habuisse: defectum autem licentiæ tertius accusator probabit, ostendendo Confessarium revelasse simpliciter coram pluribus, nihil addendo de licentia revelandi: Confessarius verò tunc poterit se tueri, vel pœnitentis attestatione, vel ostendendo se, quod manifestavit, extra confessionem accepisse: quòd si hoc probare uno, aut altero modo non valeat, tunc licèt ei non sit credendum, adhuc non pœna ordinaria perpetuæ depositionis, aut ultimi supplicii, sed extrà ordinem erit puniendus arbitrio Judicis, ut tradunt Menoch. *de arbitr. cas.* 414 *n.* 8. Ricc. *dec.* 190. *n.* 4. *par.* 1. Graff. *dec. aur. par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 16. Bellet. *disq. cler. par.* 2. *de pœn. cler.* §. 31. *num.* 14. & 15. Bonac. *de Sac. pœn. disp.* 5. *qu.* 4. *sect.* 5. *punct.* 2. *nu.* 4. Nicol. *lucub. can. lib.* 5. *tit.* 38. *num.* 81. Matt. del Rio *disq. magic. lib.* 6. *sect.* 2. §. *penult. pag. mihi* 658. ubi arbitratur, quòd si desint testes, Confessario bonæ famæ asserenti cum juramento id, quod revelavit resciviffe extrà confessionem, credendum sit, & eum sequitur Lazar. *qu. can. sect.* 2. *qu.* 17. *num.* 3. *in fin.* quæ opinio fortè amplecti poterit in praxi, quoties aliud non occurrat, quod contrà revelantem præsumptionem augeat, Malder. *de sigill. confess. cap.* 11. §. *Illud certius*.

Et ex his evincitur, quòd cùm ad accusandum Confessarium de revelatione Sacramentalis confessionis admittatur tertius, ut volunt mox citati DD. nullus exigitur consensus pœnitentis, cujus peccata revelavit, in fabricatione processus: & fit palam quòd Judex ex officio de hoc crimine potest inquirere, & si pœnam ordinariam taxatam *in cap. Sacerdos de pœnit. dist.* 6. & *in d. cap. omnis utriusque sexus de pœn. & remiss.* ob defectum plenæ probationis, vel perfectæ consummationis delicti, irrogare non valet, secundùm casuum circumstantias, pœnam minuere potest, & infligere, Biss. *hierurg. lit. P. num.* 156. §. 1 Fagnan. *in cap. officii num.* 41. *de pœnit. & remiss.* 7

Et est notandum, quòd licentia pœnitentis revelandi suum peccatum (quam ad sui libitum revocare potest, Nicol. *loco sup. cit. d. n.* 53.) debet esse libera, & spontanea, & nullo modo precibus extorta: debet esse expressa, non tacita, seù virtualis, præsumpta, aut interpretativa: debet dari ex causa justa, & magni momenti, ut puta boni publici, aut corporalis, vel spiritualis boni pœnitentis: nam ex causa levi revelare, etiam habita permissione confitentis, sacrilegium feret, ut ajunt Graff. *loco citato nu.* 13. & del Rio *d. sect.* 2. *pag.* 657. *vers. duo denique*. 8 9

Secundò notandum, quòd scientia peccati pœnitentis, quam Confessarius habet aliundè, uti non debet, nisi in re gravi, & magnæ necessitatis, vel ubi periculum, aut scandalum ad hoc cogat, ut docet Innocen. *in d. cap. omnis utriusque sexus in fin.* nam facilè scandalum sequeretur, quando sine utilitate, vel necessitate revelaret, quod cavere debet, nè fractor sigilli reputetur, ut monet D. Thom. 10

Thom. *in sum. supplem par.3. d. quaest.11. art.4.* Del Rio *ubi supra vers. secund. ...fas*: & actione injuriarum, & ad intere... parti teneatur, Graff. *d. cap.23. num.28.*

11 Notandum tertiò, quòd circa violationem sigilli Confessionis non datur parvitas materiae, & includitur non solùm peccatum mortale, sed etiam veniale, imò & circumstantia per quam peccatum detegi potest directè, vel indirectè, prout est DD. communis sententia, de qua Navar. *in man. cap.8. num.3.* Nicol. *loco citato nu.20. & 42.* Bonac. *ubi suprà punct.1. num.5. vers. ex quo patet* Graff. *d. cap.23. num.31.* Malder. *de sigill. confess. d. cap.11.* Biss. *hierurg. d. lit.5. d. num.145. §.13.*

12 Notandum quartò, quòd Confessarius revelans confessionem, dicitur fractor sigilli, etiamsi poenitens, cujus peccata revelavit, jam pridem vita functus sit, quia secretum confessionis durat etiam post mortem, Graff. *d. c.23. num.32.* Nicol. *loco cit. num.70. ampliat.36.* del Rio *loco, quo supra d. sect.2. vers. notandum secundo pag.655.* Ex qua verissima propositione, prosternitur illa opinio, sive doctrina, quae docet, quòd in cognitione hujus criminis; & punitione delinquentis exigatur consensus poenitentis: nam si talis assertio vera esset, Confessarius post illius mortem posset impune sigillum Confessionis, quod adhuc durat, violare; quia defuncti poenitentis consensus ad inquirendum non posset haberi, quod quàm sit absurdum nemo non videt.

13 Notandum quintò, quòd de hoc crimine non tantùm Confessarius saecularis sed etiam Regularis accusari potest, & contra eum inquiri ab Episcopo: quia violans sigillum confessionis non solùm peccat contra justitiam, sed contrà Religionem peccato sacrilegii, & injuriam facit sacramento, quod cum obligatione secreti à Christo Domino institutum fuit: ideoque cùm de necessitate sit, quòd confessionem celet, ut inquit D. Thom. *in sum. supplem. par.3. quaest.11. art.1.* illam revelando, dicitur delinquere in administratione sacramenti, & subjicitur Dioecesano Episcopo, tamquam sedis Apostolicae Delegato vigore constitutionis Gregor. XV. *inscrutabili*, de qua actum suprà *in tit. de censur. excomm. ad form.41.* ...s. Fagnan. *in cap. quanto num.37. de offic. ...din.* Lotter. *d. re benef. lib.1. quaest.24. post nu.58.* Pignat. *consult.54. nu.77. to.7.*

Attento quod constet. De fractione sigilli, seu revelatione confessionis constare dicitur, quando adsunt saltem duo testes, licèt sint singulares, ut in puncto docet Caren. *de Sanct. offic. par.2. tit.6. ...7. post num.52.* quia ad comprobandum, quòd in crimine sollicitationis admittuntur testes singulares, adducit exemplum criminis relevationis confessionis, inquiens *Confirmatur à simili de revelatione confessionis, quae licèt uno teste non probetur, quoad effectum Confessarii condemnandi in poenam ordinariam: attamen dicta revelatio sufficienter probatur ex pluribus testibus singularibus quoniam aliàs veritas haberi non potest*, ita Suarez *tom.4. in 3. par. de paen. disp.33. sect.8. num.3.* Henriq. *in sum. lib.6. cap.19. num.10. igitur etiam in casu nostro &c.* Hoc tamen intelligi debet, quando testes singulares non sint sibi contrarii singularitate obstativa, si agatur de probando unico actu. 14

Sed ex levitate. Hìc exprimitur circumstantia facti, quae minuit delictum; nam Confessarius, qui revelat ex levitate, & non ex proposito, non damnatur in poenam ordinariam, sed privatur in perpetuum facultate confessiones audiendi, & insuper ad tempus à Divinis suspenditur, prout ita declarasse Sac. Congreg. Episc. refert Nicol. *loco superius citato lib.5. d. tit.38. num.17.* qui est casus formulae, si verò revelaret confessionem à se integrè non auditam, poena extraordinaria Judici arbitraria esset puniendus Menoch. *d. cas.414. num.7.* si autem aliae circumstantiae delictum aggravantes concurrerent, v.g. aliquod damnum poenitentis, vel tertii, scandalum plurium audientium, mala fama Confessarii &c. tunc quàmvis ex levitate revelatio sequuta sit, poena extraordinaria aggravanda quoque erit, ut volunt DD. supra citati in §. *Dubium igitur*; putà suspensione à Divinis ad triennium, vel poena Triremium ad tempus. 15

Et hanc sententiam eidem intimari mandamus. Regulariter Judex Ecclesiasticus, tamen sententiam excommunicatio- 16

catio-

cationis, quàm suspensionis, & interdicti in scriptis prævia unica monitione, & cùm causæ expressione ferre debeat, ut dixi in præludio: hic tamen antequam sententia feratur non est citandus reus ad dicendum causam quare non debeat declarari suspensus, sed constructo processu informativo, citandus est *ut compareat ad respondendum inquisitioni contra eum formatæ de, & super &c.* juxta stylum curiæ Episcopalis servari solitum in causis criminalibus, danda erit copia processus, cum præfixione termini ad faciendas suas defensiones, & posteà concludendum in causa, reo citato ad sententiam.

17 Hæc tamen agenda erunt secretò sine strepitu, & sine publicatione, nè in plebe de hoc murmur oriatur, & confessio apud pusillos odiosa reddatur: ad quem effectum Episcopus in suis mansionibus testes recipiat, & examinet, quibus examinatis injungat præceptum de secreto servando (non tamen sub juramento, ut fieri solet in causis fidei, & beatificatione Sanctorum) citationes pro validitate processus exequendæ non per Nuncium publicum, sed per Cancellarium fieri committat, quas recepisse sua subscriptione reus ipse fateatur (dummodo reus hoc facere non recuset) quod faciet de aliis actibus pro legitimatione processus necessariis, quos si reus legitimare, & acceptare detrectet, & vult esse prodigus suæ famæ, tunc adhibeantur remedia ordinaria.

Lata super hoc crimine sententia, si inquisitus appellet, illius executionem non poterit impedire: quia respectu suspensionis ab audiendis confessionibus appellatio est frustratoria, cùm approbatio sit privativè reservata Episcopo à *Conc. Trid. sess. 23. cap. 15.* respectu verò ad suspensionem à Divinis per annum, cùm agatur de materia merè spirituali, & quæ animam ligat, per sequentem appellationem non suspenditur, ut docet Sayr. *de censur. lib. 4. cap. 9. n. 5. & 8.* Quidquid esset dicendum si ante sententiam suspensionis ab aliquo alio Decreto interlocutorio vim diffinitivæ habente, vel gravamine, quod per diffinitivam reparari non posset, fuisset appellatum juxta Decreta generalia *Clem. 8.* de quibus *par. 2. tit. 15. ad form. 2. num. 8.* 18

De suspensione contenta in cap. neminem &c. Sanctorum dist. 7.

Quia in puncto juris, imò, & in praxi verior, & tutior est sententia quòd qui ordinatur in sacris sine, vel ficto titulo, incurrit suspensionem, ut probant auctoritates à me allegatæ *par. 2. tit. 13. ad form. 3. num. 4.* ideò hic reponitur formula declaratoriæ, qua Clericus, qui Episcopum decepit, erit suspensus denunciandus.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA II.

Visa relatione nostri Promotoris Fiscalis, & informatione capta, ex qua constat Clericum N. à Nobis ad Subdiaconatus, & Diaconatus ordines ad titulum .:.:. promotum, *prædictum titulum non habere*, nec possidere, illudque ante ordinationem (nos decipiendo) existere, habere, & possidere (falsò tamen) probasse: *eo priùs monito* dicimus, ipsum N. suspensionem ab executione, & exercitio dictorum ordinum à sacris canonibus *ordinatis illicitè*, sine titulo inflictam incurrisse, & suspensum esse declaramus, & denunciamus: imò, & iterum eum jure nostro ordinario suspendimus, & intimari mandamus, omni &c.

N. Episcopus N.

N. *Actuarius.*

SUMMARIUM.

1 *Clericus, qui per fraudem decepit Episcopum, fingens se habere titulum & ordinem suscepit, suspensionem incurrit.*

2 *Patrimonium ære alieno gravatum, si scienter assignetur pro titulo, dicitur fictitium, si deductis oneribus non remanet pars libera sufficiens.*

3 *Ad occurrendum fraudibus constituentium patrimonia, quid agere debeat Episcopus, demonstratur.*

4 *Donatio omnium bonorum Parentum facta favore filii ordinandi, an & quando sit valida, & admittenda, & num. 5.*

6 *Ordinatus ad presbyteratum antequam alios ordines reciperet, validè est ordinatus, sed suspensionem incurrit eo ipso.*

7 *Episcopatus non est ordo, sed extensio Ordinis Presbyteratus, quem essentialiter prærequirit.*

8 *Ordinatus cum titulo fictitio, qui est ipso jure suspensus, quomodo sit monendus, ostenditur.*

9 *A denunciatione suspensionis incursa ob fictam suppositionem tituli in susceptione ordinis, non datur appellatio.*

10 *Si crimen est occultum, ordinatus in foro conscientiæ absolvitur ab Episcopo.*

11 *Absolutus in foro conscientiæ, detecta fraude per accusationem, potest in foro externo, suspensus denunciari.*

Judex fori externi, absolutionem in foro externo obtentam ab inquisito, ratam habere potest, ibid.

ADNOTATIONES.

1 PRÆDICTUM TITULUM NON HABERE. Et si plures DD. teneant, quòd dd. canones *neminem, & Sanctorum*, fuerint revocati per *cap. secundum Apostolum de præbend.* & ideò ordinatum sine, vel ficto titulo non esse suspensum, quos refert, & sequitur Barbos. *in d. cap. neminem num. 5. dist. 70.* contraria tamen sententia, quam secutus fui *par. 2. tit. 13. ad form. 3. num. 4.* verior est, & in praxi omninò sequenda: quia, quatenus possent dici tacitè per d. decretalem *Innocentii* 3. revocati (quod non est liquidum, nec pacificum (fuerunt denuò per *Concil. Trid. sess. 12. cap. 2. de reform.* innovati ibi -- *antiquorum canonum pœnas super his innovando*, ut benè observat Nicol. *lucubr. can. lib. 1. tit. 11. num. 20. & seqq.* ubi plura Decreta *Sac. Congreg.* allegat, & quoad eum, qui per fraudem & culpam decepit Episcopum ordinantem fingendo se habere titulum plenis votis *Sac. Concil. Trid. Congreg.* declarasse 27. *Novembris* 1610. testatur, quæ declaratio relata reperitur in *Synodo Farfensi in tit. de sacram. ordin. num. 5.* Leo *thesaur. for. Eccles. par. 3. cap. 8. num. 33.*

Fictus autem dicitur titulus, non solùm quando Beneficium est de pertica, 2
aut litigiosum: vel patrimonium figuratum donatione fictitia: sed etiam si esset tam hypothecis, & ære alieno gravatum, ut parùm, aut nihil liberum remaneret, & tamen scienter pro titulo ordinationis assignaretur: si verò quantitas bonorum esset talis, quòd deductis oneribus realibus, adhuc sufficeret ad sustentationem ordinandi, validum esset, Nicol. *loc. d. cit. num. 25.* & plura alia de legitimo titulo ordinandorum vide in *par. 2. tit. 13. ad form. 3.*

Ad occurrendum propterea fraudibus, quæ in dies hac in re fiunt, Ordina- 3
rius in Synodo statuere curet. Primò quòd si ipse ordinandus sibi titulum, ad quem ordinari cupit constituet, & assignet in summa taxata juxta consuetudinem Diœcesis, juret illum pacificè possidere, & esse verum, realem, & non fictitium, pœnam suspensionis ipso facto incurrendam contrà pejerantem decernens. Secundò, quòd alii constituentes Patrimonium, jurent in actis coram Vicario Gen. constitutiones, quas faciunt, esse veras, & reales, nullumque inter ipsos, & ordinandum pactum, collusionem, & simulationem intercedere, pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam contrà pejerantes decernens. Tertiò, quòd bona in patrimonium assignata (quod sciatur) sunt libera, & sufficientia. Quartò, quòd Periti æstimatores Patrimonii fraudulenter se gerentes, teneantur de proprio supple-

re,

re, quidquid Patrimonio taxato deesse compertum fuerit. Quintò quòd testes deponentes super quantitate fructuum Patrimonii assignati, postquam compertum fuerit falsum deposuisse, tanquam perjuri puniantur. Sextò, quòd horum Decretorum texeta in Cancellaria retineatur loco obvio, & supradictis omnibus tempore constitutionis Patrimonii, notificentur expressè, & de notificatione facta, Cancellarius in Processu actorum testetur.

4 Et est hìc ulterius advertendum, quòd licèt donatio bonorum facta à parentibus, simul cum fratribus ordinandi pro constituendo Patrimonio, si sit realis, & legitimè facta, possit deservire pro titulo valido ordinationis, etiam si nihil aliud pro victu donantibus remaneat, ut dixi *par.1. tit.3. ad form.12. num.5.* tamen in praxi iste titulus non est passim admittendus: sed solùm in casu magnæ necessitatis Ecclesiæ, & penuriæ sacerdotum, nam ita ordinati molestiis exponuntur, & incommodis curandæ, & alendæ familiæ, ut advertitur in Synodo *Cæsenatensi anno* 1695. *evulgata in tit. de sacr. ordin.§. quod si constituentes*, ubi decernitur, quòd tales donationes non recipiantur, nisi priùs constet, parentes aliundè habere, undè honestè pro status qualitate sustentari queant, & allegatur decretum *Sac. Cong. Concilii in Cæsenaten. Synodi* 26. *Febr.*1695.

5 At ego puto, quòd data necessitate Ecclesiæ, ut supra dixi, talis donatio possit admitti: tum quia parentum bona dicuntur esse filii *l.in suis, ff. de liber. & posthum.* tum quia per donationem factam à parentibus favore filii ordinandi, nulla major inducitur obligatio donatarii, quam de jure jam habet impositam eos alendi, etiam de bonis Ecclesiæ, seu Altaris, ad tradita per Surd. *de aliment. tit.1. quæst. 25. num. 11. & tit.8. privileg.92. per tot.* non enim clericatus exuit charitatem, sed auget dummodo donatio non fit cum præjudicio aliorum filiorum, ut in *d.par.*1. notavi.

6 *Ordinatis illicitè.* Quid si non solùm sine titulo, sed etiam aliis ordinibus sacris non initiatus, quis ad sacerdotium ordinaretur: an inquam iste non solùm suspensionem incurrat, sed etiam invalidè dicatur ordinatus; & respondetur quòd validè, licèt illicitè: quia sacerdotium non de essentia, sed tantùm de præcepto alios ordines requirit, & præsupponit, suspensionem tamen ab exercitio ordinis Presbyteratus incurreret eo ipso, & in ea permaneret quousque alios ordines inferiores reciperet Sayr. *de censur. lib. 4. cap. 14. num.26.* Leo *Thes. form. Eccles. par. 3. cap.8. num.*30. Non sic in Episcopo, qui si ad Episcopatum promoveretur antequam fieret Sacerdos, invalidè esset promotus: quia Episcopatus cùm propriè non sit ordo, sed extensio ordinis Presbyteratus ad conficiendum Sacramentum Chrismatis, Olei Sancti, & conferendos ordines, & non imprimat novum characterem, sed sacerdotalem præexistentem ampliet; ut communiter tenent Theologi, quos refert Passerin. *in cap. qui Pontificali num. 6. de offic. & potest. jud. delegat. in* 6. Biss. *Hierurg. lit. E. num. 68. §. 10. 20. & seqq.* ideò essentialiter sacerdotium præ- 7
requirit, P. Felix *potest in examin. Eccles. tom.3. tit. de examin. ordin. num.* 4. *& 5.*

8 *Eo priùs monito.* Postquam compertum fuerit, constitutionem tituli pro recipiendis ordinibus factis à principio fuisse fictitiam, & ordinatum de fictione participem, & in culpa fuisse, citandus erit.

Ad dicendum causam quare non debeat declarari incidisse in suspensionem ab exercitio sacrorum ordinum tanquam dolosè, & sua culpa ordinatus sine titulo contra prohibitionem sac. Canonum.

Nam pœna ista in hoc casu incurritur ipso jure, & ita ordinatum, si in ordine suscepto ministret, irregularitatem incurrere affirmat Pirhing. *in jus can. lib.1. tit.11. num.*112. ideoque hìc à Judice non est suspendendus, sed jam suspensus denunciandus, quamvis possit pœnam aggravando, denuò sic ordinatum suspendere, prout innuitur in formula.

Ab hac autem denunciatione, nulla datur appellatio suspensiva: quia talis suspensio relaxari nequit, donec ita pro-

promotus assequatur sufficientem titulum pro congrua sui sustentatione, Pignatell. *consult.77.nu.16.17.* qui loquitur in terminis dolosè ordinati sine titulo *tom.5.* est tamen verùm, quòd si hoc crimen non sit deductum ad forum judiciale, & maneat occultum: & populo non sit notum, poterit ordinatus à suspensione, & irregularitate incursa absolvi ab Episcopo in foro conscientiæ vigore *Concilii Trid. sess.24. cap.6. de reform.* Pignatell. *loco citato num. 18. in fin.*

At adverte, quòd si ita promotus ab Episcopo, vel Sac. Pœnitentiaria, vel occasione Jubilæi in foro conscientiæ sit absolutus; & posteà contingat accusari de ficta, & dolosa patrimonii constitutione pro recipiendis sacris ordinibus, posset in foro externo suspensus denunciari, & alio modo puniri: quia isti duo fori sunt separati, & acta unius non generant præjudicium alterius: potest tamen judex fori externi Ecclesiasticus, absolutionem in foro conscientiæ datam, ratam habere, nisi hoc redundet in præjudicium partis, vel boni, & exempli publici, Nicol. *lucubr. can.lib.5.tit.39.nu.49.* ubi decreta refert: hic tamen in casu formulæ absolutionem in foro conscientiæ datam judex ratam habere non posset in foro externo, nisi ordinatus de congrua sustentatione esset provisus: quia qui sine titulo est ordinatus, absolutè est suspensus, ut advertit Bonac. *de sac.ordin.disp.8. quæst.un. punct.5. num.22.*

De suspensione contenta in cap. 10. sess. 23. de reform. Concilii Trid.

Vidimus in titulo præcedenti de censur. excom. *form.* 38. Vicarium Capitularem teneri ad syndicatum: unum autem ex delictis de quo poterit syndicari, est concessio dimissorialium intrà annum à die Sedis vacantis: quare si Episcopus inveniat eum Concilii transgressorum fuisse, & suspensum declarare velit, hac uti poterit formula.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA III.

Visis actibus syndicatus N. Vicarii Gen. Capituli proximæ præteritæ Sedis vacantis, ex quibus constat de concessione litterarum Dimissorialium ad ordines favore clerici N. & clerici N. *non arctatis intra annum* Sedis vacantis expeditis, & Episcopo N. directis: eoque monito ad dicendum causam quare non debeat declarari suspensus, *& nihil quod relevet deducto*, dicimus prænominatum N. qui formam sibi à Concilio Trid. præscriptam *in cap.10. sess.23.* non servavit, *esse suspensum* totaliter ab officio, & beneficio, prout nos suspensum declaramus, & denunciamus, eique, ac Capitulo intimari volumus, & mandamus &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Qui dicantur ad ordines arctati ostenditur, & num.2.*

3 *Vicarius Capituli, non concedit Dimissorias prò prima Clericali tonsura non arctatis, & num. 4.*

5 *Littera Dimissoria post annum concessa*

cessa à Vicario Capituli non expirant per ingressum in possessionem novi Episcopi.

6 *Qualitas, quæ dat jurisdictionem non præsumitur, sed est probanda.*

7 *Vicarius Capituli concedens Dimissorias non arctatis intrà annum, suspensionem ab officio, & Beneficio per annum incurrit ipso jure.*

8 *Etiamsi is, cui illas concessit, eis non utatur.*

ADNOTATIONES.

1 NON ARCTATIS, Concilium Trid. *in cap.* 10. *sess.*7. Facultatem restringit Capitulo Sede vacante concedendi Dimissorias ad ordines intra annum, nisi arctatis sub pœna interdicti: Vicariis autem huic Decreto contravenientibus imponit pœnam ipso jure incurrendam suspensionis ab officio, & Beneficio, in citato *cap.* 10. *sess.*23. Arctati autem sunt in duplici differentia: alii enim sunt arctati occasione Beneficii recepti: alii occasione Benefici recipiendi.

2 Primi sunt, qui obtinent aliquod Beneficium Curatum, nam hi intrà annum ad Sacerdotium promoveri tenentur: qui obtinent Beneficia, seù Cappellanias perpetuas, quæ ex institutione requirunt aliquem ordinem, vel servitium personale. Secundi verò sunt, qui habent jus, seù sunt vocati ad aliquod Beneficium vacans, seù Cappellaniam, quod, seù quæ requirit actu certum ordinem, quo isti carent, vel cùm non sint Clerici, & Ordinati ad primam Clericalem tonsuram sunt præsentati ad Beneficium, ut tradunt Garc. *de benef. par.*5. *cap.* 7. *num.* 97. *&* 98. Card. de Luc. *de benefic. disc.* 72. *num.*6. *&* 7. *Sac. Congreg. Episc. in Squillacen.*3. *Jan.*1594.

3 Hæc autem facultatis restrictio, non solùm respicit ordines minores, & majores; sed etiam primam Clericalem Tonsuram, pro qua intra annum Dimissorias non nisi arctatis Vicarius Capituli concedit. Et licèt *in part.*1. *tit.*1. *ad form.*2. *num.*23. contrarium tenuerim, nunc re meliùs cognita libenter ab illa opinione recedo, tum quia Decretum per me ibi allegatum, & quod refert etiam Gallemart. *collect. in d cap.*7. *num.*3. in quo dicitur -- *Congregatio censuit textum hunc non comprehendere primam Tonsuram*; debet intelligi, quòd Concilium non comprehendat primam Tonsuram quoad pœnas ibi impositas contrà ordinatos, non autem quoad licentiam ordinandi, prout ità intelligendum esse advertit Garc. *d. par.*5. *d. cap.*7. *num.*96. tum quia Fagnan. à me eodem loco citatus, loquitur in casu arctati, ut patet ex ejus verbis relatis in *cap. cùm contingat de ætat. & qualit. num.*39. ibi -- *rursus dubitatum fuit, an Vicarius Capituli Sede vacante possit concedere litteras dimissorias ad primam tonsuram præsentato ad Cappellam simplicem Sac. Congreg. censuit posse, quia non prohibetur dare Dimissorias ad primam Tonsuram, & quia præsentatus est arctatus*. Et quamquam ex prima ratione, à Fagnano deducta, videatur, quòd Vicarius possit Dimissorias concedere ad primam Clericalem tonsuram, etiam non arctatis: tamen hoc dicit obiter, & dubium propositum, & resolutum est de arctato.

4 Tum quia, cùm prima Tonsura secundùm Canonistarum sententiam, & in foro magis receptam, sit ordo, ad tradita per Card. de Luc. *de pension. disc.* 81. *num.*4. *vers. advertendum*, in Dimissorialibus concessis pro prima Tonsura, benè verificantur verba illa Concilii -- *ordinandi licentiam*: tum demum, quia hæc est communior sententia, quam tenent Garc. *loco citato num.* 95. Quarant. *in summ. bullar. in verb. Capitulum Sede vacante vers. decimo quæro*. Ricc. *decis.*175. *num.*2. *par.*4. Barbos. *de Canonic. & dignit. cap.*42. *num.*116. Ventrigl. *in prax. par.*2. *annot.* 15. §.1. *num.* 42. Card. de Luc. *supra Concil. disc.* 31. *num.*32. *& alii ab eis allegati*.

5 *Intra annum*. Quid si post annum concessæ sint à Vicario Capituli litteræ Dimissoriæ, an, inquam, expirent per ingressum in possessionem novi Episcopi, & non expirare tenent Gonzal. *ad regul.*8. *glos.*12. *num.*17. Quarant. *in sum. bullar. verb. Capitulum Sede vacante ver. Decimò quæro* §. *secundò dubitatur*.

tur. Propterea Gallemarr. *collect. in d. cap. 10. sess. 7. remission. ver. an littera*, dat cautelam novo Episcopo, ut capta possessione per edictum publicum eas revocet antequam exequantur: monetque alios ordinantes, ut tam Dimissorias Vicarii Capituli post annum, quàm ab Episcopo defuncto concessas, non admittant, si tempore præsentationis sciant, novum Episcopum possessionem cæpisse, nisi ab eo revalidentur, vel ab ejus Vicario ad id facultatem habente.

6 *Et nihil quod relevet deducto*. Nil aliud relevans ad se excusandum Vicarius Capituli deducere potest, quàm arctationem dimissi: quæ arctatio, cùm sit qualitas tribuens jurisdictionem, non præsumitur, sed est, antè omnia ab allegante probanda, Sperell. *decis.* 101. *num.* 21. Conciol. *resol. criminal. verb. qualitas*, *resol. unic. num.* 3. Sabell. *Summ. divers. tract.* §. *qualitas num.* 2. Idcircò monitus – *ad dicendum causam quare non debeat declarari suspensus*, non poterit à comminatione ista appellare, nec per appellationem interpositam denunciationem retardare: sed debet excusationes, si quas habet, deducere, quæ si essent aliquo modo relevantes, aut dubiæ, & ab Episcopo rejicerentur, tunc appellando à declaratoria, supersedendum esset in denunciationis publicatione, quia ordinarius potuit in rejectione excusationum illum gravare, prout suprà pluties dixi.

7 *Esse suspensum*. Vicarium Capituli Dimissorias ad ordines, & primam Clericalem Tonsuram intrà annum à die vacationis Sedis concedentem, suspensionem ab officio & Beneficio per annum incurrere ipso jure, non ambigitur, quia licèt Concilium *in cap.* 10. *sess.* 7. quoad pœnam interdicti ibi comminatam, loquatur specificè, & restrictivè ad Capitulum: tamen *in cap.* 10. *sess.* 23. vult, & declarat, quòd Vicarii, pœnæ suspensionis subjecti fint; ut patet ibi -- *Pœnam quoque impositam iis, qui contra hujus Sanctæ Synodi sub Paulo* 3. *Decretum* (*idest d. cap.* 10. *sess.* 7.) *à Capitulo Episcopali Sede vacante litteras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non à Capitulo, sed ab aliis, quibusvis in jurisdictione Episcopi loco Capituli Sede vacante succedentibus obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem Dimissorias contra formam Decreti, ab officio, & Beneficio per annum sint ipso jure suspensi*. Et tradunt de communi Pac. Jord. *elucubr. to.* 1. *de sacram. ord. num.* 134. Gallem. *in d. cap.* 10. *sess.* 23. *num.* 6. & alii suprà allegati.

8 Et nota, quòd Vicarius Capituli, hanc censuram incurret, concedendo intrà annum Dimissorias, etiamsi is, cui illas concessit, eis usus non esset: nam actus quo ad concedentem fuit consummatus, & perfectus, & per eum non stetit, prout ita à *Sac. Congreg.* decisum fuisse referunt Garc. *de benef. addit. ad par.* 5. *cap.* 7. *num.* 92. Barbosa *de Canonic. d. cap.* 42. *nu.* 117. Caveant idcircò Vicarii Capitulares, nè dum, ut placeant hominibus, facultatem, quam non habent excedant (novis Episcopis fortè non requirentibus) laqueum sibi ipsis parent, & perditionem.

De suspensione contenta in cap. exigit de cens. in 6.

Aliud crimen Vicarii Capituli, quod pariter in jure pœna suspensionis punitur, est exactio indebita procurationis, vel quia exigit officio visitationis non impenso: vel quia plus debito, aut munera recipit. Quare si in Syndicatu, vel extrà, Episcopus quærelas audiat, vel Procurator Fiscalis instet de hoc inquiri, constito de excessu ad declaratoriam poterit devenire modo sequenti.

Sen-

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA IV.

ATTENTO RECURSU Parochi, & Cleri loci N. contra N. Vicarium Generalem Capituli præteritæ Sedis vacantis, super prætenso gravamine eis tempore visitationis illato, in exactione procurationis, visis probationibus per eos deductis, ex quibus satis constat *de excessu exactionis*, & munerum receptione: *monito*, *& audito* eodem N. dicimus, eum censuram suspensionis ab officio, & beneficio contentam in Constitutione Concilii Lugdunensis, quæ incipit *Exigit* à Concilio Tridentino *in cap. 3. sess. 24.* innovatam incurrisse, & esse denunciandum, prout nos suspensum declaramus, & denunciamus, *donec de duplo* à nobis liquidando supradictis *plenè satisfaciat*, & intimari volumus, & mandamus.

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Exigentes procurationem excessivam, processandi sunt ab Episcopo ex officio.*
2 *Procuratio debetur pro solis locis Diœcesis.*
3 *Vicarius Capituli visitans, exigit medietatem procurationis Episcopo dari solitæ.*
4 *Laici, nisi velint sponte solvere, non debent cogi censuris, ut solvant procurationem.*
5 *Visitator, non exigit vecturas equorum, nisi sit Visitator Apostolicus.*
6 *Hospitatus à laicis, non exigit procurationem à Clericis, dummodo isti victualia tradere non recusent.*
7 *Visitator excederet in actione procurationis, si numerum excessivum personarum secum duceret, vel longam moram traheret, & num. 8.*
9 *Visitator, & ejus familiares, munera quæcunque in visitatione recipere non possunt, sub diversis pœnis, & num. 10.*
11 *Visitator si pro exigenda excessiva procuratione censuras fulminaret, posset contra eum agi ad interesse.*
12 *Procuratio visitationis, an præscribatur, ostenditur.*
13 *Vicarius Capituli, qui in exactione procurationis excessit, quomodo monendus sit ante condemnationem, demonstratur, & num. 14.*
15 *Censura suspensionis à Visitatore exigente plus debito, incursa, est reservata, & non tollitur nisi facta restitutione.*
16 *Visitatores quicunque excedentes in exactione procurationis censuras incurrunt eo ipso.*

ADNOTATIONES.

ATTENTO RECURSU. Hoc dicitur in formula ad exprimendum casum minùs dubitabilem. Cæterum si recursus de hoc non audiantur in Syndicatu, nec extrà, & tamen Episcopo aliunde constet de crimine, inquirat, & processum instruat ex officio, quia est delictum, quod generat scandalum in subditos, Canones, & Concilia spernit, & conculcat, & animam censuris illaqueat. Subditi enim non reclamant, non quia gravamen

men illatum non sentiant, & agnoscant, sed vel quia ob eorum paupertatem ad Sacr. Congreg. Concilii (quæ pro suo laudabili zelo hæc damnat, & mandat restitui) ob distantiam locorum recurrere non valent: vel quia potentiam gravantis formidant, scientes, quòd sæpè hujusmodi recursus coram Ordinariis delati, sunt occasiones majoris oppressionis, & gravaminis, ideoque officium Episcopi est, abusum hunc exemplariter punire, & præcepta canonum exequi, & custodire, ut Tridentinum jubet. Si quis verò Episcopus visitando, hæc eadem committeret, per Visitatorem Apostolicum coerceri expediret.

2 *De excessu exactionis*. In *cap.1. de cens. lib. in 6.* circa exactionem procurationis visitantium tria statuta sunt. Primum, quòd recipiatur solùm à locis visitatis: secundò, quòd solùm in victualibus: tertiò quòd visitantes, & eorum familiares, munera non recipiant. Unde Vicarius Capituli visitando post annum à die ultimæ visitationis Episcopi defuncti, & quòd ad primum excederet, & plus debito exegisse diceretur, si visitando Civitatem procurationem recepisset, cùm pro solis locis Diœcesis debeatur, Barb. *de off. & potest. Episc. alleg.73. nu. 46.* Frag. *in cap. venerabili num. 14. & 15. de cens.* Nicol. *in flos. verb. Visitatio num. 10. ver. Sacra tamen*.

3 Item si Visitationis officio non impenso procurationem exigere præsumpsisset *d. cap. exigit*; vel visitans per se ipsum, aut per delegatum, integram procurationem, quæ dari solet Episcopo, exegisset: nam quando Episcopus non visitat, sed Vicarius Generalis, prout est Capitularis, qui est Vicarius jurisdictionis Episcopi, debentur victualia, vel (ubi visitati velint, & sponte solvere solent) pecuniæ, quæ non excedant medietatem procurationis, quæ datur Episcopo, ut pluries declaravit *Sacr. Congreg. Episcop.* prout testatur Nicol. *in flosc. in verb. Visitatio num. 10. limit. 9. &* novissimè *Sacr. Congreg. Conc. in Amalphitana 18. Julii 1699. ad 4. confirmata auditis partibus 6. Feb. 1700. & in nullius Provinciæ Hispalen. excessum 11. Septemb. 1706. ad 5.*

4 Item si à laicis, qui procurationem solvere erant soliti, & ampliùs solvere renuerent, metu, & gladio censurarum ab eis exegisset, quia laici, nisi velint spontè solvere, cogi non debent, non obstante solito, quia tunc exigeretur procuratio cum scandalo, *glos. in cap. cavendum 1c. quæst. 3. glos. in cap. 1. vers. laicos de cens. in 6.* Pignatell. *consult. 47. per tot. tom. 1. & consult. 146. num. 30. tom. 9. ubi de more Decreta congerit* Passer. *in d. cap. exigit num. 15. de cens. in 6.*

Quoad secundum, plus debito exigeret, si utensilia, vecturas equorum, & alia necessaria personæ sibi ministrare fecisset, quia nomine victualium, veniunt solùm ea, quæ cibum, & potum concernunt, & non alia, ut in terminis Visitatoris docet Surd. *de alim. tit. 3. qu. 22. num. 3.* Barb. *in cap. romani §. procurationes num. 19. de cens. in 6.* Ventrigl. *in prax. par. 2. annot. 24. §. 2. num. 2.* Nisi Visitator sit à Papa delegatus, tunc enim solvi debent mercedes equorum conductorum, & viaticum, ut de uno loco ad aliud transferri commodè possit, Surd. *ibid. num. 10.* Pithing. *in jus can. lib. 3. tit. 30. num. 51.* 5

Item si à laicis prandium, & Hospitium recipiens, id, quod sibi pro victu necessario contingebat, in pecunia taxasset, & à visitatis solvi voluisset, dummodo isti moniti victualia tradere non recusassent, Barbos. *de offic. & potest. Episc. allegat. 73. num. 66. & in cap. felicis num. 3. de cens. in 6.* Graff. *decis. aur. par. 2. cap. 27. num. 90. lib. 3.* 6

Item si numerum excessivum personarum secum ad visitandum duxisset, & procurari voluisset, v. g. si plura quàm tria jumenta, & duos pedites conducere: nam talis numerus pro Vicario sufficiens reputatur, ut de se ipso testatur Leo *thesaur. for. Eccles. par. 2. cap. 16. num. 40.* ubi de uno solo pedite contentatur, & tribus jumentis. Verùm ad judicandum excessum erit habenda ratio locorum visitatorum, & Ecclesiarum paupertatis. 7

Item si longam moram traheret in locis visitatis, & ad extraneos actus se diverteret, Surd. *loco supra citato num. 8.* Passer. *in cap. felicis num. 5. Sacr. Congreg. Concilii in Bojanen. 14. Decemb. 1654.* quam retuli *par. 2. tit. 13. ad form. 2. num. 54.* 8

Quo verò ad tertium excedere diceretur, 9

tur, si dona, seu munera, Vicarium recepisse in visitatione constaret; nisi essent esculenta, & poculenta in parva quantitate, quæ in loco visitationis absumpta fuissent, non autem si aliò asportata, ut notat Genuen. *in prax. c. mihi* 21. *nu.*13. & quando procuratio daretur in victualibus, secus si in pecunia, nam tunc nec esculenta absumenda accipi debent, ut distinguit Graff. *decis. aur. par.*2. *lib.*3. *d.cap.*27. *num.*91. Imò etiamsi procuratio detur in victualibus, tutius est, ut monet *glos. in cap. exigit ver. munera*, nec esculenta absumenda recipere, quia Concilium omne munus tempore visitationis excludit absolutè per illa verba -- *nec munus quodcunque sit, recipiatur*, ex quò Pirhing. *in jus can. lib.*3. *tit.*39. *num.* 63. & ex Jo: Andr. *in c.*1. *de cens. in* 6. deducit, quòd munera ista non possint recipi sine peccato, & concordat Barbos. in *d. cap.*1. *num.*23. *de cens. in* 6. nam ut dicit Sapiens *Xenia, & dona excæcant oculos Judicum, & quasi mutus in ore, avertit correptiones eorum, Eccles.*20. *vers.*31.

10 Qui excessus diceretur probatus non solùm si ipse Vicarius munera recepisset sed si ab ejus familiaribus recepta fuisse constaret: nam de istorum facto ipse teneretur, ut advertit notabiliter *glos. in d. cap. exigit verb. teneatur*, ad instar Episcopi qui teneatur de excessu sui Vicarii, ut dicit Graff. *d. cap.*27. *num.*95. ubi hæc habet -- *Vicarius si delinquit in actu visitationis in recipiendo plus debito, an Episcopus teneatur? dic quod sic, &c.* Hæc enim quorumcunque munerum receptio prohibetur tam Visitatori, quàm familiaribus sub pœna maledictionis, & interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ac restituendi duplum infrà mensem, non obstante donatione, & remissione dantium, in *cap.*1. §. *Procurationes de cens. in* 6. ibique Barbos. *num.*17. & 22. quam pœnam in hoc cap. latam contra Archiepiscopos, extendit, ampliavit, imò, & auxit Greg. X. in Concilio Lugdunensi relato in *d. cap. exigit*, ad omnes Visitatores inferiores, & Concilium Tridentinum homologavit.

Tandem in hac subjecta materia Vicarius

11 Capituli delinqueret si pro exigenda excessiva procuratione, visitatos excommunicaret; nam ista excommunicatio, vel non teneret per *text. in cap. cùm ad quorundam de excess. prælat.* ut volunt *Innoc. in cap. cùm Apostolus de censib.* & Moner. *de decim. cap.*9. *quæst.*3. *nu.*104. vel saltem tamquam injustè excommunicati, possent contra eum agere ad interesse, juxta opinionem *glos. in d. cap. cùm ad quorundam*, quam sequitur Pirhing. *in jus can. lib.*5. *tit.*31. *num.*12. *ver. addit. glos.*

Adverte, quòd procuratio alia debetur ratione Visitationis, alia ratione con- 12
suetudinis præscriptæ, alia ratione conventionis, & pacti appositi in fundatione Ecclesiæ, vel Beneficii, alia ratione privilegii, de quibus Pirhing. in *jus can. lib.*3. *tit.*39. *num.*68. Prima, de qua hìc loquor, cùm debeatur tanquam accessorium visitationi, contra Episcopum, & Capitulum sede vacante non præscribitur *cap. cùm ex officii ibique glos. de præscrip.* exceptis locis, in quibus Consuetudo jam viget, ut nihil pro visitatione solvatur, præscribitur tamen contra tertium, vel alium, quia illam exigeret jure speciali, ut notat Graff. *decis.*27. *num.*101. & sic Vicarius Capituli, habet jus certum exigendi sine excessu à visitatis procurationem: si verò in exactione excedat, subjicitur pœnis jam supra indicatis.

Monito, & audito. Constructo pro- 13
cessu informativo, sive per viam querelæ, sive ex officio super excessu exactionis procurationis, si resultat ex eo probatio criminis, erit Vicarius Capituli citandus -- *Ad comparendum in termino peremptorio trium dierum, & dicendum, & allegandum causam quare, non debeat declarari incursus in suspensionem ab officio, & Beneficio, & condemnari in pœnam contentam in Concilio Trid. cap.*3. *sess.*24. *de reform. ob excessum exactionis procurationis per ipsum commissum occasione visitationis tempore sedis vacantis, aliàs, &c.*

Hæc citatio, quæ succedit loco Mo- 14
nitorii, sivè inquisitionis, debet exequi contra inquisitum personaliter, si fieri potest, dimissa in ejus manibus copia, vel Domi in manibus domesticorum: quia exequuta, si monitus compareat, erit in suis exceptionibus audiendus: si verò à comminatione censuræ appellet

sta-

statim, Judex appellationem rejiciat, & elapso termino in citatione præfixo, allegata ejus contumacia, ad declaratoriam procedat. Quòd si processus defensivus fiat, & adhuc excessus exactionis excusari non possit, item erit ad declaratoriam prosequendum, nulla attenta appellatione: si autem exceptiones deductæ sint in facto, & in jure relevantes, vel saltem dubiis obnoxiæ, tunc erit in declaratoria supersedendum, donec probationes coadjuventur, vel reus absolvatur.

15 *Donec de duplo, &c. plenè satisfaciat.* Hæc clausula ponitur in formula ad demonstrandum, quòd hæc censura est reservata, & ab Ordinario relaxari non potest, nisi sequatur restitutio, qua facta cum duplo, cessat absque alia absolutione, ut notat Passer. *in d. c. exigit.* 20. *de cens. in 6.*

16 Hucusque dicta, & notata quoad excessum exactionis procurationis, procedunt non solùm contra Vicarium Capituli: sed etiam contra Archiepiscopos, Episcopos, & alios omnes Visitatores, qui si in exigenda procuratione, ea, quæ supra de Vicario Capitulari dicta sunt committant, & exactionis excessu cum duplo ultra mensem restituere differant Archiepiscopi, & Episcopi interdictum ab ingressu Ecclesiæ, inferiores verò pœnam suspensionis ab officio, & beneficio ipso jure incurrunt, ut tam in Concilio Trid. quàm in supra relatis juribus cavetur expressè: quod est valdè notandum, nam si Episcopi ita interdicti, & inferiores suspensi, durante interdicto, & respectivè suspensione interim celebrarent, fierent irregulares, nec dispensari possent, nisi à Sede Apostolica, ut notat Passer. *mox citatus in d. cap. exigit num.* 22. *de cens. in 6.*

De suspensione contenta in c. cùm inhibitio §. fin. de clandest. desponsat.

Saluberrimum Concilii Trid. Decretum in *cap.* 1. *sess.* 24. *de refor. matrim.* hominum malitiam effugere, & eludere cupiens, plures reperit vias, per quas incedens sese peccatis, & pœnis illaqueat, & in profundum malorum mergitur: Quare sæpè, non solùm ut contrahat matrimonium contra præcepta Ecclesiæ Parochum vi, dolove inducit, ut assistat: sed quòd plus est, aliquando, & ipse Parochus, qui tenetur matrimonia clandestina prohibere, prece, vel amore Consanguineorum corruptus, spontè malo viam sternit, & illis præsentiam præstat. Idcircò cùm casus iste eveniat, Ordinarius Parochum punire non omittat, & quatenus infligenda sit pœna statuta in hoc textu, præcedere debebit declaratoria modo sequenti.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA V.

Habita relatione nostri Proc. Fiscalis, in Terra N. nostræ Diœcesis contractum fuisse matrimonium *clandestinè absque Denunciationibus* inter N. & N. receptisque depositionibus testium, ex quibus constat, quòd Parochus Ecclesiæ N. *qui illud prohibere debuerat*, spontè *præsentiam præstare*, eique interesse præsumpsit, *absque necessitate:* ideò, *eo priùs monito* ad dicendum causam quare non deberet ab officio suspendi, & nihil, quod relevet deducto, in executionem statutorum Sac. Canonum, ipsum Parochum N. *per triennium ab Officio suspendimus*, & pro suspenso haberi volumus, & declaramus, *& ad Valvas Ecclesiæ Parochialis denunciari mandamus, omni &c.*

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

N. Actuarius.

SUM-

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium contractum absque denunciationibus, est validum, sed est clandestinum tertiæ speciei.*

2 *Parochus, & contrahentes Matrimonium sine denunciationibus culpabiliter, puniuntur arbitrio Ordinarii; sicut & testes, qui cum dolo præsentiam præstant, & num. 3. & 4.*

5 *Milites, qui sunt in expeditione, vel statione, si volunt matrimonium contrahere, tenentur servare dispositionem Concilii Tridentini, & afferuntur Decreta Sac. Congr. Concilii.*

6 *Parochus potest, imò debet se opponere, & resistere Matrimoniis clandestinis, fugam tentando, & aures claudendo.*

7 *Præsentia Parochi in matrimonio contrahendo, est triplex, & latè examinatur conclusio, ad dignoscendam validitatem Matrimonii, & n. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.*

14 *Parochus, aliqua causa urgente concurrente, potest omittere denunciationes, & quænam sint justæ causæ, indicatur.*

15 *Datur formula monitionis faciendæ contra Parochum omittentem denunciationes.*

16 *Parochus, nisi proponat excusationes relevantes, non potest à censura suspensionis contra se lata appellare.*

17 *Denunciationes Matrimonii non præsumuntur factæ, sed ab allegante probandæ sunt.*

18 *Censura suspensionis comminata contra Parochum in cap. cum inhibito §. fin. de clandest. desp. non est lata, sed ferendæ sententiæ.*

19 *At postquam erit promulgata, Ordinarius Parochum absolvere nequit.*

20 *Parochus, quando est certum, nullum adesse inter contrahentes impedimentum, si omittat unam denunciationem (vel aliqua alia rationabilis causa urgens concurrat) mitius punitur.*

21 *Parochus si assistat Matrimonio contra prohibitionem Episcopi, pœna arbitraria punitur.*

22 *Parochus, nisi denuncietur publicè suspensus, Parochiani possunt petere, & ipse administrare Sacramenta absque incursu irregularitatis.*

23 *Ordinarius unius ex contrahentibus Matrimonium, dispensat cum utroque in denunciationibus.*

ADNOTATIONES.

CLANDESTINE ABSQUE DENUNCIATIONIBUS. 1
Matrimonium contractum absque Denunciationibus, licèt sit validum, etiamsi Ordinarius recuset dare licentiam, quòd fiant post, Barbos. *decis. Apostolic. collect.* 447. *num.* 1. & est communis opinio: dicitur tamen clandestinum tertiæ speciei, ut dixi in *par.* 2. *tit.* 16. *ad form.* 2. *num.* 27. quia Parochus sine expressa facultate Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, illas præterire, & remittere 2
non potest: imò eas culpabiliter omittendo, tàm ipse, quàm contrahentes graviter, & mortaliter peccant, & Matrimonium subjacet pœnis clandestinitatis, adeò ut non solùm pœna suspensionis, sed aliis arbitrio Episcopi, Parochus puniri possit, Barbos. *de offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 2. Sanch. *de matrim. lib.* 3. *disp.* 5. *num.* 6. Pac. Jord. *elucubr. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 7. *num.* 23. & 24. Biss. *hierurg. litt. D. num.* 90. §. 25. Contrahentes verò ab eo- 3
dem Ordinario puniuntur, ut habetur in *d. cap. cum inhibito* §. *fin.* Pac. Jord. *loco cit. num.* 27. *Sac Congr. Concilii in Boven.* 28. *Januarii* 1690. qua declaratione decisum fuit, quòd Episcopus contrà eos, qui Parochum dolosè compulsum adesse curarent, & matrimonium sine denunciationibus contrahere præsumerent, potuisset in Synodo in subsidium pœnæ pecuniariæ (si ista esset inexibilis) imponere etiam pœnam excommunicationis juxta quintum Decretum Concilii Provincialis Mediolanen. quod admit- 4
tit etiam Card. de Luc. *de matrim. disc.* 2. *num.* 7.

num.7.verſ.apponebatur, Pignatell.*conſul.* 147.*num.*17. ubi de pœna interdicti ab in greſſu Eccleſiæ *to.*4. cæterùm contrahentibus in gradu aliàs permiſſo, & licito, omiſſis tantùm denunciationibus, imponenda eſt alia pœnitentia *gloſ. in c.cum inhibito* §.*fin. de cland. deſp.* Pirhing. *in jus can.lib.*4. *tit.*3. *num.*40. & 43. teſtes autem ſi ſint in dolo, qui præſentiam præſtant matrimonio clandeſtino, & contractò contrà præceptum Eccleſiæ, quia peccant mortaliter, arbitrio ipſius Ordinarii puniri debent, Pignatell.*eodem loco num.* 18. *Sac. Congreg. Concilii*, quam retuli *p.*2. *tit.*16. *ad form.*2. *num.*29.

5 Et hæc, quæ de clandeſtinitate dicuntur, procedunt etiam in matrimoniis, quæ contrahuntur à militibus exercitus, qui ſunt in expeditione, vel ſtatione, hi etenim in locis, ubi Concilium publicatum fuit, tenentur illius diſpoſitionem ſervare, niſi indultum habeant Apoſtolicum, ſic cenſuit Sac.Congreg. Concilii, nam dubiis remiſſis à Sac. Congreg. S.Officii, in quibus proponebatur.

Primò. An Cappellani cujuſvis exercitus, ſivè Regulares, ſivè Sæculares Catholici, poſſint adminiſtrare militibus in Præſidiis degentibus Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ per modum viatici, & extremæ unctionis ſine ſpeciali facultate Sedis Apoſtolicæ, vel licentia, & approbatione Ordinarii in cujus Diœceſi extare contigerit?

Secundò. An aſſiſtere matrimoniis militum cujuſcumque ſtationis degentium in Præſidiis cum Militaribus fœminis, ſine dicta facultate Apoſtolica, & præcedenti probatione ſtatus liberi, ejuſque recognitione coram Ordinario loci, & licentia Parochi ſub cujus Parochia maneant?

Tertiò. An idem cum Militibus degentibus in Caſtris, & Stationibus hybernis, vel æſtivis?

Quartò. An idem cum Militibus in actuali expeditione poſitis?

Quintò. An idem cum Militibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus, ſed Italis originariis loci, ſivè Diœceſis in qua reperiuntur.

Sextò. An Milites Acatholici cum Acatholicis contrahentes teneantur ſervare formam præſcriptam à Sac. Conc. Trid.

Septimò. An eo magis Acatholici contrahentes cum Catholicis Mulieribus militaribus, & non militaribus in Præſidiis, Caſtris, & expeditione manentes?

Octavò. An Cappellani Acatholici aſſiſtere poſſint matrimoniis Acatholicorum cum Acatholicis; & reſpectivè Catholicis, etiam intrà fines Italiæ? Et quatenùs negativè in omnibus præter ſextum, & ſeptimum.

Nonò. An & quod pro ſanatione geſtorum in præteritum, & faciendorum in futurum ſuper prædictis omnibus pro certa regula Sanctiſſimo conſulendum, & ſtatuendum ſit?

Sac. Congreg. die 6. Martii 1694. reſpondit.

Ad primum. *Negativè*.

Ad ſecundum. *Negativè* confirmat. *in Caſalen.*28.*Junii* 1704.

Ad tertium. *Negativè*.

Ad quartum. *Negativè*.

Ad quintum. *Negativè*.

Ad ſextum. *Affirmativè*, ubi publicatum fuit Concilium juxtà Decretum Sac. Congreg.26. Septemb.1602.

Ad ſeptimum. *Affirmativè*. Et ulteriùs indigere diſpenſatione, ut matrimonia licitè fiant.

Ad octavum. *Ut ad* 6.

Ad nonum. Quoad præteritum circa Sacramentum pœnitentiæ non eſſe inquietandas conſcientias: & circa matrimonia pro ſanatione cum Sanctiſſimo renovato conſenſu etiam coram Confeſſario, qui teneatur tradere teſtimonium renovationis conſenſuum Parocho illius loci ubi ſequuta eſt talis renovatio conſenſus.

Proptereà debent locorum Ordinarii, in quorum Diœceſibus hujuſmodi milites ſtationes habent, & demorantur, edicto publico eos, & eorum Cappellanos, nec non parochos, & ſubditos monere, nè prædicta matrimonia attententur abſque ipſorum Ordinariorum expreſſa licentia, ſub pœnis nullitatis, illegitimitatis propriis, & excommunicationis ipſo facto incurrendis, aliiſque eorum arbitrio irrogandis.

6 *Qui illud prohibere debuerat*: Parochus

chus quantum in se est, positivè resistere debet clandestinis matrimoniis, prout sancitum fuit in Concilio Lateranensi sub *Innoc. III.* celebrato, ac relato in *cap. cum inhibito*, ideòque ad evitandam suspensionis pœnam, & peccatum lethale, omnem tenetur adhibere diligentiam, nè matrimonia clandestina sequantur, nec illis assistat, proptereaque in casibus inopinatis, deficientibus aliis mediis prohibendi, vel resistendi, potest, & debet tentare fugam, oculos claudere, & aures obturare, quia ità faciendo, non solùm malum non facit, sed præmium meretur, & laudem, ut luculenter doctèque demonstrant D. Advocatus Ursaya in sua elaborata Dissertat. *de matrim. nullit. typis edit in Urbe anno 1696.* apud Buagnum *dub. 2.* & alii duo celebres Theologi in eorum responsis impressis post eundem.

7 *Præsentiam præstare*. Præsentia triplex assignatur, alia physica, alia localis, alia moralis, Hìc juxta casum figuratum in formula, ut Parochus mereatur pœnam, debet esse præsens præsentia voluntaria morali, prout requiritur in matrimonio de necessitate, cum intelligentia rei, quæ agitur, non autem solùm physica, tum quia præsente aliquo non dicitur fieri id, quod ab eo non intelligitur juxta *text. in l. coram Titio, ff. de verb. signif.* Barb. *dict. 71. num. 2.* Donat. *prax. rer. regular. tom. 3. tract. 7. quæst. 107. num. 2.* tum quia dum non intelligit, & non advertit non potest Ecclesiam certam reddere de contractu matrimonii, Ursaya *d. disert. de matrim. nullit. §. 11. num. 9.* Lodiger. *post eum ad tertium dub. num. 5. & seqq.* ubi innumeri allegantur concordantes. Et ratio est, quia Parochus non adhibetur, neque præsentiam præstat, uti minister Sacramenti, sed tanquam testis

8 magnæ auctoritatis, de quo Ecclesia confidit, ut inquit Fagnan. *in c. quod nobis num. 54. de clandest. despons. & in c. littera num. 23. de matr. contract. contr. interd. Eccles.* Piasec. *in prax par. 2. c. 4. art. 4. num.*

9 18. Et sic ubi Parochus fuit præsens, sed non audivit verba, nec alio modo intellexit expressionem consensus utriusque contrahentis, matrimonium non esset validum, nec diceretur contractum coram Parocho, nec ipsum præsentiam præstasse, Barbos. *de offic. Paroch. cap. 21. num. 49. de potest. Episc. alleg. 32. num. 78. & suprà Concil. d. cap. 1. de reform. matrim. num. 72.* Ciarlin. *contr. 131. num. 29.* Capon. *discept. for. 277. num. 16.* Panimoll. *decis. 19. adnot. 1. num. 7.* Pignatell. *consult. 62. num. 2. tom. 7.* Ricc. *prax. for. Eccles. tom. 3. resol. 431. num. 3.* & alii in magno numero cumulati ab Ursaya, & à dd. Theologis d. loco citatis *supra 2. dubium*.

Et hoc procedit, etiamsi ipse Parochus affectaret, & data opera v. g. claudendo oculos, vel aures personas contrahentium non videret, & verba mutui consensus non audiret, Guillelm. Herinex. *theolog. moral. tract. 5. de Sponsal. num. 23.* Sanch. *de matrim. lib. 3. disp. 39. num. 6.* Gobat. *tract. 9. de absent. Paroch. dirim. matrim. cas. 18. sect. 1. num. 491.* Pac. Jord. *elucubr. tom. 1. lib. 3. tit. 7. num. 99. & 100.* Biss. *hierurg. lit. P. verb. Parochus circa matrim. num. 37. §. 71. & 73.* Ursaya *loco citato §. 13. per tot.* Lodiger. & Liber à Jesu post eum *ad 3. & 4. dubium*. 10

Et ratio viva est; quia dum verè non audit, nec intelligit, testis esse non potest, & tamen ad hoc ut matrimonium dicatur contractum coram Parocho, debet ipse (cui in hoc plenè creditur Rot. coram Cerro *decis. 761. nu. 13.*) testari de voluntate actuali contrahentium perfecta, non autem de inchoata, & virtuali, quia aliàs matrimonium contractum fuisse, deduci non potest, ex complexu conjecturarum antecedentium, concomitantium, & subsequentium, cùm Decretum Concilii, quod præcisè dat formam contrahendi, non possit per æquipollens adimpleri, ut firmat Rot. coram Dunoz. sen. *decis. 308. per tot.* Pirhing. *in jus can. lib. 4. tit. 3. num. 7. vers. denique*, & alii plures ab Ursaya, & præfatis Theologis post eum loco citato cumulati. 11

Verùm est tamen quòd si Parochus vi, vel fraude detentus, & ad assistendum vocatus, affectat, & adlaborat, ac fingit non audire, sed verè, & naturaliter audit, & intelligit, ac sensu percipit consensum: tunc matrimonium 12

 licèt

licèt illicitum, validum eſt: quia præſentia Parochi intelligentis, & advertentis licèt coacta, ſufficiens eſt ad teſtificandum, ut probat Urſaya loco allegat. §.16. *num.*6. *& ſeqq.* & ita intelligenda ſunt Decreta, quæ in hoc articulo de Parocho affectante non audire, allegari ſolent, & advertunt etiam Sanch. *de matrim. lib.*3. *diſput.*39. *dict. num.*6. Ricc. *prax. rer. for. Eccleſ. par.*3. *reſolut.* 431. *num.*3. *&* 4. Bonac. *de Sacram. matrim. quæſt.*2. *punct.* 8. *num.* 20. Pac. Jord. *&* Biſſ. *in locis mox ſupra allegatis*. Cæterùm opinio quæ tenet, quòd pro validitate
13 matrimonii ſufficiat præſentia Parochi purè phyſica, ſeu materialis, fuit jam à plena *Congregatione Concilii* viginti unius Cardinalium in Romana Dubior. Matrimonii ſub *die* 7. *Martii* 1700. plenis votis reprobata.

14 *Abſque neceſſitate*. Hoc exprimitur in formula ad judicandum, quòd in hoc crimine punitur præſumptio, etenim ſi aliqua juſta cauſa urgeret, poſſet Parochus abſque incurſu pœnarum, ſine Denunciationibus matrimonio aſſiſtere, v. g. ſi timore mortis comminatæ, vel alterius graviſſimi damni compelleretur aſſiſtere, vel ſi ſubeſſent cauſæ, ex quibus Epiſcopus teneretur diſpenſare, & ipſe petitam licentiam nollet concedere, vel illius copia non poſſet haberi: tantaque urgeret neceſſitas, ut non pateretur dilationem, nam in his circumſtantiis lex Eccleſiaſtica non obligat cum tanto rigore, prout tradunt Sanchez *de matrim. lib.*3. *diſp.* 10. *num.*27. *& ſeqq.* Pac. Jord. *elucubr. tom.*1. *lib.*3. *tit.*7. *num.*30. 31. *&* 32. Biſſ. *hierurg. lit. D. num.*90. §.19. Corrad. *prax. diſp. lib.* 7. *cap.*7. *num.*26. Guttier. *de matrim. cap.* 57. *num.*7. qui *num.*8. monet, quòd ſi mortis comminatio eſſet commentitia, fraudolenta, vel ſimulata, ipſeque Parochus fraudis, & ſimulationis particeps, ut hoc figmento, à punitione Ordinarii liberaretur, tunc conſtito de hoc, graviùs ſit puniendus. Quæ autem ſint cauſæ juſtæ, in quibus Epiſcopus diſpenſare tenetur, habentur apud Sanch. *de matrim. lib.*3. *diſput.*9. *per tot. & apud me par.* 1. *tit.*8. *ad form.*8. *num.*5.

15 *Eo priùs monito*. Conſtito de celebratione matrimonii ſine denunciationibus abſque diſpenſatione Epiſcopi, ſive ejus Vicarii, citandus erit Parochus.

Ad dicendum cauſam quare non debeat ab Officio ſuſpendi ob præſentiam, & aſſiſtentiam præſtitam celebrationi matrimonii initi inter N. & N. ſuos Parochianos abſque denunciationibus, in termino peremptorio trium dierum, aliàs, &c.

Si Parochus à comminatione cenſuræ 16
appellet, Ordinarius appellatione non attenta, elapſo termino ad declaratoriam procedat, ſi verò compareat, & excuſationes proponat relevantes, erit ſuperſedendum dato termino congruo ad illas probandum: quo elapſo, & excuſationibus non verificatis, ferenda erit ſententia ſuſpenſionis, à qua ſi Parochus appellet, non debet retardari executio, ſed removendus erit ab officio, & appellatio admittenda in devolutivo tantùm: quoniam tam *text. dict. cap. cum inhibito*, quàm Concilium, mandant quòd hoc crimen, cognita culpa puniatur, quòd ſi Epiſcopus non faceret graviter peccaret, ut ex Boſſio *de matrim. cap.*6. §.22. *num.*69. tradit Pignatell. *dict. conſult.* 47. *num.*21. *in fin. tom.* 4. Et eſt
notandum, quòd denunciationes matri- 17
monii in dubio non præſumuntur factæ, ſed ab allegante probandæ ſunt, ut tenet Ricc. *deciſ.*152. *num.*1. *& per tot. par.*3.

Per triennium ab officio ſuſpendimus. 18
Ideſt à functionibus, ſeu muneribus Parochi, & ordinis executione, ac exercitio, non autem à beneficio, niſi ab Epiſcopo pœna aggravetur. Hæc autem cenſura non eſt latæ, ſed ferendæ ſententiæ, & ideò in formula ab Ordinario fertur, non autem declaratur incurſa, & quamvis nonnulli DD. quos refert & ſequitur Sayr. *de cenſur. lib.*4. *cap.*15. *num.*8. voluerint, quòd ſit latæ ſententiæ, contraria tamen ſententia, quam tenent mox citandi, verior eſt, quia verba illa textus — *per triennium ab officio ſuſpendatur*, ſunt futuri optativi, & exigunt, ac reſpiciunt actum, & miniſterium Judicis, prout quando canon dicit: *excommunicetur*, ita Sanchez *de matrim. lib.*3. *diſput.* 48. *num.*2. quem ſequuntur Barb. *in d. c. cum inhibito num.*23. *in fin.* Bonac. *de ſacr. matrim. qu.*2. *punct.*8. *n.*50. *ver.*

dico

dico tertiò, Pirhing. *in jus can. lib.*4. *tit.*3. *num.*42. Pignatell. *consult.*147. *n.*19. *tom.*4.

19 Ab hac tamen censura, postquam erit promulgata, non poterit Ordinarius Parochum absolvere, quia illum non imponit jure suo ordinario, sed tanquam Executor Concilii Lateranensis, quòd cùm tempus durationis præfiniverit, non potest inferior illam relaxare, ut de veriori docent Sanchez *de matrim. d. lib.*3. *disp.*52. *num.*2. Pirhing. *loc. cit. nu.*44. Pignatell. *d. num.*19. Sayr. *de censur. lib.*4. *d. cap.* 15. *d. num.*8. *in fin.* Guttier. *de matrim. cap.*75. *num.*23. & 24. Biss. *hierurg. lit. D. num.* 90. §. 27. & alii ab eis allegati.

20 Si autem Parochus ex aliqua justa causa unam tantùm denunciationem omitteret in casu, quo moraliter certum esset, nullum inter contrahentes subesse impedimentum, tunc mitiùs cùm eo agendum erit, quia in tali casu non adest præsumptio, nec contemptus, nec eum peccare saltem mortaliter putat Sanch. *de matrim. lib.*3. *disp.*5. *n.*7. Et cùm suspensio jure afflicta, non nisi ob peccatum mortale incurratur, ut ait Sayr. *de censur. lib.*4. *cap.*1. *num.*20. ideoque ab ista suspensione triennali esset excusandus, non tamen sine aliqua alia pœna mitiori arbitraria dimittendus; nisi causa omissionis esset valdè rationabilis, & urgens, quia ut advertit Pac.

21 Jord. *elucubr. tom.*1. *lib.*3. *tit.*7. *num.*30. ob istam omissionem tertiæ denunciationis possunt evenire gravia damna. Quando autem Parochus assistit matrimonio contra prohibitionem Episcopi, qui ad indagandum de aliquo impedimento dirimente, vel ad sedandas inimicitias, ad tempus mandat differri, etiam tunc (quia peccat graviter non parendo) pœna arbitraria punitur, ut ait Biss. *hierurg. lit.*41. *n.*1. §. 1.

Et ad valvas Ecclesiæ Parochialis denunciari mandamus. Hoc dicitur in formula ad ostendendum, quod hæc Suspensionis sententia, debet affigi, & publicari ad Valvas Ecclesiæ Parochialis, ad hoc ut innotescat Parochianis, nè ampliùs durante suspensione, nec petant, nec recipiant à Parocho suspenso Sacramenta, quia si Parochus suspensus nominatim, & publicè non denunciaretur, licitè possent petere, & ipse absque incursu in irregularitatem ea conferre, ut tradit Sayr. *de censur. lib.*4. *cap.*11. *num.*3. 22

Et nota etiam, quod ea, quæ dicta sunt de Parocho sæculari, militant: & æquè 23
benè applicantur Parocho Regulari, qui in exercitio, & administratione Curæ plenariè subjicitur Ordinario, ut alibi ostensum fuit, & quòd in dispensatione denunciationum, si contrahentes sint diversarum Diœcesum, Ordinarius unius ex eis, potest cùm utroque dispensare, ut docet Sanch. *de matrim. lib.*3. *disp.*7. *num.*7. ex rationibus, quas adducit *eod. lib. disp.* 9. *num.*4. Gavant. *in manual. verb. matrimonii denunciationes num.*20.

De Suspensione ferenda contenta in cap. Episcopus 35. dist.

Ludus alearum, sive chartarum, plurium malorum sentina, ut à Clero arceatur, Ordinarii pro posse curare debent, Clerici autem, & præsertim hi, qui in sacris ordinati sunt, si moniti à tali ludo nolunt abstinere, & obedire detrectant, eos à Divinis suspendere aliquando expediens, & utile erit, sequenti forma.

Sententiæ Declaratoriæ.

FORMULA VI.

VIsis, & attenta informatione capta, *ex qua constat*, Presbyterum N. *aleis ludere solitum*, *monitioni sibi factæ*, ut à tali ludo abstineret sub pœna suspensionis non paruisse, imò adhuc *dicto ludo etiam cum laicis deservire* (vel Tabernas frequentare) eum *a Divinis suspendimus* per tres menses, & suspensum declaramus, & denunciamus, *& eidem intimari mandamus*.

N. Vic. Gen.

N. Attuario.

SUMMARIUM.

1 *Ludus alearum prohibetur, tam jure canonico, quàm jure civili.*

2 *Datur formula monitionis cessationis ab hoc ludo, & informationis capienda, & num.3.*

4 *Datur formula suspensionis à Divinis, ex informata conscientia.*

5 *Episcopus in delictis difficilis probationis, sibi notis, potest extrajudicialiter, & sine processu, Clericos, & Presbyteros à divinis suspendere.*

6 *Qui raro, & modicè ludit recreationis gratia, non est processandus, quia non dicitur aleis deservire, & num. 11.*

7 *Clerici non sunt puniendi pro ludo alearum (nisi sint publici Aleatores) quando non præcessit monitio, ut desisterent.*

8 *Clericis prohibitum est cum laicis ludere.*

9 *Clerici dicuntur ludo alea deservire, si ludant frequenter, vel notabilem pecunia summam, ludo alea exponant.*

10 *Consuetudo nutritiva peccati, non excusat in conscientia, & n.12. 13. & 14.*

15 *Mala, & peccata, que ex ludo alea proveniunt, enumerantur.*

16 *Episcopi, & Regulares, non debent ludere aleis, & num.17.*

18 *Clerici Aleatores, & Tabernas frequentantes, arbitrio Episcopi puniuntur, & num.19.*

20 *Intimatio Decreti suspensionis, vel interdicti tripliciter fieri potest, & declaratur modus.*

21 *Preceptum Judicis, quo injungitur, ut quis se constituat in carceribus, est nullum, & injustum, & tanquam à jure improbatum sperni potest, & num.22.*

ADNOTATIONES.

E*X QUA CONSTAT*. Quia ludus iste non tantùm canonico, sed etiam jure civili (ob excessus, & crimina, quæ ab illo oriuntur) prohibetur, ut in *l.alearum* 15. *Cod. de relig. & sump. funer. Auth. interdicimus de Sanctis. Episc.* à Clericis est fugiendus, & ab Ordinariis inquirendus, & quos inveniat illum frequentare, moneat prima vice paternaliter, ut abstineant, si non pareant, secunda vice moneat judicialiter sic.

Moneris tu N. ut abstineas à ludo alearum, sive Chartarum, tam in publico, quàm in privato sub pœna suspensionis à Divinis, aliisque arbitrio, quoniam, &c. Instan. Promotore Fiscali Curia Episcopalis, &c.

Monitione executa, & in actis Curiæ reproducta, si Clericus non desinat ludere, examinandi erunt super transgressione monitionis testes, qui si illam probent, proceditur ad suspensionem, prout

ut in formula, pro tempore Judici bene viso, habito respectu ad circumstantias plus, vel minùs transgressionem aggravantes. Quòd si per testes transgressio probari non possit, prout sæpè contingit ob versutiam ludentium, & fidem datam sociorum ludi, si Judici de ea certò constet aliunde, poterit ad hanc pœnam, extrajudicialiter procedendo ex sola informata conscientia devenire, Decretum ita formando.

4 *Constito Nobis, Presbyterum N. esse reum criminis, eum ob causas, quæ animum nostrum digne movent, & de quibus Deo, & Sedi Apostolicæ cùm habuerimus in mandatis, rationem reddere debemus, & ex informata conscientia, à Divinis suspendimus per sex menses, & suspensum declaramus, ac ei decretum suspensionis intimari mandamus.*

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

5 Hoc enim casu Episcopus (qui subscribere debet Decretum, & non Vicarius) relicta via judiciali procedit contra reum ex informata conscientia extrajudicialiter, & illum punit pro crimine occulto sibi noto, nulla facta mentione delicti in specie, quod commisit, & in foro externo probari non potuit, nè detur ei ansa appellandi, & de nullitate, seù injustitia reclamandi, ob defectum processus. Et hoc remedio uti poterit in aliis casibus difficilis probationis mali exempli, nè delicta, & excessus remaneant impunita, juxta sibi traditam facultatem à *Conc. Trid. in cap.* 1. *sess.* 24. *de reform.* & prout hoc facere posse jam declaravit *Sacr. Congreg. Concilii in Bononien.* 14. *Novembr.* 1654. in qua cùm supplicatum fuisset decretari -- *An Ordinariis locorum facultate sibi concessa à S. Conc. Trid. sess.* 14. *cap.* 1. *de reform. liceat ob legitimas causas suspendere etiam extrajudicialiter Clericos, & Presbyteros sæculares, etiam Parochos sibi subditos, sublata eis potestate appellandi. Congreg. Concilii censuit Ordinariis* ut suprà licere, quam declarationem refert Crispin. *de visit. pastor. par.* 3. §. 5. *num.* 5.

Aleis ludere solitum. Hoc dicitur ad demonstrandum, quòd inquisitio, & processus instrui debet adversùs Clericos Consuetudinarios, qui pœnam suspensionis merentur: alii enim qui raró, & modicè ludunt non sunt processandi, prout colligitur ex citato *text. in d. cap. Episcopus* ibi -- *alea, atque ebrietati deserviens*, idest ut ait ibi *glos.* valdè serviens, Barbos. *ibi num.* 5. Menoch. *de arbitr. cas.* 399. *num* 19. & 20. Hoc namque interdictum pertinet ad solitos ludere, sive ad frequentantes aleas, sive ad deservientes aleæ, ut notat Martin. del Rio *disq. magic. lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 2. *lit. D. pag. mihi* 443. & ideò, qui occasione convivii, recreationis, vel causa honoris per modicum tempus aleis ludit excusatur, ut tradunt Graff. *decis. aur. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 121. *num.* 11. Graff. *de effect. cler. effect.* 22. *num.* 27. & *seqq.* Pirhing. *in jus can. lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 25. ubi hæc habet -- *Clericos ludentes aleis raró, & modestè ob recreationem, omninò excusari à peccato, si lex Diœcesana ipsis non prohibeat tales fortunæ ludos*, & si (adde tu) caveant fraudes, dicta, & facta turpia. 6

Monitionis sibi facta. Clerici, nisi sint publici aleatores, non debent pœna suspensionis puniri pro ludo aleæ, nisi priùs fuerint moniti, ut desinant, & cessent aleis ludere: monitione autem facta, si non desistant, & adhuc perseverent, pœna gravanda erit Judicis arbitrio, ut volunt Menoch. *de arbitr. d. cas.* 399. *num.* 3. Lel. Zecch. *de republic. Ecclesiastic. tit. de Cleric. num.* 7. *vers. quinquagesimo octavo* §. *Similiter*: Ideoque, ut Clericos aleatores de inobedientia inexcusabiles reddat, & in re prohibita reddat contumaces: Ordinarius monitionem præmittere non obliviscatur. 7

Dicto ludo etiam cum laicis deservire. Clericis prohibetur, non tantùm cum laicis ludere ludo alearum, sed etiam alio ludo licito, adeò, ut casus indè proveniens, Clerico imputetur, *cap. continebatur ubi glos.* 2. *de homic.* Graff. *decis. aur. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 12. & 13. Dicitur autem Clericum ludo aleæ deservire, si frequenter ludat, aut notabilem pecu- 8

9 niæ summam spectato statu suo, ludo
aleæ exponit, nam tunc eum peccaret
mortaliter, maximè si pecunia exposita
sit de bonis Ecclesiæ, ferè omnes DD.
admittunt, & præsertim Navar. *manual.
Confess. cap.20. num.9.* Graff. *dict. cap.9.
num.10.* Graff.*de effect.cleric. d. effect.22.
num.32. & seqq.* Pirhing. *loco supra ci-
tato d.num.35.* Sebast. Medic. *tom.3. in
summ.peccat. part.2. tit.7. quæst.26. ver.
tertia sit conclusio*, Pignatell. *consult.93.
num.9. tom.6.*

10 Neque ab hac ludendi aleis prohibi-
tione Clericos excusat dicterium in ore
vulgi positum, quòd canones, id prohi-
bentes, sint antiquati, & per desuetudi-
nem jam fuerint abrogati: cùm passim
multi Clerici aleis ludant, & non puni-
antur, nec Confessarii scrupulum de hoc
ingerant: etenim respondetur. Primò,
quòd non minùs ardebunt qui cum mul-
tis ardebunt, ut ait *glos.in c. exigit. verb.
præterire de cens.in 6.* Secundò, quòd lu-
dus iste prohibetur Clericis sub gravi pœ-
na depositionis ab officio, quæ mor-
talem culpam præsupponit, & includit,
ut firmant DD. superiùs allegati, & sic
cùm asserta consuetudo sit nutritiva pec-
cati, non consuetudo, sed corruptela
nuncupatur, quæ non potest excusare in
conscientia, Sabell.in specie de consue-
tudine ludendi aleis in *summ. divers.tract.
§.Ludus nu.8. vers.quibus addo*, Giballin.
ad Constit.Ægid. lib.2. c.4. num.4. Ex hoc
enim ludo frequentato oriuntur cupidi-
11 tas lucrandi radix omnium malorum,
mendacium, verba obscæna, otiosa, &
vana, blasphemiæ, ira, desperatio, cor-
ruptio astantium, scandalum bonorum,
& contemptus prohibitionis Ecclesiæ, &
demum tria pretiosa ammittuntur, nem-
pe, tempus, pecunia, & devotio, ut ad-
vertit Graff.*d. c.9. num.23. & 24.* ubi dicit
quòd iste ludus propter mala prædicta est
fugiendus, tanquam res detestabilis,
Barbos.*in c.Clerici num.6. de vit. & honest.
cleric.* & latiùs dixi ego in *par.1. in Ap-
pendic. pag.360. num.27.* Proptereaque,
qui ludendo aleis, se exponit periculo
peccati, peccatum committit, quod non
excusatur à consuetudine peccandi, ut
probant Pignatell.& Sabell. loco mox su-
pra allegato.

Tertiò respondetur, quòd *cap. 1. dist.
35. & cap. penult. de vit.& honest. cleric.*
ludum alearum Clericis prohibentes,
fuerunt à *Concilio Trid. sess.22. cap.1. de
reform.* expressè innovati, ibique abro-
gantur consuetudines contrariæ, & in-
jungitur Episcopis ut eis non obstanti-
bus, canones quoad hoc observare fa-
ciant -- *ne subditorum neglecta emendatio-
nis, ipsi condignas, Deo vindice, pœnas
persolvant* (sunt verba Concilii) Hinc 13
duæ emergunt propositiones, quæ luso-
res devincunt, altera, quòd cùm Decre-
tum Conciliare contineat clausulam ir-
ritantem, excluditur contra illius dispo-
sitionem omnis prætensa contraria Con-
suetudo Gonzal. *ad regul.8. glos.15. num.
37.* Pignatell. *consult. 16. num.4. tom.7.*
Card. de Luc. *de jurisd. disc.42. num.85.*
Rot.coram Dunoz. jun. *decis.894. num.7.
& seq.* Altera, quòd Episcopus, nisi ve-
lit ipse pœnas culpis Clericorum luden-
tium debitas coram Deo persolvere, non
potest eos in hoc malo abusu tolerare,
nec excusare, Graff. *de effect. cleric. d.
effect.22.nu.21.* qui sic ait -- *ampliatur iste
effectus, ut in tantùm sit verùm quòd
Clerici ludentes non possunt excusari con-
traria consuetudine, quia talis consuetu-
do est damnata, & diceretur potiùs cor-
ruptela cap.inter dilectos, & ibi scriben- 14
tes de excess. prælat.* & tu lector adde,
quòd hæc consuetudo non excusat quo
ad Deum, sed accusat, Piasec. *in prax.
par.2.cap.5. art.3. num. 114.* latè Paris.*de
resign. benef. lib.5. quæst. 6. num. 120. &
quatuor seqq.*

Quartò negatur suppositum, quòd 15
Confessarii non faciant de hoc ludo Cle-
ricis pœnitentibus scrupulum, quia id
evenire solùm potest, vel quando Cle-
ricus rarò, & modicè ludit recreationis
gratia, ut suprà admissum fuit, vel
quando, ut morem gerat alicui personæ,
cui aliquo rationabili respectu, debetur
reverentia & obedientia, ludit, quia
ille imperat ludere, etiam frequenter si-
ne periculo peccandi. Cœterum Confes-
sarius tam tenuis litteraturæ, qui absol-
vat Clericum ludo aleæ inservientem, si-
ne correctione, sine pœnitentia, & sine
admonitione ut abstineat, apud me
non invenitur, sed pœnitens, qui de
hoc

hoc ludo nullum sibi faciat scrupulum, inveniatur, consentio.

16 De Episcopis, qui ludo aleæ nunquam debent ludere, ut monet Graff. *de effect. cleric. d. effect.* 22. *num.* 42. non loquor, quia nefas est dubitare inter eos aliquem inveniri, qui hoc licitum sibi putet, si enim ludus iste damnatur in Clericis, quid erit dicendum in Episcopo, & si Præsul est lusor, quomodò baculo pastorali attrahentur peccantes, & reducentur vagantes? juxta versum quem refert *gloss. in cap. unico verb. propter de Sacra Unct.*

Attrahe peccantes, rege justos, punge vagantes.

17 Nec minùs loquor de Religiosis Claustralibus, quibus satis est proponere monitum, Passerin. à Sextula *in tract. de stat. hom. tom.* 2. *quæst.* 187. *art.* 2. *num.* 344. ubi sic inquit — *Indè est, quòd nedum in Religionibus observantibus, sed in omni Religione Prælati, hujusmodi pestes, & ludos voluptuosos nulla consuetudine obstante juxta sancita in Concilio Trid. Sess.* 22. *cap.* 1. *extirpare debent, & graviter peccant si id non faciunt, & si hujusmodi ludos permittunt, & multò ampliùs si dant licentiam ludendi suis subditis: manifestum enim est, quòd per usum horum ludorum sub prætextu recreationis Fratrum, sternitur via ad dissolutionem Religionum, & præcipuè sancta paupertas evertitur.* Hæc Passerinus, quæ verissima sunt, quia ludere ludo prohibito, & statui religioso indecenti, non censetur honesta recreatio, ut benè observat Tamb. *de jur. Abb. tom.* 2. *disp.* 22. *quæst.* 12. *num.* 5.

18 *A divinis suspendimus.* Licèt Clerici aleatores juxta rigorem citati text. *in d. cap.* 1. *dist.* 35. si sint in sacris constitui, deponendi sint, & cæteri minorum ordinum excommunicandi, tamen hodie ex communi praxi, pœna Clerici aleatoris est Judici arbitraria, qui pro modo culpæ, & ludentium consuetudine temperat, & auget pœnam, ut tradunt Graff. *de effect. cleric. d. eff.* 22. *num.* 20. Pignatell. *d. consult.* 93. *num.* 30. *tom.* 6. & sic non solùm suspensione à Divinis, quæ est species depositionis ad tempus, sed carcere si clericus lusor non habet in ære, juxta versum.

Corpore det pœnas, qui caret ære malus.

Aut mulcta pecuniaria locis piis applicanda, lusores hujusmodi puniendi erunt ut cessent ludere.

Eadem pœna coerceri debent Clerici Tabernas frequentantes, nisi sint in itinere, *cap. fin. de vit. & honest. cleric. cap. nulli dist.* 44. Bellet. *disquis. cleric. par.* 2. *de pœn. cleric.* §. 15. *num.* 2. & 4. 19

Et eidem intimari mandamus. Intimatio Decreti suspensionis, sivè alterius censuræ tripliciter fieri potest. Primò; modo, & forma ordinaria, nempè per publicum Nuncium dimissa copia Decreti in manibus suspensi, vel interdicti, cum relatione exequutionis in actis facienda. Secundò per Cancellarium, sivè Actuarium Curiæ coram testibus. Tertiò per subscriptionem ipsius suspensi, sivè interdicti, acceptando Decretum in mansionibus Judicis, ne evadat publicum, & hic ultimus modus solet practicari in delictis occultis, ad evitandam diffamationem suspensi, v. g. in Clerico de adulterio, aut stupro imputato, qui apparenter potest de adulterio, vel stupro absolvi, secretò tamen, & in Cameta, in pœnam pecuniariam, & suspensionis à Divinis condemnatur, juxta notata per D. Rayn. *observ. crim. supplem. ad cap.* 28. *supplem.* 1. *num.* 30. 20

Advertere hic debent Episcopi, eorumque Vicarii, quòd si pro hujusmodi vel aliis delictis velint delinquentes Clericos carcere punire, constructo processu, non debent eis præceptum injungere ut compareant, & se constituant in carceribus sub pœna pecuniaria, & in subsidium censurarum, nec minùs si contumaces fiant præcepto, mulctam exigere, quia tale præceptum tanquam nullum, injustum, & iniquum non obligat, & sperni potest, cùm nemo carnem suam odio habere debeat, nec se ipsum prodere, & in carceribus constituere ut de communi volunt Cyriac. *contr.* 101. *num.* 65. Tondut. *de prævent. par.* 2. *cap.* 43. *num.* 1. & 2. & per consequens nec pœna in præcepto comminata poterunt mulctari. 21

Et

Et quamquam contraria praxis frequenter servetur in Curiis Episcopalibus Regni Neapolitani, illam tamen dum Venusii eram Vicarius servare nolui, quia tum à jure, tum à DD. supra allegatis improbatur, & aliis concordantibus citatis fusiùs reprobat D. Raynald. *observ. crim. supplem. ad cap. 2. supplem. 2. an. 135. ad num. 147. & num. 172.* Et ad summum ex vi præcepti ad informandam Curiam, & aliorum similium; delinquentes poterunt solùm effici, & reddi contumaces ad effectum, ut habeantur pro confessis, & convictis, aliis extantibus indiciis, & probationibus, & ut tanquam tales condemnari possint in pœnam patrati delicti, non verò ut valeant condemnari in pœnam comminatam in præcepto, seu citatione, ut D. Raynald. observat. ibid. *num.* 143.

De suspensione contenta in cap. dolentes de celebrat. missar.

Ut Divina officia studiosè, & devotè celebrentur, præsertim in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis Episcopi, aliive Ordinarii, evigilare debent. Quare si ad reformandam choralium festinantiam, scurrilitatem, & indevotam psalmodiæ recitationem, seù corporis compositionem, paternæ admonitiones, & charitas benigna Pastoris non juvant, nec prosunt, potestas omninò adhibeatur, & pœna suspensionis in hac Decretali Concilii Generalis Lateranensis sub Innoc. III. emanatæ contenta coercendi erunt refractarii, præmisso Decreto sequenti.

Sententiæ, sivè Decreti Suspensionis.

FORMULA VII.

Visa, & attenta informatione capta, *ex qua constat* Canonicum (sivè Presbyterum) N. & Canonicum N. Decreti Concilii Lateranensis, *& nostri Edicti*, super devota, & studiosa Divinorum officiorum celebratione, *& interessentia*, etiam post paternales admonitiones nostras, *transgressores, & violatores existere*, ipsos à divinis (seu ab officio, per tres menses suspendimus, & suspensos totaliter declaramus, & denunciamus, & intimari, & ad valvas Capituli publicari mandamus.

N. Vic. Gen.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Laici sunt idonei Testes ad probandas scurrilitates Clericorum in Choro.*
2 *Edictum affixum in Sacrario, stat loco monitionis.*
3 *Canonici tenentur interesse lectioni Canonici Theologi.*
4 *Prætensio præcedentiæ, non excusat à residentia, quando Episcopus locum assignavit.*
5 *Canonicus primò receptus, an & quando locum cedat Canonico Presbytero, secundò recepto, & stallum recuperet, si fiat Sacerdos ostenditur,* & n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.
14 *Presbyteri simplices, debent inter se præcedere juxta antianitatem suscepti ordinis Presbyteratus, etiam si aliquis ex eis sit Doctor, vel Vicarius foraneus.*
15 *Consuetudo immemorabilis nunquam censetur exclusa,* & n. 16. & 17.
18 *Consuetudo, quæ in loco viget, ut Vicarius foraneus præcedat alios Presbyteros, servanda est.*

19 *Vi-*

19 *Vicarius foraneus, alios Presbyteros antianos non praedit, etiamsi sit Vicarius S. Officii.*

20 *Canonici, & alii Presbyteri Choro addicti, quando dicantur transgressores c. dolentes de celebr. missar.*

21 *Episcopus non potest Beneficiatis addere onera in fundatione non apposita, aut à Sac. Canonibus non imposita.*

22 *Ordinarii locorum in condendis legibus, & statutis, non quod est melius simpliciter, sed quod est melius possibile velle debent.*

23 *Choro inservientes, si moniti etiam per Edictum, non se emendant, & indevoti persistunt, sunt sine venia suspendendi à divinis, etiam ex sola informata conscientia.*

24 *Episcopus diebus festis, interesse debet Choro, & afferuntur rationes.*

ADNOTATIONES.

1 EX *QUA CONSTAT*. Si de transgressionibus legis Ordinarii, & aliis à jure prohibitis actionibus, juridicè constare non possit, ut potè, quia testes potentiam, & vindictam transgressorum formidantes, trepidant veritatem propalare: utendum erit remedio Concilii jam insinuato in praecedenti formula, advertendo, quòd ad probandum hoc crimen non solùm sunt idonei testes clerici, & Pesbyteri qui sedent in Presbyterio, sed etiam laici extranei, qui dum in Ecclesia morantur observare, audire, & videre possunt actiones choralium prohibitas.

2 *Et nostri Edicti*. Hac clausula in formula expressa, commonetur Episcopus, Ordinarius ut in primordio sui gubernii debeat edocere capitula suae Dioecesis, quomodo in Choro sit psallendum, qua pausa, & compositione corporis, & devotione, juxta Formulam à me datam sive aliam similem, & observantiam ordinationum, & praeceptorum injungere non solùm sub poena punctaturarum, sed etiam suspensionis à Divinis, nam post hujus Edicti evulgationem, choro inservientes, si fiant transgressores, possunt puniri absque alia monitione, cujus loco successit Edictum quod loco patenti in Sacrario affixum stare debet.

Et interessentia. Praeter chori interessentiam, debent Canonici intervenire concioni tempore quadragesimae, nec non lectioni faciendae per Canonicum Theologum qui idcircò tenetur diebus praescriptis explicare Sac. Scripturam, nec potest ab hoc onere se eximere sub praetextu, quòd non habeat auditores, ut declaravit *Sac. Congreg. Concilii in Fundana* 15. *Octobris* 1618. *lib.*4. *Visit. Sacr. limin.* quam per extensum refert Crisp. *inter Decreta Visit. Apostolic.* quae typis Montis Falisci edidit *anno* 1703. *cap.*5. §.2. *num.*1. his verbis- *lectioni Sac. Scripturae teneri saltem assistere Canonicos, ideoque Canonicum Theologum injunctum sibi munus, hoc certè praetextu detrectare non posse, quòd nullum habeat auditorem, ac proinde ab Episcopo cogendum esse statutis diebus ad ipsius Sacrae Scripturae expositionem*. Et concordant aliae declarationes, & auctoritates à me allegatae *par.* 1. *tit.*2. *ad form.*5. *num.* 8. & 9. *par.*2. *tit.* 16. *ad form.*10. *num.*6. 3

4 Et quatenus aliquis ex Canonicis sive Praebendatis, Officiis Divinis in Choro, Concioni, aut lectioni Canonici Theologi, interesse recusaret praetextu praecedentiae, & dignioris loci non dati non debet per hoc excusari; sed subtractione distributionum, & contumacia durante aliis poenis erit mulctandus; quoties ab Episcopo (qui omnes controversias inter Ecclesiasticos de praecedentia componit appellatione remota, *Concil. Trid. cap.*12. *sess.*25. *de regular.* ibique Gallem. *num.*1. Gavant. *in manual. verb. praecedentia num.*1.) fuerit assignatus locus in quo stare, & sedere debeat saltem provisionaliter, donec in petitorio controversia decidatur.

5 Et quia frequenter talis controversia oriri solet inter Canonicos diversi ordinis, putà quia Canonicus Diaconus primo loco in Capitulo, & Choro receptus non vult locum cedere Canonico Presbytero posteà proviso: vel Canonicus Diaconus primò receptus, qui locum cessit Canonico Presbytero secundò proviso, factus Sacerdos vult locum recuperare, & alium à stallo depellere, est scien-

ſciendum, quòd ad ſervandum ordinem hierarchicum in præeminentiis, eſt attendenda ordinis prærogativa, juxta diſinitionem *text. in cap. ſtatuimus de major. & obed.* & ideò in primo caſu Sac. Congr. Rituum sæpè ſæpius declaravit, quòd Canonicus Subdiaconus, aut Diaconus, teneatur locum digniorem cedere Canonico Presbytero, licèt poſteà recepto, & admiſſo, ut patet tam ex Decretis antiquioribus, quæ refert Pignat. *conſult.* 55. *num.* 12. *& ſeqq. tom.* 3. quàm ex aliis recentioribus, quæ à me relata fuerunt *tom.* 1. *tit.* 2. *ad form.* 4. *num.* 23. & hoc non obſtante Eccleſiæ, in qua recipitur, contraria conſuetudine, quæ abuſus dicitur ut habetur in Decreto per extenſum adducto à Ricc. *collect.* 1446.

In ſecundo verò caſu, Panimoll. *deciſ.* 1.
7 *annot.* 8. *nu.* 26. tenet, quòd ubi præbendæ non ſunt diſtinctæ, ſed omnes requirunt ordinem presbyteralem, præcedentia competat ſecundùm ordinem receptionis, adeò ut ſi prius receptus non ſit Sacerdos, donec ordinetur, præcedat Sacerdos ſecundò receptus; ſed poſtquàm promotus fuerit ad ſacrum presbyteratus ordinem, habere debeat præcedentiam, & locum ſecundùm tempus ſuæ receptionis, prout ſi à principio fuiſſet presbyter, cùm non amiſerit ſuum jus & quòd Canonicus Presbyter ſecundò receptus, debeat liberè dimittere locum primo recepto, & deinde Presbytero ordinato reſtituere, & eum in omnibus redintegrare, & allegat Barboſ. *in ſumm. deciſ. Apoſtol. collect.* 91. *num.* 5. & alias auctoritates.

8 Huic opinioni aſſiſtit regula, *qui prior eſt tempore, prior eſt jure*: ex qua provenit, quòd Canonicus, qui priùs cæpit poſſeſſionem debeat habere præcedentiam in Choro, in danda voce, & aliis juribus, ut firmant Gonzal. *ad regul.* 8. §. 3. *proœm. num.* 24. *&* 25. Ricc. *in prax. rer. for. Eccleſ. par.* 1. *reſol.* 565. *num.* 4. & ratio ea eſt, quia jus præcedentiæ non oritur ex dignitate, vel prærogativa alicui conceſſa ſed ex ſola poſſeſſione, & in juris exercitio, ut ajunt Gonzal. *gloſ.* 5. §. 9. *num.* 116. *&* Lotter. *de re beneſ. lib.* 2. *quæſt.* 25. *num.* 38. & alii ab eis allegati.

At licèt hæc de juris rigore urgeant; 9
nihilominùs videtur dicendum, quòd etiam in d. ſecundo caſu, Canonicus ſecundò receptus, qui tanquam Presbyter præcedentiam obtinuit, debeat manuteneri, quamvis Canonicus Diaconus primò receptus poſteà fiat Sacerdos; quia jus prælationis ſemel adeptum, nunquam ammittitur, ut Sacr. Congreg. Rituum declaravit, teſte Pignatel. *d. conſult.* 55. *num.* 25. Nec ſubſiſtit in jure prout dicit Panimoll. quòd Canonicus Diaconus per ceſſionem loci Canonico Presbytero factam non amiſerit jus, & ideò debeat jam ad Sacerdotium promotus redintegrari, quia hoc jus non poteſt ſtare in ſuſpenſo, niſi admittatur abſurdum contra diſpoſitionem text. *in l. fin. ff. commun. præd.* imò juris eſt quòd 10
ſemel extinctum, & amiſſum, ampliùs non reviviſcat, niſi per Principem iterum concedatur, ut in terminis præcedentiæ ait Navar. *conſ.* 10. *num.* 5. *de major. & obed.* etiam ſi poſteà cauſa amiſſionis ceſſaverit Cyriac. *contr.* 310. *num.* 113. *&* 114. *&* 115. Et hinc eſt, quòd in 11
proviſione Beneficii juriſpatronatus, proximior, qui eſt præſentandus ſi tempore præſentationis non eſt capax, non tollit jus quæſitum remotiori præſentato, quamvis habilitas proximioris ſuperveniat, Card. de Luc. *de jurep. diſc.* 45. *num.* 6. imò proximior in præjudicium remotioris jam præſentati, & habentis requiſita, nec eſt diſpenſandus à Papa, ut reſpondit Sac. Congreg. Concilii *in una Bononien.* 16. *Julii* 1695.

Neque obſtat regula, *qui prior eſt tem-* 12
pore, prior eſt jure: quia habet locum quando cætera ſunt paria, & non habet locum quando eſt expreſſum in jure contrarium, ut expreſſum reperitur *in d. c. ſtatuimus de major. & obed.* ut reſpondet Navar. *in d. conſ.* 10. *num.* 8. *&* 9. *tit. eod.* Nihilque facit diſtinctio Præbendarum: quia ſive ſint diſtinctæ, ſive non, ſemper viget ratio ordinis hierarchiæ: ut qui prior eſt in ordine, in loco etiam præcedere debeat: & demum non obſtant rationes, & authoritates in contrarium ſuprà allegatæ: quia in materia præcedentiæ inter Eccleſiaſticos, ſtandum eſt 13
declarationibus Sac. Cong. Rituum, ut mo-

monet Card.de Luc.*de praeminen. disc.*23. *num.* 4.

Si autem præcedentiæ controversia oriatur in aliis Ecclesiis, in quibus Horæ Canonicæ, & alia Divina Officia persolvuntur, prout in Collegiatis, vel in receptitiis, in quibus Clerici, & Presbyteri patrimoniales, ad participationem reddituum missæ communis non admittuntur, nisi illis more Canonicorum inserviant: tunc eadem regula servanda erit, ut qui priùs presbyter fuerit ordinatus aliis posteà ordinatis præcedere
14 debeat, etiam si inter eos adsit Doctor, vel Vicarius Foraneus Episcopi, qui alios Presbyteros non præcedit ex hoc solo, quòd sit Vicarius: quia ratione hujus officii, nulla ei competit præcedentia in Choro, sessionibus, processionibus, & aliis actibus, & functionibus Ecclesiasticis, ut pluries Sac.Rituum Congreg. declaravit, cujus decreta congerit Barbos. *de Canonic. & Dignitat. cap.*5. *num.* 57. non obstante contraria consuetudine, idem Barbos. *loc. cit. cap.*18. *num.*33. *& in summ. decis. Apostol. coll.*718. *nu.*2.*&* 3.

15 Verumtamen per hæc Decreta, non censetur exclusa consuetudo contraria immemorabilis, cui nunquam derogatur, nisi expresse dicatur, prout planum est, in lege Cæremoniali, in Decretis Concilii Trid. & in Constitutionibus Apostolicis. De libro enim Cæremonialis, quòd non tollat immemorabilem, jam sæpè declaravit Sacr. Congregat. Rit. prout refert Barbos. *in summ. decis. Apostol. collect.* 78. *num.*5. quamvis in Bulla confirmatoria sit expressè derogatum consuetudinibus contrariis, *& in Salamantina* 10. *Januarii* 1604.

16 De Decretis Concilii Trident. habentibus Decretum irritans, & clausulam sublata, quòd non tollant immemorabilem, jam pluries tenuit Rot.& præcisè in *Legionen. Parochialis* 27. *Aprilis* 1703. §. *Nec dici potest coram Pio* impressa post me *par.*3. *decis.*47. in qua aliæ Decisiones allegantur.

17 De constitutionibus Apostolicis, quòd nunquam censeantur derogare immemorabili, nisi expressè de immemorabili mentio fiat, firmavit eadem Rot. *in Burgen. juris deputandi Curatum* 21. *Februar.* 1684. coram Albergato §.*Gorruere* pariter impressa post me *dist. par.* 2. *decis.* 12.

Et sic, si in aliqua Ecclesia ex Consue- 18
tudine immemorabili, Vicarius foraneus, ratione Officii alios Presbyteros, quamvis antianos præcedit, servanda est quia in jure honorifico præcedentia ablata deformitate, totum facit consuetudo, Rot. *coram Seraph. decis.*716. *num.*17. Panimoll. *dict. decis.*1. *num.*19. *&* 20. & favore Vicarii foranei servandam esse, respondit quoque *Sacr.Congregat.Episcop.& Regular.*prout referunt Nicol. *in Flosc. verb. Vicarius num.*81. *& in lucubr. can. lib.*1. *cap.*28. *num.*25. Pignat.*consult.*83.*num.*4. *tom.*4. Præcisa autem hac consuetudine, Vicarius foraneus alios Presbyteros antiquiores non præcedet, etiam si esset Vi- 19
carius Tribunalis S.Officii, ut notat Caren. *de Sanct. Offic. par.*1. *tit.*11. §. 1. *num.* 2.

Transgressores, & violatores existere. 20
Transgressor, & violator decreti Concilii Lateranensis relati in *d.cap. dolentes* dicitur, qui post evulgationem Edicti Episcopi super illius observantia, pluries punctatus non se emendat, & monitus non se abstinet, à colloquiis vanis, risibus, nugis, sumptione tabacchi, legendis literis, & fabellis: Item si monitus ut deponat comam ficititiam, si non psallit, vel psallit oscitanter, & syncopando; si sedit & quando standum est, vel non genuflectit, & cæremonias à rubrica præscriptas spernit indevotè complet: hæc & similia cadunt sub censura d. decreti. Cæterùm si Episcopus in Edicto, præter ea, quæ tempus, ordinem, devotionem, corporis compositionem, psalmodiæ integritatem, & pausam juxta rubricas, & morem Ecclesiæ respiciunt, aliquid aliud præciperet, vel onus adderet, ad quod nec de jure, nec ex laudabili consuetudine aut statuto, Canonici, vel Clerici non tenentur, si illud non observarent, nec executioni mandarent, non dicerentur transgressores Edicti, nec idcircò suspendi, aut alio modo puniri possent; quia Ordinarium nova onera in fundatione Beneficiatis, & aliis Clericis à Sac.cano- 21
nibus, & Conciliis non imposita, addere seu augere non potest, Barbos. *supra Concil.*

cil. Trid. c. 5. sess. 25. de refor. num. 7. Ricc. in prax. par. 4. resol. 468. n. 2. ubi hoc ampliat, etiamsi aliquo tempore ex sua voluntate præstiterint, Garc. de benef. par. 7. cap. 1. n. 111. & 112. Fagnan. in c. conquerente nu. 24. & 25. de cleric. non resid. & etiam si consensus Canonicorum antecessorum intercessisset, Ricc. loco citato resol. 463. per tot. S. Congr. Concilii in Sarnen. 3. Julii 1690. in qua responsum fuit, Episcopum non potuisse addere onus Pœnitentiariæ, Canonicatui Erecto per Testatorem cum solo onere missarum, & in Asten. 14. Febr. 1699. in qua fuit responsum, onus personalis residentiæ, & celebrationis missarum per se ipsum à fundatore non injunctum, non potuisse addi per Executorem Testamentarium, neque in provisione Episcopi.

22 Quamobrem Episcopi, & alii Ordinarii, quoties Edicta, & Statuta Synodalia promulgant, debent respicere ulteriùs, non solùm ad jus purum, & rigorosum, sed etiam ad homines, ad loca, & ad tempus, quibus, vel in quibus leges sunt constituendæ: nam legislator, qui debet ordinare hominem in finem, non debet respicere in legem absolutè, sed prout est applicabilis, & conveniens eis, qui sunt ordinandi per legem in ultimum finem, & sic non quod est melius simpliciter, sed quod est melius possibile velle debet, ut benè advertit Sebast. Medic. tom. 1. in repetit. cap. erit 4. dist. num. 55. post tract. de legib. & stat.

23 *Suspendimus*. Qui in Choro Divina Officia indevotè, & inordinatè recitant & persolvunt, postquam moniti sint etiam per Edictum, & non se emendent, sunt absque venia suspendendi à Divinis in totum, vel à celebratione missæ tantùm, aut ab ingressu Ecclesiæ arbitrio Episcopi, ut ait glos. in clem. cupientes, verb. suspensis de pœn. quia Decreto Concilii Lateranensis (quod absolutè præcipit, ut studiosè, & devotè celebrentur ibi -- *districtè præcipimus in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum studiosè celebrent, pariter & devotè*) recusant obedire, & ideò qui nescit sacris parere canonibus, nec sacris administrare est dignus Altaribus, ut inquit D. Gregorius in c. hac consona 25. quæst. 1. hocque faciendum erit etiam sine processu, & ex sola informata conscientia, juxta modum supra in præcedenti formula insinuatum.

Ut autem Canonici, aliique Choro addicti, & præsertim in Cathedralibus, diligenter intersint, & devotè divina Officia persolvant, remedium efficax est præsentia Episcopi, qui si juxtà monitum cap. Episcopus de consecr. dist. 3. saltem diebus festis Choro interesset, defectus tollentur, desides erunt providi, incompositi modesti, & religiosi, Cursores & Syncopantes fient graves, & metro sonori, ut monet Navar. in Comment. de oration. cap. 5. nu. 19. ubi quòd ab hac interessentia Episcopus se excusare diebus Dominicis non possit: nam Regis ad exemplum totus componitur Orbis, nec sic inflectere sensus humanos Edicta valent, uti vita Regentis, ut ait glos. marginalis in cap. magnæ verb. agitur de vot. & vot. redempt. & ita à loco Sancto removebitur irreligiositas, & laici non vocitabunt ubi est Deus Clericorum; imò sculpere poterit in una Chori parte illud aphorismum D. Augustini -- *Hic versatur in corde, quod versatur in Ore*. Et ex alia versus Hic. 24

Non vox, sed votum; non musica cordula, sed cor.
Non clamor, sed amor pulsat in aure Dei.

De suspensione ferenda contenta in cap. consequens est 88. dist.

De negotiis Clericis prohibitis, & illicitis plura dixi in par. 1. tit. 5. ad form. 9. & in Appendic. pag. 357. & seqq. & p. 2. tit. 16. ad form. 1. num. 22. Hîc autem de pœna suspensionis qua coerceri debeant alia pauca addenda sunt. Quare si ex processu ad instantiam Fisci, vel partis constructo constet, aliquem Clericum in sacris constitutum, vel Beneficiatum, esse negocitatorem, vel aliquod officium, seu exercitium inhonestum, & illicitum exercere, & Ordinarius velit illum censura suspensionis punire, ad sequentem declaratoriam deveniet.

Præterea tenentur Canonici in habitu Canonicali accedere ad domum Episcopi, & illum associare ad Ecclesiam cum Cappa accedentem, & eundem in reditu comitari, etiamsi Ecclesia distet a domo Epis-

Episcopi per spatium non solùm sexaginta, sed centum sexaginta passuum ut ex Decretis Sac. Congreg. Rit. declaratum pluries fuisse testantur Gavant. *in manual. Episcop. verb. Canonicorum munera erga Episcopum* in addirione *n.*1.2.3. *&* 4. Barb. *de canonic. cap.*32. *nu.*2.3.4. *&* *n.*22. *&* 23. Et quatenus renueret (nisi in contrarium immemorabilis consuetudo adesset) posset illos ad hujusmodi obsequium præstandum etiam censuris compellere, per ea, quæ latè probat Pignatell. *consult.*83. *per tot. tom.*5. Cùm enim Cæremoniale *lib.*1. *cap.*15. id fieri per Canonicos mandet, per verbum *debent*, quod jussum, & parendi necessitatem significat, *clement. attendentes, verbo debeant de stat. monach* dubium non est, quin possit hanc vim coactivam exercere, & juris remediis uti: Verùm est tamen, quòd in hoc Episcopi prudentia potiùs, & suavitas, quàm juris rigor effulgere debet: & numquam excommunicationis remedium adhibere, prout dixi *in par.*2. *tit.*13. *form.*2. *num.*10. *pag.*43.

Sententiæ Declaratoriæ.

F O R M U L A VIII.

Viso, & attento processu constructo contra Presbyterum N. inquisitum *de licita negotiatione* (*vel de illicito exercitio*) ex quo constat de spretu nostræ monitionis, & de illicita negotiatione: *eoque monito* ad dicendum caussam, quare non deberet pœnis sacrorum canonum subjici, & nihil quod relevet deducto, eum *à Divinis in totum suspendimus*, & suspensum declaramus & denunciamus, reservato nobis jure contra eundem ad alias pœnas arbitrarias graviores procedendi, quatenus post intimationem præsentis nostri Decreti à negotiationibus (vel illicito exercitio) non desistat, & intimari mandamus.

N. Vic. Gen.

N. Actuarius.

S U M M A R I U M.

1 *Negotiatio est triplex œconomica, politica, & lucrativa, & declaratur divisio.*

2 *Clerici pauperes de licentia Episcopi possunt conducere prædia ad colendum, & exercere opera rusticalia, & num.*3.

*Dummodo opera non sint sordida, num.*4.

5 *Clerici etiamsi pauperes sint, non locant operas suas ad arandum, vel fodiendum, quia hæc reputantur, inhonesta: neque in propriis bonis rusticalia agere, neglectis muneribus ipsis incumbentibus.*

6 *Clericus Beneficiatus non potest neglectis oneribus Beneficii operas suas locare prætextu paupertatis.*

7 *Opinio glosæ præfertur opinioni alterius Doctoris.*

8 *Referuntur objecta Parochorum, qui missam Parochialem pro Populo renuunt applicare, & diluuntur, nu.* 9. 10. 11. *&* 12.

13 *Clerici plura facere possunt, quæ non cadunt sub negotiatione illicita, & enumerantur.*

14 *Clerici, qui habent sufficiens Patrimonium, vel Beneficium, aut honestum exercitium non possunt exercere negotiationem lucrativam.*

15 *Sacerdos, qui utitur orationibus, vel exercismis ad depellendos morbos, ab Ecclesia non approbatis, illicitè agit*

tè agit, & sunt reprobanda & num. 16.

17 *Animalia irrationabilia non sunt exorcizanda, neque anathematizanda, sed jejuniis, & orationibus expellenda, juxtamodum hic traditum & num.*18.

19 *Sacerdos secularis, vel Regularis, qui utitur superstitiosis orationibus sine dolo, si monitus non resipiscat est suspendendus, si verò dolosè, deponendus.*

20 *Episcopus in delictis pertinentibus ad S.Officium, punit Regulares.*

21 *Censura suspensionis, quæ fertur in pœnam criminis probati, potest infligi absque monitione.*

22 *Datur forma monitionum exequendarum contra Clericos negotiatores, & num.*23.

24 *Clericus Negotiator appellans à comminatione censuræ, est supersedendum à declaratoria, nisi delictum sit certum, & notorium, quia tunc appellatio non attenditur & n.*25.

26 *Clerici Negotiatores, sunt censuris puniendi, quia graviter peccant, imò, & aliis pœnis mulctandi.*

27 *Regulares Europei si sint Negotiatores afficiuntur iisdem pœnis.*

ADNOTATIONES.

1 DE *ILLICITA NEGOTIATIONE*. Negotiatio triplex est scilicèt, œconomica, politica, & lucrativa. Oeconomica fieri dicitur in iis, quæ concernunt sui, suæque familiæ substentationem, prout necessitas postulat: politica exercetur causa, vel intentione, succurrendi publicis necessitatibus, & hæc Præsulibus, & Civitatum Gubernatoribus convenit: lucrativa autem exerceri dicitur, quando quis aliquid emit, ut illud postea cariùs vendat, quæ duplici modo fieri solet: primò quando emptor rem, quam emit artificio, & industria mutat, & meliorat, ideoque cariùs vendit, hæcque non tam propriè dicitur negotiatio, quàm artificium: secundo verò modo quando quis emit ut cariùs vendat, nullo artificio adhibito, nullaque addita melioratione, & hæc est propriè negotiatio illicita, quæ Clericis est à jure interdicta, *in dict. cap. consequens est* 88. *dist. & in cap. sed nec, & cap. secundum, ne cleric. vel monac. cap. clerici, & cap. fin. de vit. & honest. cler.* & alibi: nam lucrativam primæ speciei possunt exercere si indigeant absque incursu pœnarum.

Quamobrem de licentia Episcopi, dummodò sint pauperes, possunt conducere 2 prædia laicorum ad colendum: quia hæc non dicitur negotiatio quæstuaria, ut dicit Graff. *de effect. cleric. effect.* 6. *num.* 31. & ideò, ut sibi, & suis quærant victum, & vestitum permissum est eis, ut exerceant opera rusticalia, v.g. fiscellas vincis, & canistra viminibus texere; Arbores plantare, vel inferere, proprias vineas putare, vel 3 fodere, & Olera herbarum Sarculo irrigare, ut faciebat ille, qui dicebat, *non sufficit aremus, nisi aremus*, text. est in *cap.* 1. *de celebrat. missar.* ubi dicitur -- *deinde peractis horis, & visitatis infirmis, si voluerit exeat ad opus rurale*, & tradit quoque Leoncil. *de privil. pauper. par.* 2. *privil.* 5. *num.* 8. imò & in bonis amicorum, & propinquorum operas diurnas præstare, ut illi easdem in prædiis propriis restituant: dummodò opera non sint sordida, & inhonesta, prout à Sac. Cong. Concilii declaratum fuisse refert Barb. *de jur. Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 127. ubi per extensum Decreta habet. 4

Non possunt tamen locare operas 5 suas ad arandum, vel fodiendum, quia hæc Clericis illicita sunt, & reputantur inhonesta, ut docent Genuen. *cap.* 75. *num.* 2. *in fin.* Graff. *de effect. cleric. effect.* 6. *num.* 46. neque in propriis bonis rusticalia agere, neglectis muneribus, ipsis incumbentibus, sed priùs his adimpletis oneribus, tempus quod superest operibus istis vacare possunt, ut dicitur in *text.* citato, & clariùs expressum habetur in *cap. Clericus victum* 91. *dist.* ubi sic dicitur -- *Clericus victum, & vestitum sibi artificiolo, vel agricultura, absque officii sui dumtaxat detrimento paret*. Ex quo canone infert *glos.* quòd Clericus non possit operas suas per totam diem locare, & si sit Beneficiatus, ut operas suas locet, non 6 valeat allegare paupertatem suæ Ecclesiæ.

siæ: quia sibi præjudicium fecit, quando permisit se promoveri ad tam tenuem Ecclesiam, quæ necessaria non tribuit, *sicuti enim Vir* (dicit glos.) *tenetur ministrare necessaria Uxori, quæ tamen est talis quæ ei debitum reddere non valet; ita iste teneatur officiare Ecclesiam, licèt pauper sit, & dicere cum Apostolo, scio abundare, & satiari, & esurire.*

7 Hæc glosæ doctrina, quæ præfertur cuicumque opinioni alterius Doctoris, ut ex Baldo tradit Fagnan. *in cap.ne innitaris num.*352. *de constit.*mirabiliter convincit illos Parochos, & Animarum Rectores, qui prætextu tenuitatis Congruæ omittunt missam Parochialem diebus festis de præcepto pro populo applicare, prout illos teneri, jam Sac. Congreg. Concilii pluries declaravit, ut à me in 1. & 2. parte hujus operis ostensum fuit, non obstantibus his, quæ ab eis ad se eximendum afferuntur, nempè.

8 Primò, quòd Decreta Sac.Congregat. emanarunt ipsis inauditis, & indefensis, & ideò non afficere asserunt. Secundò, quòd cùm ex redditibus Ecclesiæ non habeant congruam sustentationem possint eleemosynam pro missa diebus festis celebranda recipere: quia repugnat legi naturali, & justitiæ, quòd Parochus laboret, & seminet spiritualia, & temporalia pro victu necessaria, quæ ab Ecclesia non habet, non possit aliunde percipere; dignus est enim operarius mercede sua, juxta illud Luc.10.Tertiò, quòd plures DD. celebres teneant, ipsos ad hanc Sacrificii applicationem non teneri. Quartò, quòd si ad hoc onus implendum ipsi ratione curæ Animarum tenerentur, multò magis subjici deberent Episcopi, & alii Prælati Regulares, imò & summus Pontifex, & tamen nullus horum (ajunt ipsi) tale onus agnoscit.

9 Ad primum respondetur, quòd obligatio Parochorum, & aliorum Curam Animarum habentium applicandi Sacrificium pro Ovibus suis, provenit à jure Divino, ut definitum habetur à Concilio Tridènt. *Sess.*23. *cap.*1. *de reform.* Unde Decreta Sac.Congregat. nullum onus de novo inducunt, sed dies, & tempus applicationis declarando, illud quod latens erat manifestant, *l. heredes palam, ff. de testam.* ad hoc ut Episcopi id quærentes, sciant pro gubernio suarum Ecclesiarum, quomodo sit adimplendum: nam dubia juris interpretanda sunt à Principe, cùm illius sit declarare, cujus est condere; & sic non fuit necesse vocare Parochos. At si ipsi ex hac declaratione sentiunt se gravari, recurrant, & deducant, si habeant, quid opponant; interim tamen tenentur Decreta servare, non autem sibi jus dicere, & illa respuere: cùm certum sit ea non differre à lege declarata, & obligare in utroque foro, ut latè probat Fagnan.*in cap.quoniam de constit.* & P.Felix Potest.*in exam. Eccl.*quos allegavi *par.*2. *tit.*16. *ad form.* 2. *num.* 18. quibus nunc addo Donat.*prax. rer.regul.tom.*1. *p.* 1. *tract.*8. *qu.*4. *num.*5.

Ad secundum respondetur, quòd si non habeant congruam sustentationem, sibi imputare debent, cur tam tenue Beneficium voluntariè acceptaverint, ut dicit 10 *glos.in d.c.Clericus victum* 91. *dist.*vel possunt,& debent implorare officium Judicis, ut Parochiani, quæ ad sustentationem Rectoris sunt necessaria contribuant, juxta providam dispositionem Concilii Trid. *sess.*24.*cap.*13. ut benè observat Pirhing. *in jus can. lib.*3.*tit.*5.*nu.* 3. *vers.notandum secundo cum seq.*non autem onus,sacrificium pro populo applicandi jure Divino injunctum abjicere, quòd si Parochiani renuant Rectorem in necessariis subvenire, Sacramenta eis poterit denegare,ut tradit Surd. *de aliment. tit.*1. *quæst.*60. *num.*3.

Ad tertium respondetur, quòd cùm sit à Concilio Tridènt. definitum onus, 11 sacrificium pro ovibus suis jure Divino Rectoribus Curam Animarum habentibus injunctum esse, nil deferendum venit opinionibus Moralistarum, quorum dicta fortè bonam fidem inducere possent, quando Decreta Sacr. Congregationis super hac re non emanassent -- *cùm ad singularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo spectet Generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari,& ut ubique locorum serventur, curare, ac præcipere* (sunt verba proœmialia Bullæ *Sixti Quinti* erectionis Congr. Concilii *Bullar. tom.*2. *pag.*604.) Et sic Decretis prædictis standum est, tanquam emanatis à Judice, qui solus potestatem habet

Concilium interpretandi, non autem opinionibus DD. quibus interdictum est Concilii Decreta glossari, & interpretari, ut patet ex Bulla Pii IV. ejusdem Concilii Confirmatoria, *Bullar. d. tom. 2. Const. 73. pag. 104.*

12 Ad quartum respondetur, quod ultro admittitur, quòd Episcopi, & alii Prælati curam animarum habentes, & etiam Summus Pontifex teneantur frequenter Pro Ovibus sibi commissis Sacrificium offerre, ut jam probatum à me fuit, *par. 2. tit. 16. ad form. 2. à num. 21. ad 26.* & præter auctoritates ibi allegatas, pro indubitato tenet Episcopus Ricc. *in prax. rer. for. Eccles. par. 5. prax. bon. observ. & legis Episcop.* cum Baron. *cap. de oblig. Episcop. num. 8. & 9.* ubi hæc habet -- *obligatur tertiò Episcopus celebrare missam saltem omnibus Dominicis: & ratio est, nam Episcopus præcepto Divino tenetur Sacrificium offerre pro ovibus suis, Conc. Trid. &c.* At negatur, quòd Prælati hanc obligationem non agnoscant, & quatenus aliquis non agnosceret, non inde sequitur, quòd non teneatur, & præceptum Divinum ex hoc abrogatum sit.

Redeundo autem ad materiam, à qua 13 non inutiliter paulisper digressus sum. Possunt Clerici licitè præter jam dicta, conducere Agros Ecclesiæ, & illos opera laicorum colere facere: animalia emere, ut pascant in dictis prædiis conductis, vel in propriis, ut cùm pinguja fuerint, vel fœtus emiserint, vendant: fructus in propriis bonis recollectos vendere, aut vendi facere per alios etiam minutatim, vel alio transportare, ut cariùs vendant: locationes, seu affictus tamquam successores, & hæredes conductoris continnare, ut de his, & aliis similibus negociationibus licitis tradunt Barbos. *de jur. Eccles. lib. 1. d. cap. 40. à num. 119. usque ad num. 128.* Panimoll. *decis. 71. à num. 20. ad num. 44.* Et respondit quoque Sac. Congreg. Concilii *in Nullus, seu Squillacen. 14. Novemb. 1626.* Quæritur an Clericis liceat infrascripta facere absque reatu illicitæ negotiationis.

Primò. An liceat eis terras patrimoniales, ac Beneficiales opera laicorum colere?

Secundò. An pro necessario culturæ usu, possint emere Boves, & alia animalia; & fœtus illorum vendere.

Tertiò. An hi, qui in propriis bonis habent quercus, & castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, & sues alere, & pro sua, & familiæ sustentatione vendere.

Quartò. An iidem Clerici cum foliis suorum Arborum, possint in propriis Edibus arti sericæ operam dare, vel idem opus alteri ad medietatem committere.

Sacr. Congreg. &c.

Ad 1. censuit, licere Clericis agros Beneficiorum, & bonorum patrimonialium suorum, opera laicorum colere absque reatu illicitæ negotiationis.

Ad 2. posse similiter Clericos pro hujusmodi cultura usu Boves, & animalia necessaria emere, illorumque fœtus vendere, nec propterea eos prætextu prohibitæ negotiationis vexari posse, aut debere.

Ad 3. posse itidem pro sua, & familiæ sustentatione suos alere, & vendere dummodò tamen in alendis emendisve suibus, nihil sordidum aut indecens ordini Clericali exerceant.

Ad 4. licere Clerico Arborum in propriis bonis existentium folia alicui laico concedere pacto adjecto, ut lucrum, quod in bombycibus provenerit inter utrumque dividatur, ac pariter eidem licere eorundem Arborum foliis per se ipsum absque officii sui detrimento, ac pro sua, & familiæ sustentatione arti sericæ operam dare, dummodò in artificio prædicto personas non suspectas adhibeat, & quo ad hoc Episcopi licentia, quæ gratis detur, obtineatur lib. 13. decr. pag. 145.

Cujus Decreti occasione, cùm P. Passerinus (tunc Procurator generalis) dubium eidem Sacr. Congregationi proposuisset -- *An prædictis Presbyteris, & Clericis liceat absque negotiationis Clericis interdictæ nota, oves, boves, aliaque hujusmodi animalia emere, eaque locationis, aut Societatis titulo conductori, aut Socio tradere, ac lucrum ex hujusmodi locatione, sive Societate percipere. Die 7. Octobris 1662. Sacr. Congregat. S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, censuit non licere.* Quam resolutionem authenticam apud se retinuisse testatur, in *tract. de stat.*

*stat. hom. tom.*2. *quaest.* 187. *art.*2. *num.* 189. *pag.*339.

14 Notandum tamen est, quòd si Clericus haberet sufficiens Beneficium, vel Patrimonium, vel ex servitio Ecclesiæ perciperet necessaria ad sui, & suæ familiæ sustentationem, non posset licitè exercere negotiationem lucrativam primæ speciei: quia tunc fieret ex cupiditate lucrandi, non autem ad succurrendum propriæ indigentiæ, Panimoll. *decis.* 6. *annot.*5. *num.*23. *& dict. decis.*71. *nu.*2. imò ob inopiam licita erit dicta negotiatio, quando nullam haberet artem, vel exercitium honestum, ex quo possit victum quærere: si enim hoc haberet, illud exercere deberet, & non negotiationem, ut advertit Graff. *de effect. cleric. effect.*6. *nu.*27.

15 (*Vel illicito exercitio*) Rem illicitam exerceret simplex Sacerdos, vel Parochus, si in depellendis morbis, vel animalibus noxiis, uteretur orationibus, aut exorcismis arbitratu suo confictis, etiamsi viderentur bona: nam hæc censenda sunt vana, & superstitiosa aliqua specie superstitionis, & fieri saltem cum tacita Dæmonis invocatione, quæ toties fiunt, quoties quis enititur efficere aliquid per causas, quæ nec virtute sua naturali, nec ex Divina, aut Ecclesiastica institutione, possunt illud efficere, nec sunt ad illud ordinatæ, ut docent Navar. *cons.*57. *num.*8. *lib.*5. *de sentent. excomm.* Graff. *decis. aur. par.*1. *lib.*4. *cap.*6. *num.*12.

16 Quare Ordinarius in Visitatione debet de hoc inquirere, & Parochos, & Presbyteros interrogare, an utantur orationibus, & precibus in Missali, & Rituali non contentis: quas si inveniat eos habere, & illis uti suspectas habeat, & reprobare non moretur: prout illas reprobandas esse monet rationibus, & exemplis, Martin. del Rio *disquis. magic. lib.*3. *tit. de man. observ. quaest.*4. *sect.*7. *&* 8 *per tot.* Nisi fortè hujusmodi Orationes essent excerptæ integrè, & absque ulla mutatione ex Operibus Sanctorum Patrum.

17 Et hinc illicita res esset, si Parochus vel alius, animalia irrationabilia exorcismis adjuraret, vel anathematizaret; quoniam, & hoc vanum est: quia adjurare aliquam Creaturam irrationabilem nocentem, ad aliquem actum tanquam procedentem ab ipsa, est superstitiosum; cùm non sit ejus domina, sed Deus, qui movet eam, vel Dœmon, quatenus permissu ejus utitur ea ad nocendum nobis: ideoque hujusmodi adjurationes, quæ referuntur ad irrationabilia fieri non posse scienter sine peccato mortali, docent Navar. *dict. consil.*57. *num.* 10. *& seqq.* Graff. *loco citato num.*12.

Ideò edocendi sunt Clerici, quòd si Locustæ, vel Bruchi, vel aliud genus vermium damnum fructibus, & segetibus inferunt, non sunt adjurationibus istis expellendi: sed jejuniis, & orationibus humiliter obsecrandus est Deus, qui dicta animalia irrationabilia movet, ut dignetur ea compescere aliquo modo suæ Majestati grato: & quatenus à Sacerdote Sacris vestibus induto, adjurationes fiant, referantur ad Diabolum, qui Dei permissu his utitur ad nocendum hominibus præcipiendo ei durè, ac rigidè potestate à Deo tradita Ecclesiæ, juxta illud *Luca* 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra Serpentes*; ut cesset à movendo, educendo, & dirigendo contra nos, & abstineat à tali usu damnoso, & sinat animalia nocentia redire ad loca, unde venerunt, & fugiant à facie sacrosanctæ Crucis, (quæ ostendatur) & virtute ejus fugere jubeatur, & relinquere, & cessare à suis maleficiis, ad gloriam D. N. Jesu Christi, omissa semper mentione excommunicationis, & anathematizationis, quarum nec animalia irrationabilia, nec Dœmones capaces sunt, & iste modus animalia adjurandi licitus erit, ut tradunt Navar. & Graff. locis suprà allegatis. 18

Si quem autem Parochum, vel Presbyterum, etiam Regularem Ordinarius inveniat, & in sua Diœcesi reperiri notitiam habeat, qui vanis, & superstitiosis orationibus, & exorcismis, ignoranter, & bono zelo utatur, in curandis morbis, depellendis tempestatibus, aut animalibus irrationabilibus, & monitus non desistat, eum à Divinis debet suspendere saltem per annum. Dixi ignoranter, & ex simplicitate: quia si hoc faceret scienter cum dolo, & advertentia, esset deponendus ab omni ordine, & officio, ut inquit Menoch. *de arbitr. cas.* 388. 19

20 388.*n.*10. & 11. Dixit etiam Regularem: quia cùm sit delictum pertinens ad Tribunal S.Officii, ut habetur in Edicto generali *cap.*2. & Superiores in eo non possint se ingerere, prout prohibet Decretum Alexandri VII. quod per extensum refert Lantusch.*in theatr.regular.pag.*179. Episcopus tanquam Inquisitor à jure datus, in hoc etiam Regulares punit, & judicat, *c.accusatus*, §. *Sanè de haret. in* 6. & advertunt Leo *thesaur. for. Eccles. par.* 3. *cap.*5. *num.*17. Ricc *prax.rer.for.Eccles. par.*2. *resol.*210. *num.*2. *limit.*13. Lauret.de Franc. *controv.* p.1. *num.*536.

21 *Eoque monito*. Licèt censura suspensionis, quando fertur in pœnam criminis probati, possit infligi absque monitione, ut ex Innocent. *in cap.*1. *de excess.prælat.* docent Graff. *decis. aur. par.*2. *in Appendic. lib.*3. *cap.*1.*num.*36. Sayr.*de censur. lib.*4. *cap.*2. *num.*14. in hoc tamen crimine illicitæ negotiationis, vel exercitii, Clerici Beneficiati, vel in sacris constituti debent non solùm citari antequam proferatur sententia suspensionis: sed conveniens quoque est (non quidem ex necessitate, sed urbanitate, & Judicis lenitate) quòd antequam instruatur processus, moneantur scripto -- *Ad se abstinendum*, &

22 *cessandum à negotiationibus*, & *exercitiis illicitis*, & *à Sac. Canonibus Clericis prohibitis sub pœna suspensionis à Divinis*, *Officii*, & *Beneficii*, & *aliis arbitrariis gravioribus*, *quoniam*, &c. pront faciendum esse consulit Turrecrem. *in dict. cap. Clericus victum* 91. *dist. num.*3. Quòd si moniti non desistant, tunc erit conficiendus processus, ex quo si intentio fisci remaner probata, inquisitus monendus erit ut dicitur in formula -- *Ad*

23 *comparendum in termino peremptorio trium dierum*, & *dicendum causam quare non debeat ob illicitam negotiationem per ipsum exercitam* (vel exercitium) *etiam post monitionem* à divinis suspendi, & *subjici*, & *puniri aliis pœnis sacrorum canonum*, &c.

24 A qua Censuræ comminatione, si inquisitus appellet, supersedendum erit in declaratoria: tum quia quando quis suspenditur in pœnam appellatio suspendit suspensionem, ut ait Graff. *loco supra citato dict.num.*36.*in fin.* tum quia cùm gravamen censuræ comminatæ licèt futurum, non possit per definitivum reparari, appellatio debet admitti ad utrumque effectum, ad tradita per Fagnan. *in cap. super eo lib.*2. *de appellat. num.* 46. & *seqq.* cum clausula tamen, quòd appellans infrà tot dies, doceat Judicem ad quem adiisse, & appellationem prosecutum fuisse, aliàs termino elapso, & de prosecutione non docto, ad ulteriora, appellatione non obstante, procedetur, juxta dispositionem text. *in cap. personas* 4. *de appellat.* ubi sic habetur expressum -- *si quis ad nostram audientiam appellaverit*, *tu ei diem infrà quem Apostolicam Sedem convenienter possit adire assignes*, *ad quam si venire contempserit*, *tu illum ex tunc judicio tuo super iis*, *quæ in quæstione vertuntur sine contradictione aliqua*, *stare compellas*: consonant *text. in cap.ad aures* 33. *eod. tit.*

Porrò si negotiatio illicita, vel exercitium indecens, & inhonestum Clerici, esset certa, seù certum, & notoria, seu notorium, tunc appellatione à comminatione censuræ interposita non obstante, poterit Judex ad declaratoriam suspensionis procedere, & inquisitum suspensum denunciare, quia in notoriis non admittitur appellatio, text.est in *cap. cum specialiб.* §.*Porrò de appellat.* ubi sic dicitur -*porrò commonito ad appellationis obstaculum convolante*: *si ejus excessus evidentia rei*, *vel ipsius confessione*, *aut alio modo legitimo fuerit manifestus* (*cùm appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis*, *sed ad præsidium innocentiæ institutum*,) *non est provocationi hujusmodi deferendum*. Et concordant alia jura nempè, in *cap.cum sit Romana*, §.*Præterea in fin.*& *cap.pervenit. eod. tit.* Innoc.*in dict. cap.*1. *num.*3. *de excess. prælat.*Fagnan.*in cap.vestra num.*104.& 105. *de cohabit. cleric.*& *mulier.*Donat. *prax. rer. regul. tom.*1.*par.*2.*tract.*10.*de appell. quæst.*21.*num.*1. ubi *num.*3. hanc conclusionem veram dicit, præsertim quando Judex procedit ad pœnam à jure taxatam, prout accidit in casu formulæ hujus. 25

A Divinis in totum suspendimus. Idest ab omni usu activo, & passivo sui officii, seu divinorum; etenim Clerici in sacris constituti, vel Beneficiati, illicitè negocian- 26

ciantes, peccant mortaliter & spernunt præceptum Apostoli Timot. 2. ubi mandat quòd nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus, & ideò suspendendi sunt à Divinis: imò si sic suspensi, ter moniti non resipiscant excommunicandi, & aliis pœnis arbitrio Judicis puniendi sunt, per text. in *d. c. consequens* 88. *dist. & cap. sed nec & c. secundum instituta, ne cler. vel Monach. cap. 1. & seqq.* 14. *quæst.* 4. & est communis opinio, Bellet. *disq. cler. par.* 2. *de pœn. cleric.* §. 51. *num.* 2. *&* 3. Barbos. *de jur. Eccles. lib.* 1. *d. cap.* 40. *num.* 128. Panimoll. *d. decis.* 71. *num.* 3. 4. *&* 5. Zecch. *de republ. Eccl. tit. de cler. num.* 7. *vers. quadragesimo septimo non debent*, Graff. *de effect. cleric. effect.* 6. *num.* 4. *&* 5. Pirhing. *in jus can. lib.* 3. *tit.* 50. *num.* 9.

Regulares verò cujusvis Religionis, Ordinis, Societatis, & Congregationis sint, mercaturam, & negotiationes sæculares exercentes, præsertim in Indiis excommunicationem latæ sententiæ, & privationem vocis activæ, & passivæ, ac officiorum statim incurrunt, vigore Constit. Clem. IX. impressæ in *Bullar. tom.* 6. *const.* 35. *pag.* 304. Verùm hæc Constitutio videtur restricta ad illos Religiosos missos, & commorantes in Indiis, tam in parte australi, quàm septentrionali, ut percipitur ex illis verbis dispositivæ §. 3. ibi -- *omnibus, & singulis personis, quæ ad Insulas, Provincias, & Regna Indiarum Orientalium &c. sub nomine Missionariorum, aut quovis alio titulo pro tempore missæ fuerint, aut in aliis partibus quomodolibet morabuntur, sub excommunicationis latæ sententia, ac privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum, tenore præsentium districtè interdicimus &c.* Ideoque dicendum est, quòd Regulares Europei, quatenus sint negotiatores, remaneant obstricti iisdem pœnis, quibus subjiciuntur Clerici sæculares, ut affirmant DD. mox citati; præter alias à Constitutionibus proprii ordinis statutas pœnas.

De suspensione ab audiendis Confessionibus contenta in Constit. Clem. X. Superna in Bullar. tom. 6. Constit. 7. pag. 332.

Ad removenda dissidia, quæ sæpè oriebantur inter Episcopos, & Regulares super intelligentia, & executione privilegiorum, eis concessorum, circa prædicationem verbi Dei, & Sacramenti pœnitentiæ administrationem, Clem. X. hac sua Constitutione plura providè statuit, & inter cætera, quòd possit Episcopus ex rationabili causa (Sedi Apostolicæ, si eam sibi aperiri postulaverit, manifestanda) post quàm Regulares ad confessiones Sacramentales audiendas approbaverit, illos suspendere. Quare cùm de hoc sæpè contingat dubitari, aliqua, quæ justitiam, & rationabilitatem arbitrii Episcopi respiciunt, notanda occurrunt. Decretum autem suspensionis, sic concipi poterit.

Decreti Suspensionis.

FORMULA XI.

ATtento, quòd P. N. Ordinis N. Conventus N. *conditiones*, *& monita* sibi in approbatione ad Confessiones Sacramentales audiendas à nobis concessa, præscripta, & injuncta non servat, *& ex aliis causis nobis notis* animum nostrum dignè moventibus, facultatem prædictam revocamus, & eum *ab audiendis confessionibus suspendimus*, & suspensum declaramus, & eidem intimari mandamus.

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Facultas audiendi confessiones sacramentales, est danda in scriptis, & num.2.*

2 *Episcopus potest Confessarium approbare absque examine.*

3 *Regulares, qui non habent requisita clem. dudum de sepult. non debent admitti ad Confessiones audiendas & si sint superiores, Episcopus si vult potest eos examini subjicere, sicut, & Examinatores Synodales.*

4 *Causæ, ob quas Episcopus valeat Regulares ab audiendis confessionibus suspendere referuntur, & num.5.*

6 *Mulieres ingredientes Ecclesias, & accedentes ad recipienda sacramenta, pectore, & brachiis denudatis, graviter peccant, & redditur ratio.*

7 *Confessarii Regulares docentes propositiones laxas, sunt ab audiendis confessionibus suspendendi.*

8 *Episcopus simplici verbo, & absque ulla præcedenti monitione ab audiendis confessionibus suspendit.*

9 *Parochum tamen non suspendit sine scriptis, & sine expressione causæ, aliàs pœnas contentas in cap. cum medicinali de excomm. in 6. incurreret, & afferuntur rationes, & n. 10. 11. & 12.*

13 *Vicarius Generalis, ex officio suo, potest confessiones audire, si sit Sacerdos, & Confessarios approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere, & num.14.*

ADNOTATIONES.

1 CONDITIONES, ET MONITA. Facultas audiendi sacramentales confessiones, scripto danda est, & ibi repetenda sunt monita, quæ ut habetur in Formula, quam dedi *tom.1. tit.8. form.1.* & in Synodo fusiùs enucleanda, ne Confessarii tam sæculares, quàm Regulares, suscepti muneris partes non implentes, & obligationes negligentes, clypeo ignorantiæ, & inadvertentiæ se excusare valeant: ideoque laudabilis non est usus illorum Episcoporum, qui approbant Confessarios vivæ vocis oraculo, nulla tradita approbationis testimoniali 2
in scriptis, nam licèt possint prætermittere examen personæ approbandæ, quando de illius idoneitate ipsis aliunde constat, prout colligitur ex verbis Concilii *cap.15. sess.23.* ibi -- *aut aliàs idoneus judicetur*, tamen debet constare, quòd talem sic judicaverit idoneum, & an simpliciter, an ad tempus, an pro maribus, & non pro mulieribus, an pro Villis, an pro Civitate; & ad evitanda alia inconvenientia, quæ ex tali verbali approbatione oriri possunt, sicque utilis, & laudabilis est mos talem facultatem, semper scripto tradere, & in Cancellaria in libro ad hoc retento registrare, ad evitandum vitanda, ut monent, & laudant, Pac. Jord. *elucubr. tom.1. lib.3. tit.4. num.140.* Barbos. *in dict. cap.15. num.33.* Passerin. *de stat. hom. tom.2. quæst.187. art.1. num. 206.* Verum est enim, quod dicitur.

Dictio dicta perit, littera scripta manet.

Item in approbatione, debet Episco- 3
pus animadvertere, quòd non sufficit Regularem præsentatum esse doctum logicum, Physicum, Methaphysicum, aut etiam Theologum scolasticum; sed debet sibi constare per examen, vel aliundè, esse idoneum pro administratione sacramenti pœnitentiæ; quia plures dantur scolastici, qui necessaria pro tali munere non habent, nec sciunt, ut testatur ex certa scientia, & experientia Pasqualig. *ad Lauret. de Franc. par.1. num. 1398. in fin.* quod etiam comprobat Thom. à Virg. Maria *in tract. concord. Evangelic. in Dominic. infr. oct. Epiphan. pag. 87.* ubi hæc habet -- *sunt Philosophi, & Theologi, sunt Medici, & Juristæ, sunt magistri nostri per plurimos ætatis annos curiosissima indagantes, naturali lumine subtilissima assequentes, & quæ sunt spiritus Dei prorsus ignorantes.* Ideoque Regulares præsentati, nisi habeant requisita *Clementina Dudum §. statuimus de Sepult.* & de illis eorum superiores præsentantes testentur, ut in Formula, quam dedi *tom.2. tit.16. form.16.* non debent approbari: nè Episcopus se exponat imprudenter periculo, admittendi non idoneum ad tantum sacramentum admini-

stran-

strandum, Passerin. *loco citato num.* 205. Si verò Regulares, qui ad confessiones audiendas approbari cupiunt, essent Prælati ordinis, puta Generales, Provinciales, Priores, Guardiani, & si similes, vel etiam Examinatores Synodales: posset eos Episcopus, si vellet examinare; vel illos sine examine approbare, ubi idoneitas sit notoria: nam alia est ratio exterioris regiminis, & alia judicii fori pœnitentialis, in quo nulla eis datur jurisdictio, sine approbatione Episcopi, ut benè advertit Passer. *de stat. hom. tom.* 2. *quæst.* 187. *art.* 1. *num.* 231. *Et plurib. seqq.* Ricc. *decis.* 22. *num.* 2. & 8. *par.* 2. ubi de Examinatoribus Synodalibus, & graduatis: non obstante privilegio, etiam Cruciatæ, ut pleniùs novissimè declaravit Innoc. XII. sua constit. quæ incipit -- cùm sicut edicta 19. *Aprilis* 1700.

Et ex aliis causis nobis notis. Præter
4 inobservantiam conditionum, & monitionum in re gravi, & notabili, plures alias potest causas habere Episcopus, propter quas, approbationem concessam Regularibus justè valet revocare, v. g. si deficit probitas vitæ, si audiant confessiones Mulierum de nocte, vel extra sedem Confessionalem; vel si in Confessionali, nulla tamen interposita crate: vel tempore infirmitatis clauso ostio cellæ infirmæ: si audiant confessiones sæcularium extra Ecclesiam, & in Cellis Monasterii, sine aliqua justa, & rationabili causa: si Eleemosynam, aut aliquid aliud sibi dari petant, & per artes extorqueant: si sint de re venera, aut sollicitatione, vel revelatione confessionis, aut alio delicto diffamati: si Domus, & convivia sæcularium frequentent. Una inquam ex his causis concurrente, non est dubium, quin Episcopus Confessarium Regularem justè, & rationabiliter suspendet: non enim est idoneus absolutè, & verè qui non est integrè idoneus, quia malum ex unico defectu, & bonum ex plenitudine, & integritate resultat; unde is, cui vel scientia, vel vitæ probitas deest non est idoneus absolutè. Cùm ergo Episcopi judicium de idoneitate, tam ex dispositione Concilii, quàm citatæ Bullæ requiratur, sub hoc judicio cadit quidquid est necessarium ad hoc, ut approbandus sit idoneus, scilicet, scientia, bonitas, peritia, discretio, & prudentia, & sic qui patitur unum ex his defectibus poterit suspendi, tamquam non idoneus ut in terminis ratiocinatur Passerin. *de stat. homin. tom.* 2. *quæst.* 187. *ar.* 1. *num.* 193. & 194.

Addo ulterius, quòd poterit Confessarius Regularis ab audiendis confessionibus suspendi, si contra prohibitionem Episcopi, Sacramentum pœnitentiæ, vel Eucharistiæ ministret Mulieribus, quæ ad illa recipienda accedunt, mammillis, & pectore denudatis: quæ enim bonitas quæ discretio, & qui zelus honoris Dei, & salutis animarum potest esse in hujusmodi Confessario, & quam excusationem, allegare posset, si tales admittere non erubesceret, fortè, quòd res sit indifferens, non egrediens terminos vanitatis: amabò de hoc breviter videamus, quid sentiant DD. 5

Primò, Sacra Scriptura in *Ecclesiast. cap.* 9. dicit -- *averte faciem tuam à Muliere compta, propter speciem Mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit*. Si tantùm valet Mulier compta, quantum poterit Mulier compta, & denundata mammillis.

Dionis. Cartusian. in 1. *Epist. D. Petri ar.* 6. hæc habet -- *si Mulier se ornaverit, & vultus hominum in se provocaverit, quamvis nullum malum inde sequatur, tamen æternum supplicium patietur; quia venenum propinavit, si fuisset, qui biberet, ex quo innotescit, quòd sit mortale peccatum, cum qua tali discrimini se committit, nec veretur, quod ait Salvator: va homini, per quem scandalum venit &c.*

Tom. à Virgine Maria Concord. Evangelic. in Dominic. 3. *post Pascha pag.* 326. De Mulieribus comptis dicit -- *Vestis una, & mundialis viam sternit ad inferni cruciamenta: rectè Cæsar Augustus vestium delicatum luxum, luxuria dixit esse nidum, quia aptissimus impudicis luxuria fætibus procreandis nidis: vestes sunt delicatæ, in hoc nido turpes supponuntur cogitationes, quarum calore foventur, ad vitam animantur, educuntur, adolescunt.* & paulo post -- *Vestis ergo delicata ita ad libidinem deservit, ut ad ignem concipiendum facilis est fæni materia, vis luxuria*

flammas in immensum excrescere, appone illis delicati habitus materiam, & fiet incendium inextinguibile. Si hoc facit Vestis morbida, quid non faciet nuditas.

Graff. decis. aur. par. 1. lib. 2. cap. 121. num. 16. Hæc ait -- *Qui habitu, gestu, cantu notabiliter lascivo in ludo chorearum utitur, sicut fœminæ inverecunde pectora lascive nudant, peccant mortaliter. Verum de hoc pro certo judicare non possumus, sed standum est consuetudini patriæ. Hoc tamen pro indubitato tenendum est: quòd quando ex illa inspectione probabiliter timetur periculum operis, vel cogitationis mortalis, peccatum mortale est, si advertendo quis non desistat, quia qui periculum amat peribit in illo.*

Jo: Herolt. vulgò Discipulus Serm. de tempor. 83. *litt. I.* in fine, de Muliere damnata sequens refert exemplum -- *Quidam Sacerdos pro Matre sua mortua multum se affligebat, frequenter orando, & celebrando pro ea, cùm autem quadam die celebraret, & desideraret aliquid scire de statu ejus, vidit eam in Sporta juxta Altare detentam à duobus Dæmonibus, & ligatam: videbantur autem de capite ejus prominere Serpentes ignei, tanquam capilli, & bufo super pectus ejus circumcingens anterioribus pedibus collum ejus igneas flammas in faciem ejus spumans. Et dictum est ei, quòd inutiliter pro ea oraret, quia damnata esset, & addebatur, quòd has pœnas pateretur pro ornatu capitis, & crinium, sed bufonem super pectus ejus sustinere, propter denudationem colli, & mammillarum, & quòd faciem suam coloravit, &c.* (sunt verba Authoris.)

Summus Pontifex Innoc. XI. religione, & zelo clarissimus, prohibuit expressè omnibus, & quibuscumque Mulieribus, nè incederent per vias, & multò minùs ingrederentur Ecclesias pectore, scapulis, & brachiis denudatis, sub pœna excommunicationis sibi reservatæ, quam voluit afficere, & ligare etiam illos Confessarios, qui ausi fuissent, Mulieres contravenientes absolvere, prout patet ex Edicto in Urbe evulgato 30. Nov. 1683. quod per extensum refert R. P. D. Zaul. *in suis observ. ad Statut. Faventina lib.* 1. *rubr.* 16. *num.* 77.

Clar. mem. Card. Petruccius Episcopus Æsinas in Synodo eodem anno habita, & posteà *anno* 1695. Typis edita in *tit. de Sacram. Eucharistiæ*, sic decrevit *Mulieres humeris, pectore, mammillisque brachiis seminudatis accedere ad tantum Sacramentum non formidantes, Sacerdos constanti cordis robore, ac Zelo munitus, Divino Sacramento non pascat, licèt seculari nobilitate præfulgeant.*

Clar. mem. Card. Denkoff. Episcop. Cesenæ in sua Synodo *anno* 1695. Typis evulgata in titulo *de Sacram. pœnit.* prohibet hujusmodi Mulieribus beneficium absolutionis impendi, & posteà inter casus sibi reservatos reposuit -- *ornatus inverecundus Mulierum, quæ notabiliter nudata, vel transparentibus tantùm cooperta velis, accedunt ad Sacramentum pœnitentiæ, vel Eucharistiæ.*

Eminentissimus Cardinalis Boncompagnus Bononiæ Archiepiscopus in Synodo per eum habita, & Typis edita anno 1699. & præcedenter jussu Sacr. Congregat. Concilii à supradicto clar. mem. Card. Petruccio revisa, & ab Eminentissimo Cardinali Sacripante tunc Congregat. Præfecto laudata, in *tit. de rever. Eccles. exhiben.* hæc mandat -- *Mulieres ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ non admittantur, si notabiliter pectus nudatum ostenderint, aut brachia, Parochorum, & Confessariorum erit onus castigandi licentiam, &c.*

Ex his fit clarum, quòd nudatio pectoris, & mammillarum, seu brachiorum Mulierum, non est res levis, & indifferens, sed sollicitatio ad peccandùm, & occasio proxima peccati: aliàs enim, non potuisset Innocent. XI. corruptelam hanc prohibere sub pœna excommunicationis, quàm Ecclesia non infligit, nisi pro peccato mortali, & si Pontificis Edictum fuisset rigidum, illud Viri Consultissimi cum laude non referrent, prout faciunt Pignatell. *consult.* 35. *num.* 27. *tom.* 7. D. Raynald. *observat. criminal. tom.* 3. *capit.* 28. §. 3. & 4. *num.* 1. Zaul. *loco citato*. Nec minùs supradicti Cardinales Episcopi, doctrina, & pietate præstantes, Decretis Synodalibus potuissent jure repellere ta-

les

les Mulieres cùm à Sacramentorum perceptione arceri non debeant, nisi publici peccatores.

6 Dicendum est ergo, quòd Mulieres ingredientes Ecclesias, & accedentes ad recipiendum Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, pectore, mammillis, & brachiis denudatis graviter peccant: tum quia maximam irreverentiam ostendunt tantis Sacramentis: tum quia sunt scandalo fidelibus videntibus: tum demum quia, ut dicit *Cartusianus* supra allegatus, venenum propinant, præbent occasionem peccandi, & abominationem inducunt in loco Sancto, quam si Confessarii removere non curant, meritò Episcopus illos ab audiendis confessionibus suspendit: est enim res propudiosa, & ab omni loco, & præsertim ab Ecclesiis extirpanda etiam censuris, Raynald. *observ. crim. supplem. ad cap.* 1. *supplem.* 5. *num.* 376. & 377. ubi plures allegat, Pignatell. *dict. consult.* 35. *num.* 30. *tom.* 7.

7 Itidem posset Regularis Confessarius ab audiendis Confessionibus ab Ordinario suspendi, si doceret propositiones laxas: v. g. quod Regulares Confessarii vigore suorum privilegiorum, possunt absolvere procurantes abortum fœtus animati effectu secuto, absque alia facultate Episcopi, prout docuit Amen. *de delict. & pœn. tit.* 7. §. 10. *num.* 34. Est enim propositio falsa, quæ pugnat directè contrà litteralem dispositionem Bullæ *Gregor. XIV.* Octavæ: in qua quo ad absolutionem Censuræ incursæ ob procuratum abortum fœtus animati Sedi Apostolicæ reservatæ olim, juxta Const. 87. *Sixti V.* (quam Greg. in hac parte moderavit) hæc habentur.

Quilibet Presbyter, tam Sæcularis, Quam cujusvis Ordinis Regularis ad Christi fidelium Confessiones audiendas, & ad hos casus specialiter per loci Ordinarium deputatus, in foro conscientiæ tantùm, plenam absolvendi habeat facultatem.

Ex quibus verbis planum fit, quòd nullus Confessarius, sive sæcularis, sive Regularis sit, potest absolvere à dicta censura, nisi specialiter ad hoc ab Ordinario approbetur, ut tradunt, & advertunt Bonacin. *de censur. particular. extr. Bull. Cœnæ disput.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 10. *num.* 15. & 16. Gavant. *in Manual. verb. absolutio num.* 36. Amen. autem scatet aliis propositionibus erroneis, ut alibi in prima, & secunda Operis parte notavi.

8 *Ab audiendis confessionibus suspendimus.* Quamvis Judex in ferendis censuris debeat servare formam præscriptam in *c. cùm medicinalis de sentent. excomm. in* 6. idest ut præcedat monitio, & feratur in scriptis cum expressione causæ, sub pœnis ibi comminatis: hoc tamen non habet locum, nisi quando Judex Ecclesiasticus aliquem suspendit ab illo actu, qui suo jure competit suspenso, at quando suspendit ab actu: qui illi competit ex commissione ipsius suspendentis, tunc Judex non peccat, neque pœnas incurrit, si has solemnitates prætermittat, & ideò simplex Sacerdos non habens curam animarum, qui jure suo confessiones audire non valet, potest sine scripto, & sine monitione suspendi, quia suspensio hæc, non est propriè suspensio, quæ est censura, sed inhibitio, & revocatio concessionis jam factæ. Quare sicut Episcopus à principio simplici verbo, facultatem audiendi confessiones committere potuit, ita etiam potest simplici verbo illam revocare, utendo nomine suspensionis, ut in his terminis docet Sayr. *de censur. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 18.

9 Verumtamen si Episcopus Parochum ab audiendis confessionibus suspenderet sine scriptis, & sine expressione causæ, peccaret, & pœnas in *dict. cap. cum medicinalis* inflictas, idest suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, & à divinis per mensem incurreret, quia in eo est vera, & propriè dicta suspensio, cùm eis competat ex officio, Sayr. *loc. cit. num.* 19. Et licèt Guazin. jun. *ad def. animar. lib.* 2. *def.* 6. *cap.* 41. *num.* 7. teneat; quòd episcopus ferens hanc censuram contra formam præscriptam in *d. c. cum medicinalis* peccet quidem mortaliter, sed non incurrat suspensionem, ex quo de ipso in textu non fit facta specialis mentio, prout requiritur ex dispositione *cap. quia periculosum de sentent. excomm.* magis tamen tuta, & fundata videtur opinio Sayr. loco citato, quia in *dict. cap. cum medicinalis*, satis ex-

explicitè mentio personæ Episcopi facta fuit in illis verbis -- *caveant autem Ecclesiarum Prælati, & Judices universi*, non est enim ad hunc effectum necessarium, quòd de eis mentio fiat per hoc nomen *Episcopi*, sed satis est, quòd alio modo ex canonis sensu, & contextu comprehendantur, ut notat ipse Sayr. *de censur. d. lib.*4. *cap.* 12. *num.*6.
10 Quòd autem propriè hoc nomen *Prælati*, conveniat primariò Episcopis, clarè colligitur ex textu in *cap. decernimus de judic.* ubi sic dicitur *decernimus, ut Laici Ecclesiastica tractare negocia non præsumant. Sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, & alii Ecclesiarum Prælati*, quæ verba fraternizant, cum aliis contentis in *d. cap. cum medicinalis* suprà recitatis, & tradit quoque Barbos. *appellat.*215. *num.*1. ubi quòd nomine Prælati propriè veniant Episcopi, & alii jurisdictionem ordinariam habentes, & quòd solus Papa in præjudicialibus non veniat nomine Prælati.

11 Et propterea text. in *cap. quia periculosum de sentent. excomm. in* 6. ubi decernitur, quòd Episcopi nullam interdicti, vel suspensionis incurrant sententiam, nisi in sententia sint expressi, debet intelligi de aliis interdictis, & suspensionibus contentis, & continendis in aliis canonibus, mandatis, & Constitutionibus, præterquam de expressis, & contentis in *d. cap. cum medicinalis*, in quo per prædicta, Episcopi sufficienter sunt expressi, & nominati, ne videatur Concilium Lugdunense statim se correxisse; quæ juris correctio non præsumitur Barbos. *axiom.* 60. nec de ea ex textu apparet: imò datur congrua inter unum,
12 & alterum textum compatibilitas. Et licèt *glos. in d. cap. quia periculosum verb. constitutionis* tenet contrarium: adhuc tamen mihi videtur, quòd si Episcopus per se ipsum, & non per suum Vicarium, procedat ad censuras, non servata forma *d. c. cum medicinalis*, dubium sit, an incurrat nec nè pœnas ibi statutas, ex rationibus suprà deductis, quæ inclinare me faciunt cum Sayr. in partem affirmativam.

13 Hæc autem facultas suspendendi Regulares ab audiendis confessionibus, competit etiam Vicario Generali Episcopi, qui sicuti, si sit Sacerdos, potest ex officio suo generali, absque alio speciali mandato, omnes Diœcesanos absolvere ab omnibus casibus, & peccatis Episcopo reservatis, & aliis committere, & delegare; quia est Ordinarius Diœcesis, ut de veriori sententia docet Sanch. *de Matrim. lib.*3. *disp.* 29. *num.* 15. & eum sequuntur Barb. *suprà Concil. sess.*23. *cap.*15. *num.* 25. Guttier. *eod. tract. cap.* 68. *num.*9. Ventrigl. *in prax. par.* 2. *annot.* 14. §.1. *num.*28. Pirhing. *in jus can. lib.* 1. *tit.*28. *num.* 62. *vers. his adde*: ità potest licentiam confessiones audiendi, suspendere, & revocare: ejus enim est nolle, qui potest & velle *l. nihil tam naturale* 14
36. *ff. de regul. jur.* Et sicuti Notarios imperitos, etiam Apostolica, & imperiali auctoritate creatos, quorum peritiam Episcopus tamquàm delegatus debet recognoscere, & scrutari, ex Decreto Concilii Trid. *cap.*10. *sess.*22. Vicarius Gen. auctoritate sua potest ab officio suspendere, Fagnan. *in cap. quoniam num.* 31. *de offic. deleg.* ità multò magis Confessarios, cùm sit absolutè actus jurisdictionis ordinariæ.

De suspensione contenta in novissimis Decretis de Celebrat. Missar. ab Innoc. XII. approbatis anno 1697.

Aliàs de anno 1625. super dubiis exortis in celebratione, & seductione Missarum, illarumque oneribus recipiendis, & exequendis, emanarunt Decreta generalia S. Congreg. Concilii ab *Urbano VIII.* specialiter approbata: quia verò super illorum executione, & observantia, diversi irrepserant abusus: ideò illis iterùm approbatis, & confirmatis ab *Innoc. XII.* alia Decreta novissima addita fuerunt, injunctumque fuit inter cætera, Rectoribus Superioribus, & Ministris Ecclesiarum, tum Sæcularium, tum Regularium, quòd non recipiant onera missarum, sivè perpetua, sivè temporanea, sivè manualia, quarum satisfactioni impares sunt, & quod debeant retinere Tabellam onerum patentem, nec non duos libros in Sacrario,

in

in quorum singula onera perpetua, & temporanea, in altero autem missas manuales distinctè, & diligenter adnotare, & singulo anno de adimplemento, & eleemosynis receptis, Superioribus rationem reddere teneantur.

Quòd si, ad quos cura Tabellæ, capsæ eleemosynarum, & librorum respectivè pertinet, seu pertinere debet, suam operam minimè navaverint, & Superiores tum Secularium, tum Regularium Ecclesiarum, rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quòd præfati, qui in curam Tabellarum, & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in singulis respectivè casibus Seculares pœnam suspensionis incurrant, Regulares verò voce activa, & passiva, ac gradibus, & officio, quæ obtinent ipso facto, & absque alia declaratione privati sint, & intelligantur (sunt verba præcisa Decreti relati in Bulla confirmatoria *Innoc. XII.* quam per extensum dedi *tom. 1. in Appendic. pag.* 36.)

Hoc Decretum Ordinarii locorum, & Superiores Regularium debent in Ecclesiis, & Oratoriis publicis onera missarum habentibus, & recipientibus notificare; quodque ut illud impressum, vel scriptum in loco Sacristiæ patenti retineatur, decernere, & mandare: nè Ministri, Sacristæ, Priores, Rectores, & Guardiani, ignorantiam de eo allegare valeant. Quòd si post notificationem, & mandatum per eos, ad quos spectat exequi, curatum non fuerit, irremissibiliter absque alia monitione suspensos declarent modo sequenti.

Visitatio Sacristiæ.

FORMULA X.

Reperto quòd N. Rector, & Superior d. Ecclesiæ non retinet ibi paratum librum juxta mandatum, & ordinem injunctum omnibus *Ecclesiarum Superioribus* vigore Edicti generalis emanati sub die ... in quo libro adnotari possint, & debeant celebrationes missarum manualium, nec non eleemosynæ, quæ à fidelibus ad hunc effectum elargiuntur, *contrà formam Decretorum Sac. Congreg. Concilii de celebrat. miss. ab Innoc. XII. anno* 1697. approbatorum, d. D. N. Visitator, illum *tanquam in pœnam dd. Decretorum incursum*, à Divinis suspensum declaravit, &c.

N. *Visitationis Actuarius*.

SUMMARIUM.

1 *Episcopi, & alii Prælati majores suspensionem canonis, aut statuti non incurrunt, nisi nominentur expressè, & num.* 2.

3 *Hoc privilegio gaudent etiam Cardinales.*

4 *Cardinales comprehenduntur in canone excommunicationem generaliter infligente.*

5 *Ordinarii negligentes exequi facere ea, quæ ipsis specialiter commissa sunt, peccant peccato omissionis.*

6 *Delegans, tenetur de negligentia, & facto delegati.*

7 *Prælati Regularium, omittentes exercere ea, quæ pertinent ad eorum officium, peccant, & tenentur de omissis, & commissis, & non solùm de dolo, & lata culpa, imò & de levi.*

8 *Episcopus non recognoscit adimplementum onerum missarum in Ecclesiis Regularium.*

9 *Regularis, si sit executor, sive fiduciarius Testamentarius pro aliquo pio opere adimplendo, tenetur requi-*

quisitus, rationem reddere Episcopo, qui potest illum cogere etiam censuris.

10 *Regulares commorantes in parvis Conventibus, qui requisita Decreti Innocent. X.* Ut in parvis, *non habent, plenariè subjiciuntur Episcopis.*

11 *Episcopus tamen illos visitando, procurationem non recipit.*

12 *Verba*-- pœnam suspensionis incurrant, *in Decreto contenta sunt latæ sententiæ.*

13 *Regulares non exequentes, nec adimplentes Decreta novissima de celebratione missarum, an pœnas ibi comminatas eo ipso incurrant absque alia declaratoria, plenè examinatur, & num.*14. 15. 16. 17. 18. *&* 19.

Opinio Doctorum non excusat à pœna à lege lata.

*Superiores Regulares à pœna privationis vocis per sententiam Pactæ inflictam, non absolvunt num.*18. *&* 19.

ADNOTATIONES.

1 ECCLESIARUM SUPERIORIBUS. Ex hac clausula sumitur occasio dubitandi, an sub illis verbis expressis, & contentis in Decreto relato ibi-- *& Superioribus tum Secularium, tum Regularium Ecclesiarum*: comprehendantur Episcopi, & Generales Regularium: adeò ut, & ipsi suspensionem latæ sententiæ ibi comminatam incurrant eo ipso, si rationem de adimplemento onerum missarum exigere à Ministris Ecclesiarum, seù Superioribus localibus neglexerint.

2 Et quo ad Episcopos res videtur clara, quòd non comprehendantur: quia Episcopi, & alii Prælati majores, scilicèt Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ, ne Pontificalis officii executio facilè impediatur, suspensionem, aut interdictum, sive juris, sive hominis virtute cujuscumque Constitutionis, mandati, vel sententiæ, etiam Papalis, non incurrunt, nisi exprimantur, ut habetur in *cap. quia periculosum de sentent. excomm. in 6.* de quo in præcedenti form. actum fuit, & in *cap. si compromissarius §. Hujusmodi quoque pœna de elect. in 6. ubi gloss. verb. de jure*, Sayr. *de censur. lib.4. cap.12. num.1. & 2.* ubi *num.4.* hoc privilegium extendit ad Cardinales, etiamsi Episcopi non sint: comprehenduntur tamen, quo ad excommunicationem, & alias pœnas, sub canone generaliter eas infligente, ut ait Pirhing. *in jus can. lib.5. tit.39. num. 256.* 3 Peccarent tamen graviter peccato omissionis, si Decretum exequi, & observari negligerent, quia notabiliter deficerent in 4 officio, & in re ipsis à Sac. Canonibus specialiter commissa, *cap. tua nobis de testament.* Conc. Trid. *sess.22. cap.8. de reform.* 5

Quo verò ad Prælatos Regulares, & Ordinarios inferiores, qui tale privilegium non habent, si visitent per se ipsos, & negligant de his rationem exigere, non est dubitandum, quin hanc suspensionem incurrant: quia Decretum non est restrictum ad Superiores locales; sed omnes Superiores immediatos Ecclesiarum complectitur & magis hos afficit, quàm mediatos: si verò per delegatos visitent, & tunc videtur distinguendum. Aut enim delegatus visitat auctoritate sui officii, utpotè à Constitutionibus Ordinis instituti: aut auctoritate Prælati Superioris; si prima auctoritate, & tunc cùm Delegatus in illa re Superior existat, si negligens in hoc erit, ipse suspensus ab officio, & voce activa, & passiva evadet: si verò secunda auctoritate, tunc Prælatus delegans, ex negligentia Delegati eisdem pœnis 6 erit subnoxius, quia præponens tenetur de culpa, & facto præpositi, quandò versatur circa opus, vel Ministerium, quibus eum præposuit, & sibi imputare debebit, si imperitum, vel negligentem Visitatorem delegaverit, ut in terminis tenent Piasec. *in prax. part.2. cap.4. art. 1. de person. Judic. num. 16.* Gratian. *disceptat. 677. num. 24. & 25.* Card. de Luc. *de jurisd. disc.100. num. 17. vers. secundò ob eandem*, nam Prælati Regularium, si ea omittant exercere, quæ ad eorum officium sunt necessaria, ut puta visitare, & corrigere, peccant utique mortaliter, ut dicit *gloss. in cap. ea qua verb. reatu. de offic. Archid.* & tenentur

tur de ommissis, & commissis, si adeò, ut non solùm teneatur de dolo, & lata culpa, sed etiam de levi quoad damnum animarum, testis est Donat. *prax. rer. regular. tom.2. par.1. tract.9. de Prælat. quæst.9. num.1.*

8 *Contra formam Decretorum.* Secundum dubium hinc excitari potest nempè, an Episcopus non solùm Ministros, & Rectores Ecclesiarum sibi subjectarum, Decreta supradicta non observantes, punire possit, & suspensos declarare, sed etiam negligentiam Superiorum Regularium supplendo, in Ecclesiis ipsis subjectis, adimplementum onerum missarum pro executione horum Decretorum recognoscere? Et videtur dicendum quòd non, quia nec in his novissimis Decretis, nec alibi, datur Ordinario talis facultas, & ideò Regularium Ecclesiæ nec super hoc visitari possunt, licèt si talis facultas daretur aliquando, utilis esset Testatoribus.

9 Advertendum tamen est, quòd si aliquis particularis Religiosus, tanquam Executor Testamentarius, seù fiduciarius, ex officio illi commisso (& quod de licentia Superioris potest licitè exequi, & exercere) deberet aliquod opus pium, vel onus missarum adimplere, seù adimpleri facere, tunc eum Ordinarius posset compellere ad sibi rationem reddendam de executione, & adimplemento oneris injuncti, & punire quatenus se malè gessisse inveniret, ut communiter tradunt Ricc. *in prax. par. 5. prax. execut. ultim. volunt. dub.5. pag.mihi* 21. Barbos. *de offic.Episc. alleg.*82. *num.* 34. Gavant. *in manual. verb. Regularium jura num.*60. Guazin.jun. *ad defens.anim. lib.2. def.1. cap.7. num.* 57. Pirhing. *in jus can. lib.1. tit.*31. *num.* 112. Frances *de Eccles. cathedr. cap.* 25. *num.* 120. Amostaz. *de caus.piis part.* 2. *lib.5. cap.* 7. *num.* 20. Raynald. *observ. crim. supplem. ad cap.* 32. *supplem.* 4. *num.* 30. ubi quòd propter hanc causam regulares possint etiam censuris constringi, & idem dicit Ricc. *in prax. in part.2. resol.* 210. *limit.* 18. quod procedit etiamsi Testator rationem ab eo exigi prohibuisset, ut probant aliæ DD. auctoritates, quas allegavi *par.1. in Appendic. ad constit.Gregor.XV. inscrutabili num.3. pag.* 308.

Secundum advertendum, quòd si agatur de legatis, & oneribus missarum adimplendis in Ecclesiis Conventuum Regularium, qui vigore Decreti Innoc. X. *Ut in parvis*, subjiciuntur jurisdictioni Ordinariorum: Episcopus non solùm poterit, sed debebit visitare, rationem exigere, & recognoscere, an hæc Decreta observentur; quòd si post monitionem, ut ea impleant, invenerit Regulares ibidem commorantes in executione deficere, illos tam tempore visitationis, quàm extrà, in pœnas supradictas incursos declarare, vel alio modo punire, suum officium erit, quia in hujusmodi Conventibus ejus jurisdictio est omnimoda, & plenaria, & Regulares inhabitantes, tanquam verè subditi respiciendi, & gubernandi sunt, ut patet ex dicto Decreto, quod dedi una cum declarationibus desuper emanatis *in par.1. in Appendice pag.* 311. & advertunt quoque Crispin. *de visit pastor. part.1. §.* 15. *num.27. & par.2.§.39. num.1. & 2. & §.40. num.9.* Romaguer. *ad Synod.Gerund. lib.3. tit.9. cap.3. num.* 22. Non potest tamen Episcopus hos parvos Conventus visitando, aliquid accipere procurationis nomine, seù in pecunia, seù in victualibus, ut declaravit *Sacr. Congreg. super Statu Regular.* 25. *Junii* 1665. Papa approbante, cujus Decretum, per extensum refert Lantusch. *in theatr.regul. verb. Conventus num.* 16.

10

11

Tanquam in pœnam dd. Decretorum incursum. Quòd pœna suspensionis in supra relato Decreto contenta, sit latæ sententiæ non ambigitur, quia clausula, seu verba illa — *pœnam suspensionis incurrant*, talis est naturæ, ut docent Sayr. *de censur. lib.1. cap.11. num.*8. Sebast. Medic. *tom.3. in summ.peccat.capital.tit.9. quæst.42. vers. vigesimo septimo*, & est communis opinio; ideòque in formula Decreti, contraveniens non suspenditur ab Ordinario, cùm jam sit à lege suspensus, sed declaratur incursus, quòd Decretum, licèt hìc figuretur emanatum in Visitatione, illud poterit Ordinarius emanare alio quocumque tempore. 12

Sed hìc jam quæritur, an Regulares ne- 13

negligentes observantiam, & executionem horum Decretorum, pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, graduum, & officiorum ibi ipso facto comminatam, incurrant eo ipso absque alio Ministerio Judicis, & Sententia declaratoria? Passerin. *de stat. hom. tom.*2. *quæst.*187. *art.*4. *num.* 1233. loquens de Decretis tempore Urbani VIII. emanatis, quæ eandem præcisam clausulam continent, dicit, quòd hæc pœna privationis vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda absque alia declaratione, per delinquentem non incurratur, quantum ad executionem, & quòd licitè remaneat possessor officiorum, & vocis, donec per sententiam declaretur commisisse, imò *num. seq.* firmat, quòd cùm hæc pœna non sit reservata, Prælati Regulares in ea dispensare possint, vigore Bullæ *Pii V.* *la* 132.

14 Bonac. magis moderatè, & consultiùs agens de *legib. disp.*1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 2. *num.* 9. & 10. opinionem prædictam sic modificat – *observandum tamen est circa pœnas privationis officiorum, vocis activa, & passiva, & circa alias pœnas, quæ ipso facto incurruntur sine ulla sententia declaratoria, eum, qui in has pœnas ipso facto incidit, non teneri privare se officio, aut voce activa, & passiva, quoties hoc nequit facere sine infamia, ratio est, quia jus ad propriam famam conservandam præponderat juri humano indicenti privationem officiorum, nec lex humana cum tam gravi damno videtur obligare, quamquam delinquens teneatur diligenter petere, & inquirere dispensationem: nè interim officium quo privatus est, iniquè retineat*, & Bonac. sequitur Guazin. jun. *ad defens. anim. lib.*2. *def.*6. *cap.*47. *num.*13.

15 Amostaz. verò de *caus. piis tom.* 1. *lib.*2. *cap.*9. *num.* 70. tenet cum aliis ab eo ibi allegatis loquens in terminis Decretorum Urbani VIII. innovatorum, quòd Regulares contravenientes, privationem vocis activæ, & passivæ, & officiorum incurrant eo ipso, ex quo in Decreto nulla requiratur sententia declaratoria criminis, & quòd per illa verba – *ipso facto, ipso jure*, incurratur pœna absque alia declaratione, ad quam excludendam, ideò adduntur in Decreto illa verba – *absque alia declaratione*, & respondet contrariis, & hæc sententia tutior est, & in praxi tenenda, quam sequitur Fagnan. *in cap. quod à prædecessore num.*68. *de Schismat.*

Etenim pœnæ privationis sunt in duplici differentia, aliæ, quæ non possunt executioni demandari absque hominis actione, & ad has pœnas ipso facto impositas incurrendas, requiritur sententia criminis declaratoria, nisi aliter constet de mente Legislatoris, volentis antè Judicis sententiam pœnam adimplere: aliæ sunt pœnæ, quæ ad sui executionem, nullam hominis actionem requirunt, sed in abstinentia ab aliqua receptione, vel actione consistunt: quales sunt, incapacitas bonorum, inhabilitas ad matrimonium, vel ad petendum debitum conjugale, vel ad officium, vel Beneficium, vel ad suscipienda, vel administranda Sacramenta, inelegibilitas ad officium, privatio vocis activæ, & passivæ, & aliæ hujusmodi; & has incurri antè Judicis sententiam planum est, quia comparantur irregularitatibus, & censuris ipso jure latis, & statim commisso delicto conscientiam ligare perspicuum est, ut de communi docent Graff. *decis. aur. par.*1. *lib.*2. *cap.*11. *num.*54. Bonac. *loco supra citato num.*9. 16

Et propterea sententia *Passerini*, videtur nimis laxa, & si admitteretur in praxi, eluderet prorsus Decretum, & Superiores Regulares, qui non mitiùs puniri debent, quàm sæculares, redderet immunes à pœna, & segniores faceret in illo exequendo (quia nullus Judex adesset, qui prætensam declaratoriam criminis faceret) contra expressam, & tam solemniter declaratam mentem Pontificis legislatoris, ideòque rejicienda, animadvertendo; quòd jus vocis activæ, & passivæ, & quod habent Regulares ad Officia Religionis, non sunt bona propria Religiosi, sed proveniunt, & descendunt à Sede Apostolica, quæ eis illud concessit approbando Ordinem, & sic potest auferre, prout sibi placet, maximè ex causa, undè dum vult expressè, quòd hoc jus amittant ipso facto, & ipso jure, si hoc 17

De-

Decretum non impleant, absque alia criminis declaratione, censetur eos statim obligare voluisse in conscientia absque alio facto hominis, Garc. *de benef. par.* 11. *cap.* 10. *num.* 20. *&* 22. & alii supra relati.

16 Caveant igitur Superiores Regulares, ne opinioni Passerini innixi, & fortè etiam aliorum, sententiam commissi criminis declaratoriam expectantes, interim executionem, & observantiam Decreti negligant: quia opinio Doctoris, seù Doctorum, non excusat à censura, vel pœna à lege lata, ut ex decis. Mohed. 3. *de sentent. excomm.* probant Sperell. *decis.* 129. *num.* 28. Pignatell. *consult.* 189. *nu.* 87. *tom.* 9. præsertim quando Doctoris opinio, nullum solidum fundamentum probabilitatis habet, prout hic, sed sequantur opinionem veriorem, & tutiorem suprà relatam pro serenitate conscientiæ, quam non hominis auctoritas, sed propria puritas tutam facit, ut canebat *Dantes*:

Conscienza n'assicura.
La buona compagnia, che l'Uom francheggia
Sotto l'Usbergo del sentirsi pura.

17 Minusque audiendus est Passer. in eo, quod autumat firmare, scilicet, quòd cùm pœna Decretorum non sit reservata, possint Prælati Religionum; delinquentes, & transgressores in ea dispensare: nam ista opinio insubsistens est, & erronea: cùm certum sit, quòd inferior in lege Superioris, non dispensat, nec pœnam relaxat, *Clem. ne romani de elect.* & hoc maximè, quando inferior à Superiore legem ferente recipit potestatem, prout à Papa recipiunt omnes Prælati regulares, ut advertit *gloss. in dict. clem. verb. inferiorem*, Ricc. *collect.* 2588. Bonacin. *de legib. disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 17. *vers. secunda sententia*, Fagnan. *in cap. dilectus num.* 5. *de tempor. ordin.* Et si vera esset talis sententia, Regulares transgressores, & inobservantes Decreta, fierent segniores, vilesceret auctoritas Apostolica, & ejus jurisdictio confunderetur, Fagnan. *ibid. num.* 5. & Superiores regulares illam dissipando, Subditos ponerent in discrimine propriæ salutis, & privilegiorum prætextu, flagitiorum cresceret auctoritas; ut dicit *glos. in cap. Episcoporum verb. ingressum de privileg. in* 6. sic enim Apostolica Sedes aliena jura custodit, ut sua non minuat, sic honorem debitum dat, ut suum non tribuat alienis, ut ait Nicolaus Papa I. scribens Archiep. Rhemen. apud Bzov. *hist. Eccles. ad annum* 1097. *num.* 6.

Nec obstat Constit. *Pii V. la* 132. in qua se fundat Passerin. quia ibi nulla alia 18
Superioribus Ordinis Prædicatorum datur facultas, quàm illa dispensandi cum propriis subditis in foro conscientiæ, super irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, prout Concilium Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. concedit Episcopis: quod nihil commune habet cum privatione vocis activæ, & passivæ inflicta per sententiam Pontificis in puram pœnam transgressionis Decretorum, quæ ideò auferri non potest, nisi ab eo, qui illam imposuit, etiamsi nulla mentio fiat reservationis, prout docet Bonac. *de censur. disput.* 3. *punct. ultim. num.* 6. Cùm enim non agatur de censuræ absolutione, sed de relaxatione pœnæ in qua requiritur dispensatio, hæc ex sua natura censetur reservata, nisi inferiori explicitè concedatur, ut advertit Bonac. loco mox citato, & fusè probat Fagnan. *in dict. cap. dilectus à num.* 6. *ad* 18. *de tempor. ordin.* quia dispensatio, est res major, & difficilior, quàm absolutio, Barbos. *in cap. cum illorum num.* 4. *de sentent. excomm.*

Quod tantùm abest hoc Superioribus 19
Regularium in his novissimis Decretis fuisse concessum, ut ipsimet si negligant executionem, eamdem pœnam incurrant eo ipso, etiamsi sint Generales, ut patet ibi — *caveant etiam omnes Regulares tum Subditi, tùm Superiores quicumque, nedum locales, sed etiam Provinciales, & Generales, nè missarum celebratio, & omnium præmissorum Decretorum executio, quoquomodo omittantur, & differantur, negligantur, seù pervertantur, alioquin pœnam privationis*

nis vocis activa, & passiva, ac graduum, & officiorum, quæ obtinent, prorsus incurrant. Ex quibus effrænatis verbis planum redditur, quòd sivè attendatur dispositio Decretorum in prima parte jam suprà in principio relata, sive in hac ultima, Regulares ea non exequentes, ipso jure afficiuntur pœnis ibi expressis, & contentis, absque alia delicti, seu ommissionis sententia declaratoria; in quibus Superiores dispensare non possunt. Quia sicuti Episcopi vigore *d.cap.6.* Concilii Trid. officio privatos, non possunt reintegrare, ut notat Pellizar. *de Monial. cap.5. sect.2. num. 28. vers. nec obstat*; ità nec minùs hoc facere poterunt Prælati Regulares, quibus Pius V. in citata Bulla majorem facultatem non tribuit.

FOR-

FORMULARIUM LEGALE PRACTICUM Fori Ecclesiastici.

PARS TERTIA.

TITULUS III.

De Censura Interdicti in particulari.

De Interdicto contento in cap. Episcoporum de privil. in 6.

Contigit aliquando, quòd Rectores, Gubernatores, vel Domini temporales, ex aliqua justa causa, publicè ab Ordinario excommunicati; nè videantur ab hominibus, delictum excommunicatione dignum commisisse, censuram contemnentes volunt non tantùm divinis interesse, sed etiam de illis participare, & sacramenta recipere, & Ecclesiæ ministri sive timore reverentiali, sive servili seducti, eos recipiunt, & admittunt. Quare Ordinarius quoties casus eveniat, capta informatione excessus, poterit ad interdictum Ecclesiæ locale particulare, vel locale, & personale simul, modo sequenti devenire.

Decreti Interdicti.

FORMULA I.

Attenta relatione excessus N. publicè excommunicati, & informatione capta, ex qua constat ipsum in die solemnitatis N. in Ecclesia N. divinis publicè interfuisse, & ad participationem sacramenti Eucharistiæ admissum fuisse, *Ecclesiam præfatam*, nec non Presbyteros N. & N. *qui eum temerè receperunt, & admiserunt*, Ecclesiastico Interdicto subjicimus, & subjectam, ac subjectos esse volumus, & declaramus, & publicè denunciari mandamus, &c.

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

N. *Actuarius*.

Publicationis Interdicti.

FORMULA II.

AUctoritate Ordinaria denunciatur supposita Ecclesiastico Interdicto Ecclesia N. necnon in eandem pœnam Interdicti ab ingressu Ecclesiæ denunciantur incursi N. & N. officiales ejusdem Ecclesiæ, ex eo quia temerè ausi fuerunt recipere, & admittere ad divina officia, & participationem sacramentorum in proxima præterita festivitate ∴ B. publicè, & notoriè excommunicatum. Hac die.

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Pro delicto Gubernatoris, vel Domini loci interdicitur Ecclesia.*
2 *Interdictum personale, afficit interdictos ubique.*
3 *Admittentes publicè excommunicatos ad divina, interdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrunt ipso jure, etiam si sint exempti.*
4 *Hoc procedit si fiat scienter, & præsumptuosè, secus si ignoranter, vel metu mortis, aut amissionis bonorum.*
5 *Si metus incutiatur ab extrinseco in contemptum clavium, & potestatis Ecclesiæ, non excusat ab incursu, quia tunc potiùs toleranda est mors, quàm cum excommunicato communicare.*
6 *Recipientes, & admittentes excommunicatum à Papa, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt.*
7 *Excommunicatus contumax, quomodo sit monendus, ostenditur.*
8 *Interdictum locale generale relaxatur pro contumacia personæ publicæ.*
9 *Datur formula interdicti.*
10 *Culpa, & delictum repræsentantium Communitatem est sufficiens, ut locus subjiciatur interdicto.*
11 *Justus timor, & suspicio violentiæ, quando excuset ab incursu, ostenditur.*
12 *Insordescentia non incurritur, nisi post annum completum.*
13 *Insordescens in excommunicatione, quomodo citetur, traditur.*
14 *Contra insordescentes, quando agat Tribunal S. Officii, ostenditur.*
15 *Interdictum personale est intimandum interdictis.*
16 *Qui dicantur excommunicatum recipere, & admittere, demonstratur.*
17 *Divinorum officiorum nomine, quæ veniant, ostenditur.*

ADNOTATIONES.

ECCLESIAM PRÆFATAM. Licèt in *d. cap. Episcoporum* interdicantur solummodò personæ, quæ excommunicatos admittunt: nihilominus quia talis excessus Gubernatoris, seu Domini temporalis, quando est notorius, sit gravis, tum ratione scandali subditorum, tum ratione offensæ publicæ Prælati, & Ecclesiæ, ideò expedit, & conveniens est, ut quoque Ecclesia interdicatur, si enim pro delicto Domini, vel Recto- 1

ris

ris potest interdici tota Civitas, ut habetur in *cap. si sententia de sentent. excomm. in 6.* ita poterit & debebit interdici una Ecclesia.

2 *Qui eum temerè receperunt, & admiserunt.* Hîc fulminatur interdictum personale particulare nominatim, non per modum unius communitatis, sive Collegii, sed prout sunt plures personæ particulares, sub quo non includuntur innocentes, & afficit singulas personas immediatè ratione sui, & non ratione loci, vel communitatis, cujus sunt partes, ideòque ubique eos afficit; ad differentiam Interdicti emanati contra Communitatem, Collegium, sive Capitulum, quod comprehendit, & obligat omnia & singula membra, seu partes Communitatis, quamdiù manent illius membra, & quidem etiam innocentes, nisi specialiter excipiantur, vel ex tali loco discedant, *d. cap. si sententia de sentent. excom. in 6.* Pirhing. *in jus can. lib. 5. tit. 39. num. 217.*

3 Apponuntur autem in formula publicationis illa verba -- *denunciantur incursi*, ad denotandum, quòd hoc interdictum, quoad personas admittentes scienter publicè excommunicatos ad divina, est latæ sententiæ, ut habetur expressum in *d. cap. Episcoporum*, & ideò ordinarius illos denunciat, quæ denunciatio, non tantùm de Clericis sæcularibus, sed etiam de Regularibus, & aliis exemptis facienda erit, quoties hujus criminis fiant rei, qui tamdiù huic Censuræ subjecti erunt, donec Episcopo, cujus sententiam contempserunt, satisfecerint competenter, ut in terminis tradunt Bonac. *de interd. in particul. disp. 4. quæst. 2. punct. 6. num. 9.* Barbos. *in d. cap. Episcop. num. 1. 2. & 4.* Sayr. *de cens. lib. 5. cap. 14. num. 11.*

4 Additur in Decreto illud adverbium -- *temerè*, ad demonstrandum, quòd hæc censura incurritur, quando admittuntur excommunicati denunciati, vel coram eis celebrantur divina officia scienter, & præsumptuosè, si enim ignoranter, vel coactè id fieret, recipientes, & admittentes, censuram interdicti non incurrerent, quia abest temeritas, & præsumptio: quæ ad hunc effectum debet concurrere, ut ex verbis text. percipitur ibi -- *qui verò contrà præsumpserit*, quæ ut alibi notatum est, dolum, & temeritatem important, Graff. *decis. aur. par. 1. lib. 1. cap. 13. num. 94.* Sperell. *decis. 105. num. 8.* Undè si quis Sacerdos aliqua necessitate coactus, vel ob periculum imminens mortis, aut amissionis bonorum, cum excommunicato communicaret, & eum ad participationem Sacramentorum admitteret, huic censuræ non esset subjectus, quia lex Ecclesiæ non obligat cum tanto periculo, ut dicunt dd. mox citandi.

Quod verùm est, si Prætor, Gubernator, vel Princeps temporalis excommunicatus: non in contemptum Ecclesiæ, sed ad ostentandum, se non esse excommunicatum, vel pro sua malitia, & libidine metum incuteret, nam tunc non peccaret Sacerdos celebrando, nec censuram incurreret: quia metus gravis, excusat à transgressione, & contumacia propter quas censura incurritur. Nicol. *lucubr. can. lib. 5. tit. 39. de sentent. excom. nu. 40.* At si metus incuteretur ab extrinseco in contemptum clavium, & Ecclesiasticæ potestatis, ad ostendendum hanc vanam esse, tunc potiùs mortem pati debet, quàm cum eo communicare, ut tradunt de communi Sayr. *de censur. lib. 1. cap. 18. num. 41. & 42. & lib. 2. cap. 14. num. 41. & seqq.* Bonac. *de censur. disp. 1. quæst. 2. punct. 3. num. 2.* Ideòque secundùm excessus circumstantias, Clerici communicantes, & admittentes, erunt huic censuræ subjiciendi, vel ab incursu excusandi. 5

Si autem Gubernator, sive loci Dominus esset nominatim excommunicatus à Papa, & Clerici cum eo communicarent in Divinis, vel ad Sacramenta percipienda scienter, & spontè admitterent, non tantùm interdictum ab ingressu Ecclesiæ, sed excommunicationem Papæ reservatam incurrerent, per text. in *cap. significavit 18. de sentent. excommun. ubi* Barbos. *num. 1. & 2.* Navar. *in manu cap. 27. num. 93.* & alii quos refert, & sequitur Bonac. *de excommun. disp. 2. quæst. 2. punct. 2. § 2. num. 7. vers. addo.* 6

Prætereà si Gubernator, aut loci Dominus sub vano prætextu, & erronea opinione, quòd excommunicatio contrà se lata, ipsum non afficiat, nec liget, Presbyteros vi, metuvè impelleret coram se celebrare, & contumax Ecclesiæ 7

in excommunicatione insordesceret, tunc Ordinarius debet illum judicialiter monere, primò, secundò, & tertiò -- *ut desistat, resipiscat, & exeat à peccato, aliàs propter suam insordescentiam, & contumaciam, apponetur interdictum locale generale*, quòd si monitionibus ter repetitis cùm aliquo dierum intervallo, non obediat, ad interdictum generale procedi poterit, quia pro contumacia personæ publicæ jurisdictionem temporalem habentis, justè, & validè relaxatur, juxtà dispositionem canonis Concilii Basiliensis in hac parte à Nicolao V. approbati, ut testantur Sayr. *de censur. lib.5. cap. 11. num.*8. & 12. Guazin. jun. *ad defens. anim. lib.2. def. 6. cap.*43. *num.* 30. 43. & 44. cujus formula erit sequens.

Interdicti localis generalis.

FORMULA III.

N. N. Dei, & Apost. Sedis gratia Episc. N.

AUctoritate Ordinaria, denunciatur supposita Ecclestastico Interdicto Terra N. (sivè Castrum N.) ex eo, quia N. ejus in temporalibus Dominus, (sive Gubernator) cùm sit publicè, & notoriè excommunicatus, pluries monitus, noluit abstinere ab interessentia Divinis imò Censuras contemnens, Sacerdotes ad celebrandum minis, & imperio coegit. Hac die ∴.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius

Et est notandum. Primò, quòd non solùm culpa, & delictum Domini, seù Gubernatoris loci, sed etiam delictum principalium membrorum Universitatis, est causa sufficiens, ut locus interdicto subjiciatur, scilicèt Consulum, conservatorum, Balivorum, & Syndicorum, qui communitatem gubernant, ut advertit Sayr. *de censur. lib.5. cap.11. num.* 10.

Secundò notandum, quòd ad excusandum Clericos, qui admiserunt excommunicatum ad Divina, ab incursu hujus censuræ, aliquandò erit sufficiens justus timor, seu suspicio violentiæ, si excommunicatus sit potentia temporali præditus, licèt actu vim non intulerit, sicut enim timor excommunicationis, licèt injustæ à Superiore comminatæ, inducit justum metum, qui æquiparatur metui cadenti in constantem virum, ut de communi tradit Paris. *de resignat. lib.*13. *quæst.* 1. *num.*129. *usque ad num.*141. & suspicio fugæ Debitoris, idem operatur, quòd ipsa fuga, timor, & suspicio fabricationis Processus contra aliquem, idem quod ipsa fabricatio, quantum ad excusandum fugam indiciati, prout est in Beneficiato, qui sciens Judicem contra ipsum inquirere, præveniens carcerationem, se spontè constituit in Carceribus, si fuit posteà absolutus, recuperat pro tempore carcerationis distributiones, ut censuit *S. Congr. Concilii* 19. *Augusti* 1684. qui stat cum alio armatus, dicitur ei opem ferre in delinquendo, quamvis non evaginet arma, aut faciat aliquem actum comminatorium, item qui spontè solvit ei, qui solitus est cogere, & à quo poterat compelli, censetur coactè solvisse; ita in hac subjecta materia, attenta qualitate, & moribus excommunicati, solus timor mali poterit excusare, ad tradita per Pac. Jord. *lucubr. tom.*3. *lib.*14. *tit.* 12. *num.*119.

Ter-

12 Tertiò notandum quòd ad hoc, ut quis dicatur in excommunicatione insordescere, requiritur ad minùs annus continuus, & completus qui incipit currere à die, quod quis fuit scienter,& nominatim excommunicatus. Et hinc infertur, quòd qui obtinuit post sex menses absolutionem cùm in reincidentia, & denuò stetit excommunicatus per alios sex menses, talis non dicitur insordescens; quia tempora in hac materia non conjunguntur, & idem est de eo, qui intrà annum institit pro absolutione, licèt eam non obtinuerit, aut fecit diligentiam pro ea obtinenda, vel ob aliquod impedimentum comparere non potuit, nam ii non dicuntur contemnere, ut docet Caren. *de Sanct. offic par.2. tit.8. §.1. & §.2.* Elapso autem anno continuo insordescentiæ absque nulla instantia, seù impedimento, poterit, & debebit ordinarius, vel censuram aggravare, vel insordescentem citare.

13 *Ad respondendum de fide, & ad se purgandum ab hæresis suspicione in termino .·.·. aliàs termino elapso videndum se in censuris insordescentem declarari, & denuò se excommunicari &c.*

14 Si reus non compareat, iterum, ob contumaciam excommunicationis vinculo erit innodandus, quam si per alium annum animo substineat pertinaci tunc consulta priùs Sac. Congreg. Inquisitionis de Urbe, erit contra eum, tanquàm de hæresi suspectum, & Tribunali S. Officii subjectum procedendum; prout tradunt Antonell. *de tempor. legal. lib.2. cap.39. num.4.* Pignatell. *consult.18. num.16. tom.7.* Nam licèt contrà insordescentem per annum in censuris, possit procedi tanquàm de hæresi suspectum, juxta dispositionem Concilii Trid. *cap.3. sess.25.* nihilominus, quando excommunicatio lata est ob aliam causam, quàm hæresis, Tribunal Sancti Officii non agit, nisi post aliam notabilem contumaciam, de quo stylo testatur Caren. loco suprà citato *§.4. num. 18.* Quæ contumacia ad hunc effectum puto, quòd intercederet post lapsum biennii, etiamsi excommunicatus in hoc temporis intervallo obtinuisset absolutionem cum reincidentia: quia dubitandum est, quòd non formidine censuræ, sed pœnæ in sordescentium, dolo motus fuerit ad illam petendam, hic tamen pro publicando Interdicto, non exigitur lapsus anni.

Quartò notandum, quòd personæ loci interdicti, in hoc casu, dummodò non sint culpabiles, non sunt interdictæ & sic alibi poterunt interesse Divinis. Clericis autem, qui Interdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrerunt, debet intimari personaliter. 15
Etenim quàmvis hoc interdictum feratur propter excessum nulla præcedente monitione; tamen quando interdicuntur singulares personæ, post publicationem, est illis intimandum, ut docet Sayr. *de censur. lib.5. cap.11. num.29.* ubi quòd si persona haberi non possit, tunc satis sit publicari in Ecclesia, vel ad fores propriæ Domus, si verò feratur in Civitatem, vel Universitatem, sufficiat publicatio in locis publicis consuetis, ut ipse ait *num. 30.* & eum sequitur Ricc. *decis.65. num.3. & seqq. par. 1.*

Ultimò notandum, illum propriè dici recipere, & admittere, qui excommunicato, vel nominatim interdicto Sacramentum confert, aut in loco sacro sepelit, aut dum celebrat, eum non excludit vel qui divina in loco interdicto celebrare facit, aut ex officio debet prohibere, & non prohibet, ut excommunicatus, vel interdictus non accedat ad Divina Bonac. 16
tom.3. de interd. in particul. disp.4. quæst.2. punct.6. num.5. Nomine autem Divinorum, quæ prohibentur, intelliguntur omnia ea, quæ fiunt in Ecclesia à Ministro Ecclesiastico, seù persona consecrata, vel deputata ad illud officium, & sic non solùm comprehenduntur functiones publicæ, & solemnes; idest Missa, Horæ Canonicæ, Consecrationes Processiones solemnes &c. sed etiam Sacramentalia, prout sunt omnes benedictiones, Nuptiarum, Templi, Vasorum Sacrorum, Candelarum, Palmarum &c. Sayr. *de censur. lib.5. cap.5. num.4.* Bonac. *de interd. disp.5. punct.4. num.1. 2. & 3. to.1.* 17

De interdicto contento in cap. sanè 11. de offic. & pot. Jud. deleg.

In hoc cap. inter cætera hæc habentur — *tuæ quæstioni duximus respondendum* quod

quòd Judex à nobis delegatus vices nostras gerit, unde in causa illa, Superior est major illis, quorum causam suscepit terminandam, ideoque si persona, quæ non sit de jurisdictione illius in causa, quam ei delegamus, rebellis, aut contumax fuerit, secundùm qualitatem facti poterit, vel Interdicti, vel suspensionis sententia à Judice delegato compelli.

Quare in casibus, in quibus à Conc. Trid. & Constitutionibus Apostolicis Regulares subduntur jurisdictioni Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, si fuerint contumaces, poterit hic illos suspendere, vel eorum Ecclesias juxta facti qualitatem subjicere interdicto v.g. si renuerent accedere ad publicas processiones: tunc enim Decretum Interdicti sic poterit concipi.

Decreti Interdicti localis specialis.

FORMULA IV.

VIsis instantia Promotoris Fiscalis, *& Edicto indictionis* processionis generalis pro causa, & bono publico in locis consuetis evulgato, & attenta contumacia PP. Ordin. N. Conventus N. hujus Civitatis, qui ad illam accedere, & interesse renuerunt, & qualitate facti, eorum Ecclesiam sub tit. S. N. *auctoritate nobis à Concilio Trid. delegata*, subjicimus, *& supponimus Ecclesiastico Interdicto*, & subjectam, ac suppositam denunciamus, & publicè denunciari, *& ad valvas d. Ecclesiæ Cedulones affigi* volumus, & mandamus.

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

N. *Actuarius.*

Denunciationis.

FORMULA V.

N. Dei, & Apost. Sedis gratia Episc. N.

AUctoritate Nobis à Sac. Conc. Trid. delegata, denunciatur supposita Ecclesiastico Interdicto Ecclesia N. PP. Ordin. N. ex eo quia vocati ad interessendum processioni generali à Nobis pro causa, & bono publico indictæ, cum admiratione, & populi scandalo accedere renuerunt. Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. *Actuarius.*

VEL

VEL

CON autorità a Noi delegata dal Sagro Consilio di Trento, si denuncia sottoposta all' Ecclesiastico Interdetto la Chiesa N. de' PP. dell' ordine N. perche chiamati, & intimati ad intervenire alla processione generale indetta, e convocata da noi per causa, e beneficio publico, con ammiratione, e scandalo del popolo, hanno ricusato d'intervenire, &c.

N. Vescovo N.

Luogo del ✠ Sigillo. *N. Attuario.*

SUMMARIUM.

1 *Datur formula indictionis Processionis.*
2 *Occasiones indicendi Processiones pro bono publico, indicantur.*
3 *Traditur cautela monendi in Edicto Regulares, & exemptos, & n. 4.*
5 *Episcopus in casibus, in quibus punit Regulares, debet exprimere contrà eosdem procedere jure delegato. Declaratur n. 6.*
7 *Referuntur casus, in quibus Episcopus, possit Ecclesias Regularium interdicto subjicere, vel eorundem personas censuris punire, & n. 8. 9. 10. & 11. & 23.*
12 *Interdictum locale Ecclesiæ apponitur pro delicto personarum, sub quarum regimine existit.*
13 *Regulares moniti, si non accedant ad Processiones publicas, possunt ab Ordinario censuris puniri.*
14 *DD. Regulares defendentes eorum privilegia, non sunt attendendi.*
15 *Regulares publicè peccantes, graviùs peccant, quàm cæteri, & graviùs puniri possunt.*
16 *Regulares ab Ordinario suspensi, vel interdicti, à quibus abstinere debeant, ostenditur, & nu. 17. & 18.*
19 *Regulares sunt benemeriti de Ecclesia, & ideò Ordinarii locorum, cùm eis leniter in delictis occultis procedere debent.*
20 *Regulares debent esse obsequiosi, & obedientes erga Episcopos.*
21 *Episcopi dicuntur Sanctissimi, Christi Legati, Papæ fratres, & Columnæ Ecclesiæ.*
22 *Cedulones Interdicti, affigi debent in forma originali, aliàs non obligarent ad servandum Interdictum.*

ADNOTATIONES.

ET EDICTO INDICTIONIS. Edictum indictionis processionis generalis extraordinariæ pro causa, & bono publico, debet ab Episcopo evulgari per aliquot dies antè, ad hoc ut, qui interesse debent, possint disponi, & præparari. Formula autem Edicti per modum exempli, poterit concipi modo sequenti. 1

Edicti convocationis Processionis.

FORMULA VI.

CUM Sanctissimus D.N. Papa N. ad apponendum se tanquàm murum pro Domo Dei, immani Turcarum Tyranno ingenti apparatu Regnum N. „ invadere minanti, miserrimasque clades Reipublicæ Christianæ sævissimo

P 4 „ bel-

„ bello paranti, Jubileum universale ad implorandam Divinam opem indixerit „ nobisque districtè præcipiendo injunxerit in hac nostra Civitate, & Diœcesi „ d.Jubilei promulgationem: Nos promptè, ut par est, obedire satagentes, „ illud publicare fecimus, & formam in litteris Apostolicis præscriptam exe- „ qui, & adimpleri curavimus.

„ Ut autem Cœlestis thesauri fructum uberiùs consequamur, & omnipoten- „ tis Dei auxilium efficaciùs imploremus, & ad eum supplici, concordique vo- „ ce clamemus, ut obliviscatur iniquitatum nostrarum, quibus iram ejus pro- „ vocavimus, & catholicæ Religionis hostium ferociam conterat potentia vir- „ tutis suæ: Vigore præsentium pro hac causa publica, Processionem genera- „ lem publicam indicimus.

„ Quare in hac Civitate ab Ecclesia nostra Cathedrali ad Ecclesiam N. & ab „ Ecclesia N. ad N.ad consequendam indulgentiam per nos designatas, die ∴ „ de manè hora ∴ Nos cum Ven.fratr. Canonicis, Capitulo, & universo Cle- „ ro & populo comittante processionaliter Deo favente, accedere statuimus: „ idcircò inixè hortamur, & paterna charitate monemus omnes, & singulos „ utriusque sexus Christi fideles ad interessendum, Clericis autem officia, aut „ Beneficia obtinentibus, tam sæcularibus, quàm Regularibus omnibus, & „ aliis etiam exemptis, & in strictiori clausura non degentibus, necnon Con- „ fraternitatibus, accedere solitis, præcipimus, eosque vocamus, & mone- „ mus, ut die, & hora, ut suprà præscripta omninò in d.nostrà Cathedrali con- „ veniant, & Processioni, ut moris est, interveniant, sub pœna Interdicti Ec- „ clesiæ, aliisque censuris, & pœnis arbitrio: *quòd si antè statutum terminum „ justi impedimenti excusatio deducta non fuerit, absque alia monitione contra „ contumaces, & inobedientes non interessentes ad comminatas pœnas procede- „ tur*. Volumus autem quòd præsens indictionis Edictum vim habeat, & ar- „ ctet, ac si singulis suprà vocatis personaliter fuisset intimatum, Datum &c.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

2 Aliæ præter expressam hic in formula, sunt occasiones, quæ respiciunt causam, & bonum publicum, v.g. ad serenitatem, pluviam, pacem, & sanitatem petendam, pro electione Summi Pontificis, & aliæ hujusmodi, quibus Regulares, ac alii exempti vocati, intervenire tenentur, quarum memini *tom.1. tit.5. adnot. ad form.* 7. *num.24. & seqq.*& eas referunt quoque Barb. *in sum. dec. Apost. verb. processio num.* 23. Pac.Jord. *elucubr. tom.2. lib.7. tit.14. num.57.* Card.de Luc. *de jurisd. disc.* 100. *num.* 9.

3 Verba autem in Edicto minusculo caractere notata ibi – *quòd si ante statutum terminum &c.* apponuntur pro cautela, & ad excludendam, & evitandam necessitatem citandi post factum contumaces ad dicendum causam quare &c. prout faciendum esset pro validitate censurarum, quando ista clausula in edicto non 4 apponeretur, & hoc fit ad exemplum, ac etiam ut statim occurratur scandalo, quod per populum ex inobedientia, & non interventu conceptum fuit: nam quemadmodum publica, & notoria est contumacia, ita etiam expedit, ut videatur statim publica punitio: quam cautelam docuit, & servandam esse monet in his terminis Card.de Luc. *d. disc.* 100. *num.*21. *de jurisd.*

Addo ego, quòd si Monasterium Re- 5 gularium vel aliorum exemptorum habitatio, situm, seù sita esset extrà Civitatem & su-

& suburbia, intrà tamen medium milliare: intimatio, seu indictio processionis poterit fieri ad cautelam, specialis per schedulam, vel per affixionem copiæ authenticæ edicti ad valvas eorum Ecclesiæ, nè unquam indictionis ignorantiam valeant allegare.

6 *Auctoritate nobis à Concilio Trident. delegata*. Hoc exprimitur in Decreto, & in Cedulone, ad removendum omne dubium validitatis censurarum latarum contrà exemptos: cùm enim Episcopus Regulares, & exemptos compellat ad interessendum processionibus publicis, tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ, ut dicit Card. de Luc. *in miscell. disc.* 15. *num.* 3. hoc in sententia venit exprimendum, nè videatur ordinaria auctoritate procedere, & sicut visitando Ecclesias exemptorum jure delegato Concilii *in cap.* 8. *sess.* 7. *&* *cap.* 9. *sess.* 24. tenetur declarare, id facere tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, prout pluries Sacr. Congregar. Concilii declarasse testatur Fagnan. olim ejusd. Congreg. Secretarius in *cap. quoniam num.* 35. *de offic. de leg. & in cap. nullus num.* 32. *de paroch.* & recenter ita faciendum esse respondit in *Mileten.* 17. *Novembr.* 1703. *ad* 3. ità videtur quòd debeat facere fulminando censuras: quamquam hoc non fit de necessitate; si enim id non exprimeret, non exindè inferri posset ad nullitatem: quia talis expressio requiritur solùm ad præservandum jus exemptorum, ut advertit Card. de Luc. *d. disc.* 100. *num.* 16.

Eodem jure delegato non tantùm in
7 exemplo edicti potest Episcopus subjicere Interdicto Ecclesias exemptorum, & Regularium; sed etiam in aliis casibus, v. g. si abusus, & irreverentias, moniti nollent, vel negligerent ab eorum Ecclesiis removere; vigore *Concilii Trident. in Decret. de observ. & evit. in celebr. missarum*.

8 Si interdictum in loco publicatum non observarent *Sacr. Congregat. Concilii Indiarum* 17. *Decembr.* 1650. *lib.* 19. *decis. pag.* 97.

9 Si accedente Episcopo ad eorum Ecclesias pro celebranda missa Pontificali, nollent eum obsequiis solitis juxtà præscriptum Decretorum Sacr. Congregat. Rituum, & Apostolicorum, recipere, servire, & juxtà solitum de cera, & supellectilibus providere, vel ei Baldacchinum erigere: nam tunc ratione contemptus Dignitatis Episcopalis, ad propulsandam publicam injuriam, & per modum defensionis extrajudicialiter, potest illicò absque alia monitione Interdictum Ecclesiæ indicere, & denunciare *Sacr. Congregat. Concilii in Venafrana Interdicti* 26. *Januar.* 1697. *Decret. Sacr. Congregat. Rit. tom.* 2. *tit.* 13. *annote ad form.* 4. *post num.* 34. Donat. *prax. rer. regul. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 13. *de exempt. religios. quæst.* 74. *num.* 7.

Si Baldachinum, vel osculum Evangelii, vel assistentiam in Presbyterio in 10
eorum Ecclesiis darent, permitterent; & concederent personis sæcularibus quantumvis nobilibus, & Illustribus, ut disponunt Decreta generalia *dict. Sac. Congregat. Rituum*, quæ à me data fuerunt *part.* 2. *tit.* 13. *ad form.* 1. Vel si ab Episcopo moniti, sepulturas sub Altaribus, & pradellis eorum Ecclesiarum constructas, nollent, aut differrent expurgare, & illas muro obstrui facere, & replere, Sac. Congreg. Episcop. apud Pignatell. *consultat.* 32. *num.* 2. *tom.* 4. in nulla enim Ecclesia est tolerandum, quòd in hujusmodi Altaribus celebretur, donec tumba terra repleatur, & ossibus amotis muro obstruatur, Nicol. *lucubr. can. lib.* 3. *tit.* 40. *num.* 1. Romaguer. *ad Synod. Gerund. lib.* 3. *tit.* 9. *cap.* 1. *num.* 8. *&* 9. sed debent interdici, Samuel. *de sepult. tract.* 1. *disp.* 3. *contr.* 8. *num.* 3. 4. *&* 5.

Si haberent aliquam Parochiam unitam, & congruam sustentationem Curato assignare renuerent, Pirhing. *in jus can. tom.* 3. *lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 44. ubi hæc habet — *Quòd si Prælati monasteriorum, quibus Parochiæ sunt unitæ, congruam portionem intrà terminum ipsis ab Episcopo Diœcesano præfixum, Vicariis perpetuis, qui ab ipsis præsentantur, assignare neglexerint, ea potestas ad Episcopum loci devolvitur, qui Prælatos, et si exemptos per censuras Ecclesiasticas ad id compellet.* juxtà dispositam in *clem.* 1. *de jur. patr. ibique gloss.* sicuti enim pro delicto Rectoris Civitatis, aut alterius Communitatis, locus interdici potest, ut dictum 11

fuit

fuit supra in præcedenti formula: ita poterit pro delicto Prælati interdici Ecclesia Regularium.

12 *Et supponimus Ecclesiastico Interdicto*. Quamquam in casu in formula figurato, personæ delinquentes possent censura suspensionis à divinis, vel interdicti personalis ab Episcopo puniri: adhuc magis propria, & conveniens delicto videtur Interdicti localis Ecclesiæ censura tum quia fit magis nota, & exemplaris in populo: tum quia non afficit non culpabiles, & innocentes, Bonac. *de interd. in particular. disput.* 4. *quæst.* 1. *punct.* 1. justèque ac validè apponitur propter crimen personarum, sub quarum regimine ipsa Ecclesia existit, ex traditis à Sayr. *de censur. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 8. *& 9.* Card. de Luc. *de jurisd. disc.* 29. *num.* 8. *& dict. disc.* 100. *nu.* 18. ubi in individuo de Interdicto apposito Ecclesiæ, ob non interventum quorundam exemptorum ad publicam processionem.

13 Quòd autem Regulares, & alii exempti renuentes accedere ad publicas processiones, possint ab Episcopo censuris compelli, & puniri, hodie planum est: cùm enim subjiciantur hac in re suæ jurisdictioni absque pœnæ determinatione, valet illos coercere pœna canonica sibi benè visa, ut individualiter communiter tradunt Ricc. *in prax. rer. for. Eccles. part.* 2. *resol.* 210. *num.* 1. *limit.* 2. *& collect.* 4050. Leo *thes. for. Eccles. par.* 1. *cap.* 8. *num.* 18. *& par.* 4. *cap.* 2. *num.* 143. Pac. Jord. *elucubr. tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 14. *num.* 59. Ventrigl. *in prax. par.* 1. *annot.* 48. §. *unic. num.* 106. Pignatell. *consultat.* 46. *à num.* 11. *ad* 23. *tom.* 3. *ubi Decreta Sac. Congreg. refert* Gallemart. *collect. in Concil. Tridentin. sess.* 25. *cap.* 15. *remiss. vers. nota ex Farinaccio*, Cardin. de Luc. *miscell. disc.* 15. *num.* 8. ubi quòd iste punctus post emanatam constitutionem Gregor. XI. *Inscrutabilis*, non mereatur ampliùs discursum, Romaguer. *ad Synod. Gerund. lib.* 3. *tit.* 10. *cap.* 1. *num.* 10. & ingenuè fatetur Passerin. *de stat. hom. tom.* 3. *quæst.* 189. *art.* 10. *insp.* 10. *num.* 768. his verbis -- *sed ubi Episcopis datur facultas coercendi, corrigendi, & puniendi Regulares, datur etiam facultas eos excommunicandi. Et sic v. g. dum sess.* 25. *cap.* 13. *datur Episcopis facultas compellendi eos ad processiones, datur etiam facultas eos compellendi per censuras*: cujus doctrina notanda est.

Neque vis ulla facienda videtur in auctoritatibus contrariis, quæ possunt allegari DD. Regularium: quia cùm defendant causam propriam non sunt in hac subjecta materia testes idonei, nec audiendi, Card. de Luc. *miscell. disc.* 16. *num.* 12. *& de jurisdict. disc.* 31. *num.* 8. *& disc.* 29. *num.* 7. Ventrigl. *in prax. par.* 1. *adnotat.* 48. *num.* 134. Pignatell. *consultat.* 21. *num.* 6. *tom.* 2. & etiam quia eorum rationes post Conc. Trid. & Bullam Gregor. XV. penitus nullæ sunt, & validissimis prosternuntur fundamentis à DD. suprà allegatis. 14

Debent autem reminisci Regulares, quòd si ipsi peccant cæteris paribus, graviùs peccant, quàm sæculares in eodem genere peccati: idque tripliciter: primò si peccant contra votum, ut furando, vel fornicando: secundò, si ex contemptu: tertiò si palam peccant (prout hic) propter scandalum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 10. ideoque graviùs puniendi sunt quàm Clerici Sæculares, ut benè advertit Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 7. *de heret. num.* 142. 15

Secundò, quòd si fuerint ab Ordinario in casibus, in quibus ei subjiciuntur simpliciter suspensi, vel interdicti; non solùm à divinis; sed etiam voce activa, & passiva privati censentur, dicit Ricc. *in prax. rer. for. Eccles. tom.* 4. *resolut.* 43. *num.* 9. *&* 13. si verò sint ab ordine tantùm suspensi eligi non poterunt, sed eligere non impediuntur, Ricc. *ibid. num.* 11. si autem voce activa, & passiva privati sint, intelligitur de omni capitulati voce, in dandis votis, vel recipiendis pro qualibet re proposita in Capitulo, ut respondit *Sacra Congregat. Concilii* 6. *Julii* 1581. 16 17 18

Reminisci quoque debent Ordinarii quòd Regulares omnes, sunt de Ecclesia benemeriti, & Episcoporum coadjutores in procuranda salute subditorum: ideoque, si proprii Instituti observantes sint, debent protegi, foveri, & summa charitate, & benignitate tractari: si autem per semitas justitiæ non ambulent, antequam censuris puniantur in casibus 19

sibus permissis, & delicta non sint publica, vel cùm contemptu, aut præsumtuosa, levioribus pœnis corrigenda erunt: nam ut dicit *glos. in cap. nisi cùm pridem de renunc.*

Qui nimis emungit, solet extorquere cruorem.
Et violenta facit correctio deteriorem.
Sed moderata satis correctio gignit amorem.

20 At è converso Regulares erga Episcopos debent esse obsequiosi, & obedientes, non solùm quia jus reverentiale eis per exemptionem non fuit ablatum, ut dicunt Card. de Luc. *de regular. disc. 1. num. 21. & disc. 64. num. 15.* Passer. *de stat. hom.*
21 *tom. 3. quæst. 189. art. 10. insp. 10. num. 798.* & declaravit Sac. Congreg. Episc. *in Forolivien. 6. Martii* 1692. sed etiam, quia in pluribus eisdem sunt subjecti, ut vidimus suprà, & in *tom. 1. tit. 6. adnot. ad form. 20. à num. 9. ad* 28. & demum quia Episcopi dicuntur Sanctissimi, Christi Legati existunt, Spirituales sunt Patres, Papæ fratres, & Columnæ Ecclesiæ, ut habetur in *Clem. 1. §. nec super de pœn.*

22 *Et ad valvas d. Ecclesiæ Cedulones affigi.* Cedulones Interdicti, qui affiguntur ad valvas Ecclesiæ interdictæ, debent esse in forma originali, nempè cum subscriptione Judicis interdicentis, Notarii Actuarii, & appositione sigilli Curiæ: non autem in forma simplicis denunciationis, per copiam, aut schedulam privatam, qua notificetur, quòd Ecclesia sit ab Ordinario supposita Interdicto: quia talis scriptura informis, non obligaret ad servandum Interdictum, ad tradita per Card. de Luc. *in miscell. disc. 22. num. 5. & 6.* ideoque Nuncius in relatione affixionis referre debebit, *se ad valvas Ecclesiæ interdictæ Cedulones originales Interdicti affixisse, & affixos reliquisse, prout habuit in mandatis*: ad quod Cancellarius Curiæ, nè in suo officio errare dicatur, advertere debet.

Addo quòd posset Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, Abbates, & alios usum Pontificalium habentes, ac Prælatos, & Superiores Regulares, & exemptos, censura Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, vel suspensionis ab exercitio Pontificalium punire, & coercere, si Ecclesiasticam supellectilem, seu paramenta Sacra pro usu aliarum Ecclesiarum, quàm suarum benedicerent: cùm hoc eis expressè vetitum sit à Decretis generalibus Sac. Congreg. Rit. 18. emanatis 27. *Septemb.* 1659. *& 20. Julii* 1660. *quo ad hoc confirmatis, & approbatis ab Alexandro VII.* quæ dedi *par. 2. tit. 13. ad form. 4. num.* 34. in quibus datur Ordinariis facultas inobedientes, & trasgressores per censuras compellendi. 23

De Interdicto contento in cap. quamquam de cens. in 6.

Civitas, Castrum, vel locus, cujus Collegium, aut Universitas exigit, seù extorquet, aut solvere compellit per se, vel per alium suo, vel alio nomine pedagia, vel guidagia, aut alias exactiones ab Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis, exceptis rebus, quas causa negotiationis deferunt: Ecclesiastico Interdicto ipso facto subjiciuntur, ut ex hoc textu colligitur. Quare Diœcesani, quibus constat aliquam Universitatem hanc censuram incurrisse; illam publicare debent, ut ibi *glos.* monet: hocque facere poterunt formula sequenti.

Decreti Interdicti generalis localis.

FORMULA VII.

Attentis comparitionibus Syndici Monasterii Monialium N. nec non Procuratoris Hospitalis infirmorum N. & visis juribus exhibitis, ex quibus constat, N. exactorem pedagiorum nomine Universitatis N. pluries *pedagium* pro rebus ad d. Monasterium, & Hospitale spectantibus *scienter extorquisse*, & monitus ad restituendum, indebitè exactum restituere recusavit: monitisque Officia-

Officialibus, & Consulibus; imò & ipsa Universitate, ad dicendum causam quare non deberet declarari supposita Ecclesiastico interdicto ob dictam indebitam exactionem nomine suo factam, & nihil in termino assignato, quod relevet, deducto, eandem Universitatem Ecclesiastico Interdicto, in quod incidit, subjectam esse declaramus, & denunciamus, donec exactum plenariè restituat, *& publicè volumus, denunciari.*

N. Episcopus N.

N. Actuarius.

Denunciationis.

FORMULA VIII.

AUctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur supposita Ecclesiastico Interdicto locali generali Civitas (sivè Universitas Castri) N. ex eo, quia contra Canonicas sanctiones, ejus Exactores pedagia, aliasque exactiones ab Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, jure Divino, humanoque exemptis, scienter exigere voluerunt, & de facto exigerunt, & Interdicto subjecta erit, donec indebitas exactiones nomine suo factas integrè restituat. Dat.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

VEL

CON autorità Ordinaria si denuncia, e dichiara sottoposta all'Ecclesiastico Interdetto locale generale la Città (ò Terra) N. perche contro la dispositione de Sac. Canoni, li di lei Esattori, e Gabellieri hanno esatto la gabella ∴ dalle Chiese, e da altre persone Ecclesiastiche, le quali per legge Divina, & humana, sono esenti da tali pesi, è gravami, e starà sottoposta a tale Interdetto, fin tanto, che saranno intieramente restituite le somme da quelli a suo nome esatte. Dat.

SUMMARIUM.

1 *Exigentes pedagia à personis Ecclesiasticis, si sint personæ singulares, excommunicationem, si verò universitas Interdictum eo ipso incurrunt, & quid sit pedagium ostenditur num. 2.*

3 *Amplia in Prælatis, qui si à Clericis exigant, easdem pœnas incurrunt.*

4 *Exigentes à Clericis sponte solventibus, non excusantur à restitutione.*

5 *Exigentes ab Ecclesiis, vel Clericis pro oneribus infixis bonis ab eis possessis, vel datis cum conditione solvendi onera, vel fraudolenter donatis, an, & quando incurrant, affertur declaratio S. Congr.*

6 *Represalias relaxantes contra bona Ecclesiasticorum, subjacent Interdicto generali personali, si sint Universitates, si verò singulares personæ fuerint, sententiam excommunicationis incurrunt.*

Exi-

7 *Exigentes juramenta illicita, quibus pœnis subjaceant, enarratur ex Bulla Greg. XIII.*

8 *Capientes, percutientes, detinentes, vel bannientes proprium Episcopum excommunicationem Papa reservatam incurrunt, & locus eo ipso subjacet Interdicto.*

Interdicta non sunt denuncianda, nisi præmissa monitione, ibid.

9 *Interdictum locale, licèt ipso jure incurratur, nemo tamen illud servare tenetur, antequam promulgetur.*

10 *Fallit in Ecclesia, quando jam à canone, vel Constitutione interdicta est.*

ADNOTATIONES.

1 PEDAGIUM. Exigentes à personis Ecclesiasticis pedagia, & guidagia, censuras ipso facto incurrunt, ut habetur in citato *cap. quamquam de cens. in 6.* ibi -- *nec universitas, nec aliqua etiam singularis persona cujuscumque sit dignitatis, conditionis, aut status, à præfatis Ecclesiis, aut personis pro personis ipsis, aut rebus prædictis, talia exigat, vel extorqueat, per se, vel per alium suo nomine, vel etiam alieno, aut eas ad hujusmodi persolvenda compellat. Qui verò contrafecerit, si persona fuerint singulares, excommunicationis: si autem Collegium, vel universitas Civitatis, Castri, seu loci alterius cujuscumque, ipsa Civitas, Castrum, vel locus, interdicti sententias ipso facto incurrunt.*

Hoc nomen *pedagium*, hìc sumitur
2 non solùm strictè pro pedagio solvendo à transeuntibus in loco destinato, sed etiam pro vectigali, quod Principi, seù Universitati solvitur pro rebus, & mercibus, quæ vel invehuntur, vel evehuntur, & pro alia quacumque indebita exactione, quæ fit auctoritate laicali, ut notant *glos. in d. cap. quamquam* Barbos. *num.* 3. Passerin. *num.* 3. 4. & 7. Cherub. *in summ. bullar. ad const.* 10. *Paul.* 3. *schol.* 1. imò non solùm Universitates, & personæ sæculares cujuscumque dignitatis, & status existant prohibentur hujusmodi exactio-
3 nes à Clericis extorquere: sed etiam Prælati Ecclesiastici, qui si per se ipsos, vel per alios talia pedagia exigerent, in easdem pœnas inciderent, ut notat Passer. *ibid. num.* 6.

Scienter extorquisse. Quid si non extorquerent, sed ab Ecclesiasticis sponte solventibus reciperent; an inquam prædictis afficerentur pœnis? Et videtur dicendum, quòd non excusarentur à restitutione: quia Ecclesiastici eorum exemptioni renunciare non possunt, ut jam ostendi *tom.* 2. *tit.* 15. *ad form.* 4. *num.* 13. & docet del Bene *de immun. Eccles. tom.* 1. *cap.* 5. *dub.* 18. *sect.* 1. *num.* 15. hoc tamen casu exigentes non denunciandi, sed facta restitutione absolvendi essent. 4

Quid si exigerent ab Ecclesiis, & Clericis pro oneribus infixis bonis ab eis possessis, & cum conditione solvendi onera, aut fraudolenter donatis? & responderi potest ut in sequenti Decreto *S. Congreg. Immun.* 5

Vercellen. Clerus supplicat declarari infrascripta dubia:

Primò. An exigentes Collectas pro bonis donatis Ecclesiis, quando donationes sunt cum fraude, incidant in excommunicationem.

Secundò. An exigentes pro bonis donatis Ecclesiis cum conditione solvendi onera, & tributa etiam imponenda, incidant in excommunicationem.

Tertiò. An si Cives communi consensu, generali, vel speciali hypoteca, obligent eorum Prædia pro Collectis in futurum imponendis, ut ad quoscumque transeant cum d. onere, ac propterea Ecclesia acquirens subjaceat, an dicantur facere contra libertatem, & Immunitatem Ecclesiasticam.

Quartò. An si supradictæ Collectæ non solvuntur à Clericis, possit à Judice laico contra eadem bona fieri executio.

Die 15. *Novembr.* 1659. *Sacr. Congr. Respondit:*

Ad primum non incurrere facta priùs per Episcopum declaratione super fraude donationum.

Ad secundum major pars inclinavit non incurrere, quando sub conditione fuerint bona donata Ecclesiæ.

Ad tertium respondit ut ad proximum.

Ad

Ad quartum per Judicem laicum non posse fieri executionem, sed spectare ad Judicem Ecclesiasticum lib. 3. Dec. Paulucci *fol.*238.

6 Quid si Universitas collectas, & pedagia à personis Ecclesiasticis non exigeret, sed contra eas, vel ipsorum bona represalias concederet, & relaxari, an posset Ordinarius pœna Interdicti localis, exemptionem, & libertatem Clericorum tueri, & defendere: & respondetur quòd sic: nam quando Universitates hoc facere attentant, nisi infra mensem à die concessionis, vel extensionis represaliæ, illam non revocant; ipso jure subjacent Interdicto generali personali lato in Constitut. Concilii generalis Lugdunen. relata in *c. unico de injur. in 6. ubi glos. & Barbos. num.* 4. Sayr. *de cens. lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 12. quòd pariter denunciandum esset, si facta monitione, represalias removere contemneret, si verò personæ singulares fuerint, sententiam excommunicationis incurrerent *d. cap. unico de injur. in* 6.

7 Quid si Universitas, vel Collegium extorqueret ab Ecclesiasticis juramenta illicita, damnosa, vel contraria libertati Ecclesiasticæ; an Interdicto sit compescenda, & respondetur quòd sic juxta præscriptum Constit. Gregor. XIII. quæ incipit: *Inter Apostolica*, impressæ in *Bullar. tom.* 2. *pag.* 480. in ordine hac 93. in qua §. 3. sic disponitur — *Ac etiam præcipimus, ac interdicimus Prælatis, Canonicis, & aliis supradictis, necnon Ecclesiarum Capitulis, & Monasteriorum, cæterisque Conventibus, Civitatum quoque Castrorum, & Terrarum Communitatibus, & personis quacunque dignitate præditis, ne ulla omninò juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati Ecclesiasticæ, aut Decretis Concilii Tridentini obviantia, sive ante, sive post Electiones, confirmationes, provisiones, receptiones, admissiones, aut alios actus, ubicumque, ac quocumque tempore, etiam prætextu cujusvis consuetudinis quantocumque tempore observatæ, quæ potius corruptela est censenda, sive in genere, sive in specie præstare, reddere, vel exigere, neve super præstitis, redditis, vel exactis huc usque quemquam, in judicio, vel extra inquietare audeant, quoquomodo vel turbare. Illos enim qui juramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel Ecclesiasticæ libertati, aut Decretis d. Concilii obviantia, exigere contenderint, Episcopos videlicet, & alios quoscumque Pontificali dignitate præditos suspendimus à divinis, Capitula verò, & Conventus, eorumque Ecclesias, & loca omnia interdicto Ecclesiastico supponimus, ac singulares personas excommunicationis sententia innodamus, inhabilesque facimus ad obtenta, & alia obtinenda eo ipso, nobisque, & Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis, & interdicti, necnon absolutionem ab excommunicationis sententia hujusmodi perpetuo reservamus.*

Quòd si suadente diabolo in hoc sacrilegii genus aliqua Civitas prorumperet, ut proprium Episcopum injuriosè caperet, percuteret, detineret, vel banniret, aut hæc fieri mandaret, aut ab aliis facta rata haberet, vel consilium, aut favorem facientibus præstaret: an Interdictum aliquod incurreret, & respondetur affirmativè secuto effectu, ut habetur in *Clem.* 1. *de pœn.* & non solùm locus, in quo Episcopus detinetur ipso jure subjacet interdicto; sed culpabiles excommunicationem Papæ reservatam incidunt, Bonac. *tom.* 3. *de interd. in particular. disp.* 4. *quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 1. & 10. Hoc autem Interdictum, quod quoad non culpabiles locale est, ut ait *glos. in d. Clem.* per speciem defensionis erit statim denunciandum: alia verò interdicta, de quibus suprà mentio facta fuit denuncianda, & publicanda non sunt, nisi præmissa monitione, ad dicendum causam quare ob illicitam, & indebitam exactionem ab Ecclesiasticis personis factam ob represalias concessas, ob illicitum juramentum exactum, quis non debeat incursus declarari: quomodo autem Universitas citanda, & monenda sit, in sequenti formula dicam. 8

Et publicè volumus denunciari. Licèt etiam hoc interdictum, & alia, de quibus suprà, ipso jure, & ipso facto incurrantur, nemo tamen illa servare obligatur antequam locus denuncietur, & promulgetur interdictus: quidquid sit de Ecclesia, quæ sufficienter censetur denunciata, 9

si in

10 si in Canone, vel Constitutione dicatur -- *singulæ Ecclesiæ talis loci ipso facto sint interdictæ*, ut notant Sayr. *de censur. lib.* 5. *cap.* 12. *num.* 23. 24. Bonac. *to.* 3. *de interd. in partic. disp.* 4. *qu.* 3. *punct.* 2. *nu.* 8. Barbos. *in d. cap. quamquam num.* 8. *de cens. in* 6.

De Interdicto comento in Bulla Pii V. 104. *Bullar. tom.* 2. *pag.* 310.

Hæc constitutio confirmat, ampliat, & declarat Concil. Trident. *in cap.* 14. *sess.* 24. *de reform.* prohibet, ne in Beneficiorum, Canonicatuum, & Præbendarum Cathedralium, & Collegiatarum collatione, provisione, electione, nominatione, aut præsentatione, vel admissione in possessionem, fiant pactiones, petitiones, compensationes, solutiones, deductiones fructuum, seu distributionum, aut promissiones illicitæ, & quæ sordidæ avaritiæ suspicionem habent, vel quæ in usum, & utilitatem conferentis, præsentantis, vel admittentis cederent, aut inter Capitulares, & personas Ecclesiæ dividi deberent; sive ex privilegio, sive ex statuto etiam Apostolica auctoritate confirmato (quod revocat, & annullat) sive ex consuetudine longissimo tempore observata exigerentur, hæcque prohibet sequentibus formalibus verbis.

Præcipimus igitur, & interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis, & Collegiis, & personis, ad quos id pertinet, ne post hac fructus, aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant, vel exigant, aut quemquam, sive Ordinaria, sive Apostolica auctoritate provisum, ad præstandum hujusmodi juramentum inducant, aut illi, prædicta non facienti, possessionem impediant, vel remorentur. Quicumque contrafecerint, si Ecclesiarum Antistites, tamdiu à Pontificalis officii exercitio sint suspensi, donec satisfactione prævia, illis per Sedem Apostolicam, suspensio relaxetur. Capitula verò, & Collegia quæcumque Ecclesiastico subjaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, à qua nisi in mortis articulo constituti, ab alio, quàm à Rom. Pont. absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes hujusmodi præstita juramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quinimò jurantes in hujusmodi censuram incidere, necnon irritum, & inane quicquid secus, &c.

Quaretam Ordinarii, quàm Visitatores, si inveniant hanc Constitutionem in aliqua Collegiali Ecclesia non servari, prout non observari tempore suo conquerebatur Ricc. *in prax. part.* 1. *resol.* 231. *num.* 2. poterunt, & debebunt, tum ex officio, tum ad partis instantiam ad denunciationem interdicti procedere, quatenus contra venientes promptè recepta, aut retenta non restituant, & pro absolutione à censuris incursis non recurrant: & si v. g. ob solutionem, aut promissionem solvendi, aut relaxandi non factam à proviso, possessio retardetur, modo sequenti providendum erit.

Decreti Interdicti.

FORMULA IX.

Attenta *comparitione* coram Nobis facta pro parte N. à Sede Apostolica provisi de Canonicatu in Cathedrali ecclesia N. prout patet ex literis Apostolicis exhibitis, reclamantis sibi possessionem retardari d. Canonicatus *à Capitulo, & Canonicis*, ex quo nolit promissionem, partem fructuum relaxandi (aut aliam solutionem) facere: *visa monitione contrà Capitulum exequuta*, ad dicendum causam quare, non debeat incursum declarari in censuram interdicti contentam in Constitut. 104. Pii V. & nihil relevans deducto, præfatum Capitulum *ob dictam illicitam solutionis petitionem, & possessionis Canonicatus retarda-*

tardationem, in interdictum, in citata Bulla contentum incidisse declaramus; *&* *Ecclesiastico interdicto subjectum denunciamus*, & publicè denunciari volumus, & mandamus.

N. Vic. Gen. N.

N. Actuarius:

Denunciationis.

FORMULA X.

AUctoritate ordinaria denunciatur subjectum, & suppositum Ecclesiastico interdicto Capitulum Cathedralis (sive Collegiatæ) N. ex eo quia contra prohibitionem Decreti Sac. Concilii Trident. *cap.* 14. *sess.* 24. *&* *Bullæ Pii V.* prætextu illicitæ promissionis (seu solutionis) per N. provisum à Sede Apostolica non factæ, possessionem Canonicatus obtenti, tradere renuit, & remoratur, Datum, &c.

N. Vic. Gen. N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Episcopus ex officio procedit contra transgressores Bullæ Pii V.* 104.

2 *Possessio Canonicatus debet capi capitulariter.*

3 *Effectus attenditur, non modus.*

4 *Datur formula Citationis exequendæ contra Capitulum, vel universitatem, & num.* 5.

6 *Citatio facienda contra populum, qui certum non habet locum, ubi congregari soleat, fit per affixionem ad valvas Ecclesiæ, in qua solet convenire.*

7 *Requisitio pro convocando Capitulo, seu Concilio Universitatis, quomodo sit facienda ostenditur.*

8 *Verba in materia pœnali, intelligenda sunt cum effectu.*

9 *Consuetudo, seu statutum, quæ; seu quo cavetur, quòd provisi de Beneficio, vel Canonicatu, aliquid solvant propio usu, aut Ecclesiæ fabricæ, vel suppellectilibus Sacristia tenet, & servanda sunt, & num.* 10. 11.

12 *Non valet Consuetudo, ut noviter recepti, solvant prandium.*

13 *Valida sunt statuta, quibus disponitur ut noviter recepti non participent, nisi per aliquod temporis spatium gratis inserviant.*

14 *Pro receptione, & admissione ad Religionem, nihil recipi debet.*

15 *Expensæ, quæ fiunt tempore professionis, debent taxari ab Episcopo.*

16 *Dos pro receptione Monialium licitè solvitur.*

17 *In Religione Virorum, an pro receptione, & admissione, aliquid licitè recipi possit, ostenditur, & n.* 18. 19. *&* 20.

Canones, qui simoniam vetant, per non usum abrogari non possunt, dict. num. 20.

21 *Capitulum non potest excommunicari, sed debet interdici.*

Contraveniens Bullæ Pii V. la 104. *interdictum incurrit ibi.*

22 *Episcopus dict. Bullæ transgressor, à Pon-*

Pontificalibus est ipso jure suspensus, potest tamen missam privatam celebrare.

23 *Si autem esset ab ingressu Ecclesiæ interdictus, in Ecclesia nullum actum ordinis potest exercere.*

24 *Episcopus suspensus, si populum solemniter benediceret, fieret irregularis.*

ADNOTATIONES.

1 *ATTENTA COMPARITIONE.* Hoc dicitur in formula ad exprimendum casum minùs dubitabilem: cæterùm non solùm ad partis instantiam, sed ex officio Ordinarius, tam in Visitatione, quàm extra, actiones prohibitæ in Bulla, nè fiant, curare, & providere debet, & contravenientes admonere, & si statuta, aut Consuetudinem contrariam abolere detrectent, in censuras incursos denunciare.

2 *A Capitulo, & Canonicis.* Impedimentum retardans possessionem facto Capituli, & Canonicorum, diceretur probatum, quoties Canonici moniti, nollent, aut refugerent actui possessionis capiendæ interesse: nam cùm de necessitate, possessio Canonicatus sit capienda Capitulariter, etiamsi in literis adsit clausula, ut provisus possit propria auctoritate capere possessionem (quæ solùm operatur, ut possit illam capere absque ministerio Judicis, non autem excludit consensum Capituli) ex traditis à Paris. *de resignat. benef. lib.6. quæst.5. num.* 32. Card. de Luc. *de benef. in summ. num.*274. ex eorum absentia, data opera, causata, resultat idem effectus, ac si facto violento possessioni resisterent, qui effectus ad incurrendam
3 censuram attenditur, & non modus, Barbos. *axiom.*80. *num.*5. Donat. *prax. rer. regul. tom.*2. *par.*1. *tract.*1. *quæst.*26. *num.*6.

4 *Visa monitione contra Capitulum exequuta.* Monitio, seu citatio exequenda ante denunciationem Interdicti contra Capitulum, poterit sic concipi -- *Citetur, & moneatur Capitulum Cathedralis N. ad comparendum per suum legitimum Procuratorem prima die juridica, ad dicendum causam quare non debeat declarari, ipsum incurrisse, & subjectum esse, & existere interdicto Ecclesiastico comminato, & contento in Bulla Pii V. qua incipit.* Durum nimis: *ob illicitam petitionem relaxationis fructuum (seu solutionis talis summæ) factam N. proviso Apostolico, & retardationem possessionis Canonicatus per eum obtenti, contra prohibitionem expressam dict. Constitutionis, aliàs videndum die immediatè sequenti, se interdictum denunciari, Cedulones relaxari, & publicè affigi, eo ampliùs non monito &c.*

Hæc citatio, seu monitio, exequi debet, dum Canonici sunt capitulariter congregati, & ad hunc effectum Ordinarius mandabit ei, qui habet jus convocandi Capitulum, ut ipsum convocet, qui si noluerit illud congregare, habebitur pro citato per affixionem citationis in loco, ubi Capitulum solet congregari: vel si dum Canonici sunt congregati, claudatur porta Nuncio, ut ingredi nequeat, citatio affigi poterit in valvis ejusdem loci: vel poterit Capitulum citari in persona Syndici, vel Æconomi, vel procuratoris, ut docet *glos.* communiter recepta in *cap. si capitulo ver. factam de concess. preb. in* 6. Ricc. *collect.* 3040. Rot. coram Cavaler. *decis.*310. *nu.*2. Pac. Jord. *elucubr. tom.*3. *lib.*14. *tit.*1. *num.* 90. & 91. Sabell. *in summ. div. tract.* §. *Citatio num* 27. ubi alios cumulat. Et hæc praxis servanda quoque erit, quoties citanda sit Universitas, sive aliud Collegium, Pignatel. *cons.*17. *num.*2. & 3. *tom.* 7. Zual. *ad Stat. Favent. tom.*1. *lib.*3. *rubr.* 1. *num.*23. & 2. Adden. ad Greg. *decis. ult. lit. B.* si verò citandus esset populus, qui non habet certum locum ubi congregari soleat, sufficiens erit citatio per proclama, aut per affixionem ad valvas Ecclesiæ, in qua populus solet convenire ad audiendam missam, Rot. coram Cavaler. *decis.*408. *num.*1. 5 6

7 Requisitio autem facienda pro convocatione Capituli, seu Concilii Universitatis ei, qui habet jus convocandi, sic erit concipienda -- *Citatur, & requiritur N. ad congregandum, & congregari faciendum pro die .·. Capitulum Cathedralis, ut moris est, in loco solito (sive Concilium Universitatis) in quo citari possit juridicè pro justitia administranda, aliàs habebitur pro citato per affixionem in loco, seu*

seu valvis loci Capituli, seu Concilii instante, &c.

8 *Ob dictam illicitam solutionis petitionem, & possessionis Canonicatus retardationem*. Licèt in Bulla istæ duę actiones scilicet *petere, & exigere*, disjunctivè ponantur ibi – *dulciaria, vel alia quomodocumque petant, vel exigant*: adhuc cessione, solutione, vel traditione non secuta, videtur, quòd Capitulum hanc censuram non incurrat, etiam si petierit: quia verba in materia pœnali intelligenda sunt cum effectu, ut hanc Bullam ponderando, tenet Bonac. *de simon. disput.1. quæst.7. §.3. num.* 3. & in terminis censurarum, Spetell. *decis.20. num.15. & 16.* & Simoniæ conventionalis, Donat. *prax. rer. regul. tom.2. tract.1. quæst.26. per tot.* Cottad. *prax. disp. lib.5. cap.9. num.6.* Paris. *de confid. qu.1. num.142.*

9 Non autem omnis petitio, & solutio, quæ fit à Capitulis, & provisis est illicita: quoniam plures sunt casus, in quibus dispositio hujus Bullæ non intrat: non enim comprehendit Consuetudines, & statuta, quibus disponitur, quòd ab obtinentibus Beneficia, & Canonicatus in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis, solvatur, & exigatur aliquid, quod non in ipsorum exigentium utilitatem, nec pro ingressu, & admissione accipiatur, sed in aliquos pios usus convertatur: hoc etenim nullam avaritiæ, seu simoniæ suspicionem habet, sed potiùs laudabile est, ut tradunt Paris. *de confid. quæst.38. num.28.* Monet. *de distrib. par.2. quæst.18. num.54. & 55.* Ricc. *in prax. par.1. resol.499. num.6.* Bonac. *de simon. disput.1. quæst.7. §.3. num.5.* Barb. *supra Concil. d. cap.14. sess.24. num.6. & de Canonic. cap.15. num.29.* Card. de Luc. *de Canonic. disc.10. num.10. & disc.29. num.7.*

10 Et hinc est, quòd valet statutum, sive Constitutio facta per Capitulum auctoritate Episcopi, quòd provisi de Canonicatibus, Beneficiis, vel Præbendis in Cathedrali, solvant certam quantitatem, quæ integrè cedat pro fabrica Ecclesiæ, nihil tamen detur Notariis, Campanariis, & aliis Ministris, & officialibus. Leo *thes. for. Eccles. par.3. cap.1. num. 4.* Ricc. *in prax. dict. resol.499. num.8. ver. pro cujus.* Gallemart. *collect. in Concil. Trid. d. cap.14. sess.24. num.2. ver. valet Constitutio.* Barb. *loco cit. num.11.*

Item valet Statutum, sivè Consuetudo, quòd noviter receptus, solvat tot pro Planetis, & aliis supellectilibus sacris Sacristiæ, Graff. *dec. aur. par.1. lib.2. cap.96. num.49.* Tondut. *quæst. benef. tom.1. cap. 47. num.5. 6. & 7.* quia hoc dicitur factum in favorem cultus Divini, Pignatell. *consult.158. num.10. & 11. tom.1.* Et hanc consuetudinem tolerandam esse censuit Sacr. Congr. Episcop. Regul. in Ecclesia Matrice receptitia Terræ Paduli Caputaquen. Diœcesis *die* 17. *Martii* 1692. referente clar. mem. Card. Meo Petruccio. 11

Non tamen tenet, neque servanda est consuetudo, qua introductum sit, quòd Canonici, sivè alii Presbyteri de Ecclesia, prandium habere debeant, ut monet Graff. *dict. cap.96. dict. num.* 49. his verbis – *Verùm circa consuetudinem introductam à Clericis inter se ipsos, hæc constituenda est conclusio. Non valet consuetudo, qua Clerici aliquid à Clericis exigunt, spectans ad repletionem ventris, vel propriam utilitatem, de simon. cap. sicut. Hinc inquit text. in cap. Jacobus eod. tit. quòd prætextu Consuetudinis non potest exigi prandium à Canonico de novo recepto: verùm benè recipi posset consuetudo, ut peteretur planeta, vel Casula, vel aliquid spectans ad Divinum cultum, vel fabricam Ecclesiæ.* Et ideò Sac. Congreg. Episcop. in d. Caputaquen. in responsione ad tertium dubium, talem consuetudinem abolendam esse respondit. 12

Item licita, & valida sunt statuta Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum & Receptitiarum, quæ mandant, & disponunt; quòd noviter recepti, provisi, & aggremiati, antequam de Massa communi participent, per aliquod temporis spatium gratis Ecclesiæ inservire debeant, vel quòd fructus primi anni, sint hæredis Canonici defuncti; quia hujusmodi statuta, nec sub Decreto Concilii, nec sub Bulla Pii V. comprehenduntur, Garc. *de benefic. par.11. cap.5. num.138.* Barbos. *de canonic. cap.23. num.7. & supra Concil. d. cap.14. num.4.* Gallemart. *eod. loco num.4.* Pignat. *consult.30. n.10. tom.3.* & pluties declaravit S. Cong. Conc. ut testantur Garc. & Pignatell. & recenter in *Andrien.* 5. 13

Maji

Maji 1696. & 20. *Decembr.* & 8. *Augusti* 1699.

14 An autem quæ hîc dicuntur de Canonicis, Beneficiatis, & Præbendatis Collegiatarum Ecclesiarum Sæcularium, habeant locum in Monasteriis, Collegiis, & Ecclesiis Conventualibus Regularium, adeò ut hi exigentes aliquam summam in admissione, & receptione Novitiorum, dicantur illicitè recipere, & simoniam committere? Respondetur, quòd de hoc sunt text. *in c. non satis*, *in c. veniens*, & *c. quoniam de simon.* in quibus prohibetur expressè nè aliquid recipiatur, aut exigatur temporale, tam pro ingressu ad probationem, & susceptionem habitus, quàm pro ipsa professione; quia cùm sint actus, qui ordinantur ad salutem animæ, & perfectionem charitatis, sunt invendibiles, & pecunia sine simonia recipi non potest: Quod verò attinet ad abusus illos, qui ex consuetudine fiunt circa apparatus, & sumptus conviviorum, in susceptione habitus, & professione Regularium utriusque sexus, & alia dona, quæ cum exactione, seu pacto expresso, vel tacito, quasi extorquentur à Regularibus, tanquam corruptela sub pœna excommunica-
15 tionis quoad personas particulares, & suspensionis quoad Capitula reprobatur talis Consuetudo *in Extravag.* 1. *de simon.* nisi liberaliter, & sponte dentur. Ideoque expensæ, quæ in professione sunt necessariæ debent taxari ab Episcopo, ut talis corruptela removeatur Gavant. *in Manual. verb. Monialium professio n.* 25. Dona. *prax. rer. regular. tom.* 4 *tract.* 12. *quæst.* 21. *num.* 3. & iterum dicam infra.

16 Verùm Consuetudo, quæ in Monialium dotibus jam obtinuit, damnari non potest, tum quia non exigitur temporale pro spirituali, tanquàm pretium, sed solùm requiritur tanquam conditio, ut dotem Moniales secum deferant pro earum necessaria sustentatione: nè Monasteria accessu novarum personarum graventur, tum quia talis Consuetudo Decretis, & Apostolicis Constitutionibus expressè approbata reperitur, ut jam dixi *tom.* 1. *tit.* 11. *ad form.* 7. *num.* 10. & 11.

In Religionibus autem Virorum, licèt
17 probabilis sit nonnullorum DD. opinio, quòd ubi adest Consuetudo, & Monasterium sit inops non solùm possit recipi id, quod pro victu, & vestitu necessarium est tempore probationis, & quod merè voluntariè, & spontè offertur à volentibus ingredi religionem, sed etiam de eo pacisci tempore professionis, titulo necessariæ sustentationis, & indigentiæ Monasterii, quos refert, & sequitur Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 3. *n.* 59. & 60. nihilominus de hac opinione in praxi valdè est dubitandum: quia canones suprà allegati indifferenter 18
prohibent aliquid exigi etiam prætextu paupertatis, ut habetur in *d. cap. quoniam de simon.* & pactiones fieri ut in *d. cap. non satis*, & in citata *Extravag. de simon.* & D. Th. quem pro se allegat Pirhing. 2. 2. *quæst.* 100. *ad* 4. admittit quidem, quòd possit recipi aliquid pro victu personæ recipiendæ, si Monasterium sit tenue, sed negat, quòd sit licitum recipere, vel dare ex pacto pro receptione, & ingressu.

Nec dici potest, quòd id, quod recipi- 19
tur, non recipiatur pro pretio admissionis, sed pro indigentia: quia ut dicatur pactio illicita saltem præsumptiva, sufficit quòd fiat occasione admissionis: ideoque recedere non debemus à juris dispositione, prout in his præcisis terminis respondit *S. Congr. Concilii in una Leodien.* in qua, cùm PP. Carmelitani Leodii dubium proposuissent; & declarari institissent — *An in receptione Novitiorum licitum sit, exigere ab eis, vel eorum Consanguineis aliquam summam ultrà mensuram alimentorum, etiam titulo eleemosynæ, & à spontè dantibus, Sac. Congr. die* 9. *Febr.* 1697. dubio in plena Congregatione proposito, respondit -- *servetur dispositio juris* -- de qua resolutione nefas est dubitare, quia illam habeo subscriptam manu Em. olim D. Mei Card. Petrucci, tunc temporis unus ex Judicibus illius sapientissimi Tribunalis. Quapropter quia in hac materia debemus 20
tutiorem viam capere, ne detur occasio scandali, Regulares ab hujusmodi pactionibus debent abstinere, & de his, quæ Concilium Trid. concedit, contenti esse, non enim in jure subsistit, quòd canonibus prædictis possit per contrariam consuetudinem derogari, quia jura labem simoniacam vetantia, cùm sint juri Divino conformia, per non usum tolli non possunt, ut advertit Paris. *de confident.*

*quæst.*38. *num.*33. Navar. *consil.*1. *num.*6. *de simon.*

21 *Et Ecclesiastico interdicto subjectum denunciamus.* Ob causam expressam hìc in formula, Capitulum declaratur suppositum interdicto, quia excommunicari non potest, licèt personæ Capituli particulares excommunicationem Papæ reservatam inciderint, Paris.*de resig. l.*5. *quæst.*6. *num.*210. Sayr.*de censur. lib.*1. *cap.*8. *num.* 20. & 21. quod quidem interdictum æquiparatur suspensioni, cujus relaxatio excepto mortis articulo, Pontifici reservata est, ut in d. Bulla cavetur expressè, & advertunt Leo *thes. for. Eccles. par.*3. *cap.*1. *num.* 5. Gallemart. *collect. in Concil. Trid. d.c.*14. *sess.*24. *de ref. num.*4. ideòque tamdiù à celebratione divinorum abstinere debebit, donec restitutionem à Romano Pontifice meruerit obtinere, aliàs enim interdictum non servantes Canonici, & Capitulares, efficerentur irregulares à solo Papa dispensandi, Paris.*loco citato num.* 211. *& seqq.*

22 Episcopus verò si d. Constitutionis fieret transgressor, à Pontificalibus est ipso jure suspensus: qua suspensione durante, licèt Pontificalia exercere non possit: tamen absque incursu irregularitatis potest celebrare missam, saltem privatim: de solemni enim dubium est, Sayr.*de censur. lib.*4. *c.* 16. *à num.*26. *cum seqq.* ubi plenè quæstionem examinat Barb. *in cap.*2. *num.*15. *&* 16. *de offic. & potest. jud. deleg. in* 6. *ibique* Passerin.*num.* 15. cùm autem Episcopus ab ingressu Ecclesiæ interdictus est: non potest interdicto durante in Ecclesia celebrare, neque privatim, nec Sacramenta ministrare, nec aliquem in ea Sacri Ordinis actum exercere, nec audire divina officia, nec psallere, nec orare, nec sepeliri, si interim moritur: sed solùm extra Ecclesiam privatim poterit celebrare, Sayr. *de censur. lib.*5. *cap.*9. *num.*21. *&* 22. Passerin. *loco cit. num.*13. Si autem esset suspensus, & solemniter populum benediceret per hæc verba — *sit nomen Domini benedictum* irregularitatem incurreret, Sayr.*de censur. lib.*4. *cap.*16. *num.*16.

De Irregularitate in particulari.

§. UNICO.

De Irregularitate contenta in cap. de cætero 11. *de homicid.*

Quanquam dispositio hujus text. & aliorum antiquorum canonum, idest *cap. sicut Sacerdotes* 2. *quæst.*7. *c. nullus clericus* 11 2. *c. his à quibus* 23. *quæst.*8. sit moderata, & hodiè possint Clerici in judicio laicos malefactores pro injuriis sibi illatis accusare, & accusationem prosequi, cum protestatione tamen, citrà pœnam sanguinis, juxtà permissionem indultam à Bonifacio VIII. *in cap. prælatis de homic. in* 6. nihilominus, vel quia dictam protestationem accusando, & quærelando omittunt, vel formam debitam ibi præscriptam non servant: sæpè irregularitatem incurrunt. Quare si opus sit illam denunciare v.g. in casu sequenti, Decretum modo hìc expresso concipi poterit.

Decre-

Decretum Denunciationis irregularitatis.

FORMULA UNICA.

ATtenta relatione, & juribus exhibitis per nostrum Prom. Fiscalem, *ex quibus constat* Presbyterum N. querelam criminalem *pro delicto mortem, & mutilationem merente* in Tribunali sæculari N. contra N. malefactorem exposuisse, *nulla servata forma cap. prælatis de homic. in 6.* & prædictum accusatum pœnam ultimi supplicii, vigore sententiæ Judicis fuisse, incursum vel mutilatum fuisse, declaramus ipsum Presbyterum N. accusatorem, & quærelantem irregularitatem incurrisse, *& irregularem esse denunciamus*, & eidem, & quibus interest hoc nostrum Decretum intimari mandamus.

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

N. Actuarius.

SUMMARIUM.

1 *Clericus de accusatione criminis porrecta in Tribunali laico, inquiri non debet, nisi constet ex actis.*

2 *Clericus porrigens querelam in Tribunali laico sine protestatione, non fit irregularis, quando crimen mortem, aut mutilationem de jure non meretur.*

3 *Clerici criminaliter accusantes ad vindictam, morte, vel mutilatione querelati sequuta, incurrunt irregularitatem non obstante protestatione, vel si illam omitterent ex oblivione.*

4 *Clerici, ut querelare licitè possint, debent accusationem exponere pro se, vel suis, actione civili, & præmissa protestatione, & num. 5.*

6 *Datur forma accusationis, cum protestatione.*

7 *Protestatio debet fieri in scriptis.*

8 *Protestatio est facienda in causis criminalibus, tam in levibus, quam gravibus delictis, & num. 9.*

10 *Non exigitur protestatio, quando querela porrigitur in Tribunali Ecclesiastico.*

11 *Protestatio facienda est etiam à laicis, ut evadant irregularitatem.*

12 *Clericus querelans sine protestatione, si fiat irregularis, antequam declaretur à Judice, debet admoneri an aliqua possit competere defensio.*

13 *Damnati ad Triremes, an, & quando evadant irregulares, ostenditur & num. 14.*

15 *Clerici Sæculares, vel Regulares recurrentes in suis causis ad Judices laicos, quando evadant irregulares, ostenditur, & num. 16.*

17 *Comitans homicidam, non efficitur irregularis, quando ignoranter facit.*

18 *Petens veniam, aut absolutionem, non fatetur delictum, sed censetur petere ad cautelam.*

ADNOTATIONES.

EX QUIBUS CONSTAT. Antequam Ordinarius ad hanc declaratoriam procedat, debet sibi per exhibitionem Processus, vel ejus copiam authenticam, in quo adsit querela nomine Clerici porrecta, de corpore delicti constare: non enim sufficeret, quòd de hoc esset diffamatus, vel testes de auditu deponerent: nam hæc indicia ad hunc effectum infirma sunt, ex mox dicendis. 1

Pro delicto mortem, & mutilationem merente. Hoc exprimitur in formula, ad indicandum, quòd querela, sive accusatio, quæ porrigitur à Clerico in foro sæculari contra malefactorem sine pro- 2

protestatione injuncta *in d.c.prælatis*, ad effectum incurrendi irregularitatem, debet esse pro delicto qualificato, quod mereatur sententiam sanguinis: nam si querela esset de crimine levi, quod pœnam mortis, vel mutilationis de jure non meretur; omissio protestationis, irregularitatem non induceret, etiamsi Judex excedens limites justitiæ, accusatum ad mortem, vel mutilationem manus damnaret, vel reus sponte crimen morte dignum fatens, sententiam sanguinis pateretur, ut de communi tradunt Graff. *de effect. cleric. effect.*12. *num.*19. Barbos. *in d. cap. prælatis de hom. in 6. num.*12. Passerin. *ibid. num.*6. Pirhing. *in jus can. lib.*5. *tit.*12. *num.* 110. Bonac. *de irreg. dist.*7. *quæst.*4. *num.*7. Di

3 *Nulla servata forma, &c.* Duplici modo Clerici criminaliter agendo in foro laico irregularitatem (morte, vel mutilatione querelati sequuta) incurrere possunt, & de facto incurrunt. Primò, quando agunt directè ad vindictam publicam, seù pœnam accusati, sivè tanquam accusatores, sive tanquam testes; licèt hoc faciant cum protestatione citrà pœnam sanguinis: quia tunc talis protestatio vana est, & inutilis. Secundò, quando omittunt protestationem expressam, licèt ex oblivione, ut de primo casu Graff. *d. effect.*12. *num.*9. Pirhing. *loco cit. num.*101. Rayn. *observ. crim. tom.*1. *cap.*10. §.8. *num.* 86. *&* 88. & de secundo, Barbos. *in d. cap. prælatis num.*9. Sayr. *de censur. lib.*6. *cap.* 18. *num.*3. Guazin. jun. *ad def. animar. lib.* 2. *cap.*45. *num.*88. Rayn. *loco cit. num.*84. Bonac. *de irreg. disp.*7. *quæst.*4. *num.*8.

4 Ideoque ut sine metu, & periculo irregularitatis valeant malefactores accusare, tria debent concurrere, scilicet, quòd querela exponatur pro causa propria; quòd judicium criminis intentetur actione civili, & quòd præmittatur protestatio. Dicitur autem causa propria, non solùm si offendatur in persona, vel bonis propriis, aut suæ Ecclesiæ: sed etiam si Clericus offendatur in persona, & bonis suorum Consanguineorum, v. g. Parentum, vel fratrum, pro quibus præmissa protestatione, querelare potest, Ricc. *in prax. tom.* 1. *resol.*464. *num.*3. *& decis. Cur. Archiep.*136. *num.*6. *par.*2. Passer. *in d. cap. prælatis num.* 7. Rayn. *loco supra cit. num.*80.

Secunda conditio, scilicet, quòd criminale judicium Clericus non intentet, sed civile, formalitatem tantùm actionis importat, quia licèt crimen de jure sit puniendum pœna mortis, seù mutilationis in vindictam publicam, & pro communi bono, & accusans hoc sciat, & criminaliter sic agendum contra delinquentem: tamen Clericus denuncians vel accusans, non debet hoc intendere, sed actionem de crimine intendere debet, ut civilem, petendo emendam fieri, vel sibi provideri, ut dicitur in *d.c. prælatis*: licèt enim offensus remittere debeat rancorem, & odium, non tamen tenetur remittere id, quod pertinet ad sui, & bonorum suorum defensionem & conservationem, neque jus denunciandi, & accusandi apud Judicem, *gloss. in d. cap. prælatis verb. emendam.* Barbos. *num.*11. Passer. *num.*12. 5

Tertia conditio, quæ est protestatio expressa, post expositam querelam, seù denunciam delicti sic poterit, & debebit impleri. *Peto ideò civiliter coram Dominatione Vestra satisfactionem, & emendam (vel restitutionem) mihi ad N. qui injuriam, & damnum intulit exhiberi, & provideri, ne contra me, vel meos talia de cætero præsumantur, protestorque, me nulla ratione intendere vindictam seu pœnam sanguinis, mutilationem, vel mortem d. accusati, sed injuriæ, & damni illati æstimationem.* 6

Hæc protestatio facta in limine accusationis, seù ante sententiam Judicis ad evitandam irregularitatem prodest in foro externo, etiamsi fiat animo ficto, desiderando scilicet internè vindictam, ut volunt DD. supra citati: qui etsi dicant etiam, quòd non sit necessarium, ut protestatio fiat in scriptis, & quòd sufficiat verbalis expressa: nihilominùs in praxi sequendum est bonum consilium *glos. in d. c. prælatis verb. protestando*, ubi dicit, quòd pro cautela fiat de hoc publica scriptura: & quidem rectè monet, nam cùm requiratur certa forma: illam servatam fuisse constare debet in foro externo (quidquid sit in foro animæ) ad hoc, ut Clericus querelis molestari non possit, & hoc approbant quoque Sayr. *de cens. lib.*6. *d. cap.* 18. *num.*6. *in fin.* & alii ab eo allegati. 7

Porrò licèt DD. supra allegati in §. *Hoc* ex- 8

exprimitur, de magis communi firment, quòd in delictis levibus dicta protestatio non sit necessaria, ejusque ommissio, querelantem irregularem non faciat: adhuc mihi videtur, quòd in omnibus delictis criminalitatem involventibus sit adhibenda: moveorque ad ita sentiendum ex verbis textus ibi -- *Qui de laicis, suis malefactoribus querelam pœnes sæcularem Judicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præsumantur protestando expressè, quòd ad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet: quamvis aliàs in tali casu de jure debeat pœna sanguinis irrogari*: hæc in quam verba textus universalia sunt, & implicant casus leves minùs dubios, & explicant graves magis dubitabiles, per dictionem illam, *quamvis* Barbos. *d.* 304.

9 quæ æquipollet dictioni *etiam*, qua utitur *gloss. in verb. prælatis* ubi ait -- *sine pœna irregularitatis possunt Clerici de suis malefactoribus conqueri coram Judice sæculari*, etiam *de criminibus*, *ex quibus debetur pœna sanguinis expressè protestando quòd ad pœnam sanguinis non intendunt*, & sic tum ex universalitate verborum textus, tum ex sensu, & explicatione *gloss.* protestatio adhibenda est, tam in levibus, quàm in gravibus delictis, saltem ad cautelam, sivè Clericus sit accusator, sive testis.

10 Non tamen exigitur, quando querela porrigitur in Tribunali Ecclesiastico, quia Judex Ecclesiasticus non potest procedere ad sententiam mortis, vel mutilationis, etiam si delictum sit valdè enorme; ita ut accusatus pœna degradationis sit puniendus, Passerin. *in dict. cap. prælatis num.*4. Pirhing. *loco supra cit. num.*110.

11 Hanc autem protestationem ad effugiendam irregularitatem debent facere etiam laici: nam hi accusantes de crimine digno morte, vel mutilatione, licèt non peccent, tamen sine protestatione irregularitatem incurrunt ex defectu perfectæ lenitatis, ut ajunt Navar. *in manual. cap.*27. *n.*213. *in fin.* cum aliis, quos referunt, & sequuntur Passerin. *loco cit. nu.*20. Pirhing. *n.*108. Undè non possent ad ordines promoveri, nisi obtinerent dispensationem.

12 *Et irregularem esse denunciamus*. Denunciatio irregularitatis incursæ, facienda est, tam in casu formulæ, quoties eveniat; quàm in aliis, in quibus irregularitas est publica, & notoria, & tamen Clericus irregularis, monitus ab Ordinario, non se abstinet ab exercitio ordinum vel alio modo contemnit: est tamen antequam denuncietur citandus, *ad dicendum causam quare non debeat irregularis declarari ob talem causam*, quando aliqua defensio facti, vel juris, potest competere; secus autem quando incursus est certus, & defensio nulla competit, prout in casu figurato in formula.

Quod exemplificari potest in damnato ad Triremes, qui licèt, ut plurimum irregularis evadat: non tamen hoc accidit semper, ideoque, hic non est reputandus, nec denunciandus irregularis, nisi priùs fuerit citatus, & auditus. Et quamvis plures DD. velint absolutè, quòd damnati ad Triremes efficiantur infames, & irregulares, quos refert, & sequitur Ciarlin. *controv.* 207. *num.*53. horum tamen opinio non est pacifica, cùm contrariam sententiam tueantur Ricc. *decis.*119. *part.*1. Pac. Jord. *elucubr. tom.*2. *lib.*10. *tit.*21. *num.* 85. & quatenus verior esset, non est recipienda, nisi unum de duobus concurrat, videlicet: vel quòd damnatus ad Triremes actu remigaverit, juxta Decretum Sacr. Congreg. S. Officii emanatum anno 1635. tempore Urbani VII. quo statuitur, quòd Presbyteri tam seculares, quàm regulares damnati ad Triremes, si actu Remiges fuerunt non habilitentur ad exercitium Ordinum, quod per extensum refert Nicol. *lucubr. can. lib.*5. *tit.*12. §.13. vel quòd delictum, pro quo damnatus fuit, de jure infamiam habeat annexam, aliàs enim hoc genus pœnæ, non irrogat infamiam, nisi causa eam gignens præcedat, prout prædictas pugnantes opiniones conciliando, latè firmat Raynald. *obser. crim. addit. ad c.*8. §. 1. *num.*45. *per tot. post tom.*2. quem allegavi *par.* 1. *tit.*4. *ad form.*9. *nu.*6. 13

Et hinc est, quòd præcisis his circumstantiis damnatus ad Triremes peracta pœnitentia, seu adimpleta pœna, posset ad exercitium ordinum restitui, vel ad ordines etiam Sacros, & ad Dignitates promoveri, absque dispensatione Apostolica *ut in praxi semel servasse testatur* Pac. Jord. *dict.* 14

*num.*85. tum quia infamia facti, quæ inde oritur, non inducit irregularitatem, etiamsi damnatus sit infamis ob publicitatem criminis, ut tradunt Garz. *de benef. part.* 7. *cap.*8. *num.*64. *& duob. seqq.* Bonac. *de irregular. disp.*7. *qu.*3. *punct.*1. *num.*5. *&* 7. Nicol. *lucubr. can. lib.*5. *tit.*12. *num.*5. *vers. limita tertiò*: tum quia per triennalem vitam laudabilem aboletur, & bona fama recuperatur quoad omnia, Barb. *de offic. Episc. alleg.*43. *num.*23. Pac. Jord. *elucubr. to.*3. *lib.*14. *tit.*17. *num.*111. tum demùm, quia in ea Episcopus dispensat, Navar. *in manual. cap.* 27. *num.*204. Gavant. *in manual. verb. irregularitas num.*27. Verum est tamen, quòd in hoc, Ordinarii arbitrium prudenter adhibendum est, & rarò
15 in promovendo.

Item exemplificatur in Clericis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui in suis causis recurrunt ad Judices, & Principes Sæculares, hi etenim cùm excommunicationem contentam in Bulla Cœnæ incurrant; licèt si post recursum exerceant ordinem solemniter, vel missam celebrent, evadant irregulares, prout de Regularibus respondit S. Congreg. Immunitatis in una *Ulyssiponen.* 6. *Nov.* 1688. *lib. Decr. Martell. pag.*373. & de Clerico Sæculari in *Alatrina* 29. *April.* 1704. *lib.*3. *Dec Vallem. pag.*576. non sunt tamen reputandi, nec denunciandi irregulares, nisi quando ex eorum recursu sequatur impedimentum jurisdictioni Ecclesiasticæ, executioni mandati Rotalis, vel litterarum apostolicarum; aut alio modo Judex, vel Princeps laicus apponit manus, & auxilium præstat; ut in *d. Alatrina*, in qua Clericus brachium Sæculare obtinuit pro capienda possessione Beneficii: aliàs enim irregularitatem non incurrerent, quia solus affectus recursus, nisi sequatur effectus, non punitur, ad tradita per Card. de Luc. *miscellan. disc.*17. *num.*9.

Item in eo, qui comitatur homicidam 16
nam hic, licèt regulariter, irregularitatem incurrat, regula procedit quando comitans, comitatur ad cædem patrandam, & paratus est opem ferre, licèt posteà actu non operetur, nec educat arma, quia ex sola ejus præsentia aggressor fit audacior ad occidendum, & sic dicitur aliquo modo influere in homicidium: non autem quando comitans ignorat homicidam procedere ad occidendum, & alia de causa eum comitatur, & præsens invenitur homicidio; nam tunc, quia illud nec voluit, nec cooperator extitit, ex sola præsentia, vel ex eo solùm, quòd non impedivit, non efficitur irregularis, ut tradunt Navar.
*consil.*7. *num.*1. *&* 2. *& consil.*23. *num.*2. *de* 17
homic. Bonac. *de irregular. disp.*7. *quæst.*4. *punct.*8. *num.*36. Pirhing. *in jus can. lib.*5. *tit.*12. *num.*41. *&* 42.

Item exemplificatur in eo, qui non occidit, neque fuit in culpa: sed veniam, 18
vel absolutionem, aut dispensationem petiit ad cautelam: ex hoc enim non probatur, quòd petens veniam, absolutionem, aut dispensationem, sit in culpa, vel excommunicatus, aut irregularis: seù impedimentum habeat, licèt si non peteret ad cautelam, sed simpliciter, præsumatur contra petentem, *c. exhibita ibique glos. de homic. Innot. in cap.*2. *de ord. cognit. n.*9. Graff. *dec. aur. par.*2. *lib.*2. *cap.*19. *nu.*57. *&* 58. Rot. coram Manzaned. *decis.* 148. *nu.*9. Imò ex eo, quòd quis fuit absolutus ab excommunicatione, non probetur fuisse excommunicatum, quia fuit forsan absolutus ad cautelam, tenet Lazar. *quæst. can. sect.*4. *quæst.*16. *num.*16. *in fin.*

FOR-

FORMULARIUM LEGALE PRACTICUM

Fori Ecclesiastici.

PARS TERTIA

TITULUS IV.

De Censuris in jure latis contra Moniales.

CUM de Censuris, quæ Clericos, & alios Viros Religiosos ligant, suprà actum sit, & congruum & cohærens est, ut de censuris, & inhabilitatibus, quæ fœminis Religiosis honores, & officia præpediunt, videamus; summatim tamen juxta institutum operis.

De Excommunicatione §. I.

De excommun. contenta in Extrav. I. de simon.

EXCOMMUN. I.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur verba extravag.* I. *de simon.*

2 *Referuntur interpretationes DD. super intelligentia, & usu d. extravag. &* num. 3. 4. & 5.

6 *Bona Novitiæ nolentis profiteri, vel mortuæ antè professionem, sunt restituenda hæredi, non obstante contraria consuetudine.*

ADNOTATIONES.

1 AD evitandum simoniæ crimen, quod occasione ingressus in Religionem cum fidelium scandalo, & damno committebatur, *Urbano IV.* in hac extravag. (pœnis in jure statutis, in suo robore relictis) districtiùs inhibuit Superioribus Monasteriorum, tam marium, quàm mulierum per hæc verba -- *ne tam à maribus, quàm à mulieribus volentibus ingredi eorum Religiones, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Domus, seù loca, in earundem personarum receptione, aut antè vel post illam, quoscumque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias, etiam ad usum Ecclesiasticum, seù quemvis pium alium usum deputata, vel deputanda, directè, vel indirectè petere, vel exigere quoquomodo præsumant, &c. Illa dumtaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes purè, & spontè, & plena liberalitate omnique pactione cessante dare, vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, & domibus hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi. Nos enim qui secùs agente, si sint singulares personæ, tam dantes, quàm accipientes hujusmodi, excommunicationis; si Capitulum, vel Conventus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere: à quibus præterquam in mortis articulo, absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali.* Hæc ibi.

In interpretanda Constitutione hac, si essent attendenda DD. modernorum dicta, hodie otiosa penitùs redderetur: plures enim eorum dicunt, quòd recipientes pro sustentatione ingressuri non incurrant,

rant censuram, & hos refert, & sequitur Bonac. *de excomm. in particular. disput.* 2. *punct.* 29. *num.* 4. alii autem dicunt, quòd talis opinio potest salvari, quando Monasterium est inops, prout vidimus suprà in *tit. de interdict. form. ult.* alii dicunt, quòd ad incurrendam hanc censuram, requiritur, ut datio, vel receptio fiat ex pacto pro ingressu in Religionem, quos sequitur Pelizar. *de monial. cap.* 8. *num.* 17. & tamen ex verbis extrav. supra recitatis hoc non percipitur: quia Pontifex non dicit -- *pro earundem personarum receptione*, prout necessarium esset, quòd diceret, ad inducendam hanc causam finalem, sed dicit, quòd nihil illorum, quæ ibi expressa fuerunt, recipiatur -- *in earundem perso-*
3 *narum receptione*: ex qua dictione inducitur, & indicatur tempus, & occasio potiùs, quàm causa finalis: adeò ut mens Legislatoris fuerit, quòd nullo modo ex pacto, recipi possint prandia, dona, & jocalia occasione ingressus in Religionem, quamvis non reciperentur prò illius pretio, ut patet ad sensum: aliàs enim inutilis prorsus fuisset provisio extravagantis, & nihil amplius disponeret, quòd jus commune disponit, *tot. tit. de simon.* alii dicunt quòd censura non incurratur, nisi sequatur professio recepti, seù receptæ, & hos sequitur cum Bonac. Barbos. *in hac extravag. n.* 3. & tamen Pontifex actum completum professionis non contemplavit, sed receptionis, ut patet ibi -- *in earumdem personarum receptione, aut ante, vel post illam*, & sic ad incurrendam hanc censuram sufficit, quòd dona, & alia suprà prohibita fuerint data, & recepta tempore ingressus, & acceptationis, & receptionis, qui est actus sub censura prohibitus, & in ea consummatus, ut ipse Bonac. sic contrarius dixit in *censur. bull. Cœnæ disp.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 3. nec expectatur professio recepti, cùm Censura hæc non maneat in suspenso, prout maneret cum absurdo, si assertum Barbosæ, & Bonacinæ verum esset.

4 Alii demum laxiores ajunt, quòd hæc Extravag. vel non fuit usu recepta, vel in desuetudinem abjit, & hos referunt, sed non sequuntur Bonac. *primo loco cit.* & Donat. *prax. rer. regul. tom.* 4. *tract.* 12. *qu.* 21. *num.* 1. quod est assertum erroneum, & prorsus insubsistens: quia cùm repetiatur inserta in Sexto Decretalium, & solemniter publicata, habet vim legis, & sententia contrà eam lata est ipso jure nulla, ut advertit Medic. *tom.* 1. *tit. de legib. & stat. par.* 1. *quæst.* 3. *num.* 20. imò cùm in *Constit.* 40. *Alexandri Papæ VII.* & in Edictis *Innoc. XI. anno* 1676. *&* 1684. *& Innoc. XII. anno* 1692. in Urbe publicatis, prohibeantur expressè monialibus ea omnia, quæ continentur in hac extravagante, sub pœnis privationum officiorum, vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendis, videtur tacitè innovata.

Quare Ordinarii locorum in eorum 6
Diœcesibus, curare debent exemplo Episcopi Urbis, & Orbis, quòd moniales, servent dispositionem hujus extravagantis, & ad tollendos abusus, & removenda illicita, quæ turpe lucrum sapiunt, & modestiæ religiosæ adversantur, ipsi taxent expensas, quæ necessariæ sunt in receptione habitus, & tempore professionis, prout monent Gavant. *in verb. monialium professio num.* 25. Tamb. *de jure Abbatiss. disp.* 6. *quæst.* 1. *num.* 3. Donat. *prax. rer. regul. tom.* 4. *tract.* 12. *d. quæst.* 21. *num.* 3. & ita cessabunt scandala, & pericula incursus censurarum.

Item quòd in casu egressus alicujus No- 7
vitiæ nolentis profiteri, vel intra annum probationis decedentis, bona omnia, quæ tempore ingressus detulit, seù Dotem jam solutam sub pœna anathematis hæredibus Novitiæ restituantur, ut Concil. Trid. jubet *cap.* 16. *sess.* 25. *de regul.* non obstante consuetudine, seù usu contrario non restituendi ut *Sac. Congr. Concilii respondit Episcopo Eugubino* 26. *Nov.* 1650. *lib. decis.* 19. *pag.* 9.

De excommunic. contenta in Clement. attendentes de stat. monac.

EXCOM. II.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur verba* Clementinæ attendentes de stat. monac.
2 *Moniales impedientes munus Visitationis, excommunicationem ipso jure incurrunt.*

3 In-

3 *Intellige si priùs fuerint monitæ ut desisterent.*
4 *Datur formula monitionis, & nu.5.*
6 *Moniales non desistentes ab impedimento, non sunt excommunicandæ collectivè, sed nominatim, cum clausula hic data.*
7 *Si omnes Moniales sint culpabiles, quomodo sint denunciandæ, ostenditur.*

ADNOTATIONES.

1 DE hac censura aliqua dicta sunt suprà in *tit. de excommun. ad form.*37. §. *Si autem ageretur*: hic autem ibi prætermissa addenda erunt. Textus igitur in §. *Ultimo* hæc habet: *si qui vero Visitatores ipsos (idest Monialium) in præmissis impedire præsumpserint, seu aliquo præmissorum, nisi moniti resipiscant, ipso facto excommunicationis sententiam se noverint incursuros, privilegiis, statutis, & consuetudinibus quibuslibet in contrarium maximè valituris.*

Ex hac generali textus locutione, non tantùm Viri cujuscumque conditionis Visitatores impedientes, sed & ipsæ moniales comprehenduntur, & pœnæ excommunicationis, si Visitatoris munus impediant subjiciuntur, ut tradunt communiter, Bonac. *de censur. in part. disp.* 2. *quæst.*2. *punct.*4. *num.*8. Barbos. *in dict. Clem. attendentes num.*6. Pelizar. *de monial. cap.*8. *num.*19. Tamb. *de jur. Abbatiss. disp.*14. *quæst.*8. *num.*4. 2

Et licèt hæc censura sit latæ sententiæ, non tamen incurritur, statim ac fuerit oppositum Visitationi impedimentum: sed requiritur, quòd Visitator priùs moneat impedientes, ut desistant ab impedimento, qui si non desistant statim incurrunt, *glos. in dict. clem. verb. impedire* Navar. *in manual. cap.*27. *num.*140. Bonac. *loco cit. num.*4. Pelizar. *de monial. cap.*10. *quæst.*11. *num.* 81. Tamb. *de jur. Abbatiss. disp.*14. *quæst.*8. *num.*3. monitio autem sic poterit concipi. 3

FORMULA MONITIONIS.

MOneantur infrascripti in termino peremptorio trium dierum, quorum primus eis assignatur ad desistendum ab impedimento præstito Visitationi Monasterii monialium N. & impedire cessandum: secundus, quatenus ab impedimento non cessent, ad dicendum causam quare declarari, & denunciari non debeant excommunicati: & tertius ad videndum contrà se ipsos decerni, & relaxari Cedulones, eis amplius non monitis.

N. Visitator.

N. Actuarius.

Monendi.

N. N.
N. N.
N. N.

Et generaliter omnes alii, qui impedimentum præstiterunt, vel ut daretur, consensum, aut auxilium dederunt.

Si impedientes Visitationem, Visitatori noti sint, eos moneat judicialiter, & specialiter ut suprà: at si certò sibi non constet, qui sint, sufficit, quòd ante declaratoriam moneat generaliter per affixionem, ut volunt *glos. & DD. mox* suprà citati: si autem impedimentum proveniat ex parte Monialium, & moneri personaliter non sinant: monendæ erunt ad desistendum, & impedire cessandum, generali-

raliter monitione vernacula lingua concepta per affixionem ad Valvas Clausuræ.

6 Et si Visitator, quia Moniales impedire non cessant, cogatur ad declatatoriam devenire, non debet illas excommunicatas declarare collectivè, v. g. dicendo -- *declarantur, & denunciantur excommunicatæ Moniales Monasterii N.* quia si ita declaret, peccaret in textum *cap. romana de excommun. in* 6. ubi sic dicitur -- *in Universitatem, vel Collegium, proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus: volentes animarum periculum vitare: quod exinde sequi posset, cùm nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri: sed in illos dumtaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit promulgetur.* Ideoque illas tantùm Moniales, quas sibi constiterit esse culpabiles nominatim denunciare debebit, ut citatus textus præcipit, & præscribit: at si dubitat rationabiliter præter nominatim expressas, adesse alias culpabiles, poterit addere in declaratoria, & in Cedulone hanc clausulam -- *Nec non declarantur, & denunciantur excommunicatæ omnes, & singulæ aliæ Moniales quæ impedimentum, ut supra Visitationi nostræ dederunt: vel ut ab aliis daretur, consensum, consilium, & auxilium præstiterunt, & à Nobis monitæ illud removere, revocare, & mandatis nostris parere noluerunt*; Nam adhibita hac cautela, non contingit innocentes de Collegio excommunicari, ut docet Sayr. *de censur. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 18.

Quòd si daretur casus, ut omnes Moniales Monasterii visitandi, essent culpabiles, & hoc Visitatori juridicè constaret, tunc posset fieri denunciatio excommunicationis hoc modo -- *declarantur, & denunciantur excommunicatæ Abbatissa, Decana, & omnes aliæ Moniales Monasterii N. quæ mandatis nostris, imò verius Apostolicis rebellaverunt*, ut tenent Sayr. *de censur. lib.* 1. *cap.* 8. *d. num.* 18. *in fin.* & alii ab eo allegati.

De excommunicat. contenta in cap. 18. *sess.* 25. *de regul. Concilii Trid.*

EXCOMMUN. III.

SUMMARIUM.

1 *Moniales, quæ dant suffragium scienter, ut recipiatur Puella, quæ coactè suscipit habitum, excommunicationem incurrunt.*

2 *Moniales, quæ auxilium, & favorem præstitit receptioni Puellæ coactæ, est ineligibilis ad officium Abbatissatus.*

3 *Monialis excommunicata denunciata, potest communicare cum aliis Monialibus in necessariis ad communem usum.*

4 *Monialis diffamata de auxilio, & cooperatione, pro receptione puellæ invitæ, coactæ, potest privari ab Episcopo ex informata conscientia, voce activa, & passiva.*

ADNOTATIONES.

Sub hac censura, de qua jam vidimus suprà in *tit. de excommun. ad form.* 33. comprehenduntur etiam Moniales: quia non solùm anathemati subjiciuntur hi, qui cogunt Virgines, ad ingressum in Religionem, vel retrahunt ab illa; sed etiam alii, qui scienter consilium, auxilium, aut favorem dederunt: ac illi, qui scientes Virginem non spontè habitum suscipere, vel professionem emittere consensum, & auctoritatem interposuerunt, & hoc propriè cadit in moniales, quæ dant suffragium pro admissione, Tamb. *de jur. Abbatiss. disput.* 3. *quæst.* 1. *num.* 8. 9. & 10. Pelizar. *de Monial. cap.* 8. *qu.* 12. *num.* 20. 1

Ut autem de actionibus, per quas talis excommunicatio incurritur, Moniales sint edoctæ, & de ea ignorantiam allegare non valeant, debet Ordinarius uti remedio, & cautela à me tradita, *to.* 1. *tit.* 11. *ad for.* 7. Et si sibi judicialiter constet aliquam ex Monialibus hanc excommunica-

2 nicationem incurrisse, poterit illam ad exemplum denunciare Collegio Monialium, quia talis monialis est ineligibilis ad officium Abbatissatus ut dicit Passerin. *de elect. c.*40. *num.*77. & per denunciationem non tollitur Superiorissæ libertas jubendi, nec aliis Monialibus, quin possint cum denunciata (præter quàm in Divinis)
3 communicare in necessariis pertinentibus ad communem usum Communitatis, Sayr. *de censur. lib.*2. *c.* 14. *num.*18. *&* 21.
Ai si non juridicè de crimine, sed extra-
4 judicialiter certitudine morali fama loquatur, tunc ex informata conscientia, & vigore facultatis Concilii, de qua suprà in *tit. de suspens. ad form.*6. eam à voce activa, & passiva suspendet, aliovè modo omnino puniat: quia peccatum grave est.

De excommun. contenta in cap. ut periculosa ne cleric. vel monac. in 6.

EXCOM. IV.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur verba* c. ut periculosa, nè cleric. vel monac. in 6.

2 *Omnes Religiosi, tam mares, quàm fœminæ tenentur assiduè deferre habitum Religionis.*

3 *Religiosus, vel Religiosa deponens habitum intra claustra, licèt peccet, non tamen excommunicationem incurrit.*

4 *Religiosus, qui deponit habitum, ut ludat, fugiat, vel exeat à Claustro ad malum finem, vel illum occultat, an, & quando censuram textus incurrat, ostenditur.*

5 *Religiosus, qui habet indultum transeundi ad aliam Religionem, non potest transire ad laxiorem.*

6 *Superior Regularium, non potest concedere licentiam, ut Religiosus, habitum dimittat, vel occultè deferat.*

7 *Ordinarii locorum, non debent concedere licentiam Monialibus, ut recreationis gratia, habitum deponant professionis.*

ADNOTATIONES.

In hoc textu sic dicitur — *Ut periculosa Religiosis evagandi materia subtrahatur, distinctiùs inhibemus, nè de cætero aliquis quamcumque Religionem tacitè, vel expressè professus, in scholis, vel alibi temerè habitum Religionis suæ dimittat, &c. Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto.* 1

Sub hac textus dispositione, & censura, comprehenduntur omnes Religiosi, 2
sive viri, sive fœminæ, qui emiserunt tria vota substantialia in aliqua Religione approbata, ut inquit Passerin. *de stat. hom. tom.*3. *quæst.*189. *art.*8. *inspect.*3. *num.* 320. Religiosus enim professus, tenetur portare assiduè habitum suæ professionis, & præsertim monialis, ut cavetur expresse in *c. Sanctimonialis* 24. *dist.*23. *& in cap. vidua* 20. *qu.*1. Donat. *prax. rer. regul. to.* 1. *p.*2. *tract.*6. *qu.*5.

Ad hanc autem censuram incurren- 3
dam, non sufficit quælibet habitus dimissio, sed requiritur, quòd sit temeraria, hoc est sine rationabili causa, & apta ad periculosè vagandum extrà Claustra, ut ex relatis verbis textus percipitur, & advertit quoque Donat. *loco mox citato qu.*6. *&* 9. Et hinc est, quòd Religiosus, seù Religiosa, qui, vel quæ habitum Religionis intrà Claustra dimittit, etiam sine rationabili causa, licèt peccet, aut graviter, aut leviter, juxta facti circumstantias, & possit juxtà statuta Ordinis puniri, non tamen excommunicationem incurrit, quia cessat periculum vagationis: Donat. *loco cit. quæst.*9. Passerin. *de stat. hom. tom.*3. *d. qu.*189. *d. art.*8. *insp.*3. *num.*323.

Excusatur ulteriùs Religiosus Vir ab incursu hujus censuræ, si habitum dimit- 4
tat ut saltet, aut ludat, vel ad majorem delectationem in malo ad breve tempus: item si dimittit habitum, ut fugiat & recurrat ad Superiorem, quando est gravatus injustè: non tamen excusaretur, si dimitteret habitum religionis, & alium assumeret, ut posset occultè à Claustro egredi ad malum finem, etiamsi esset ad breve tempus, quia talis dimissio est apta ad pessimè vagandum: vel si non dimit-

teret,

teret, temerè occultaret: nam licèt occultatio physicè non sit dimissio habitus, tamen moraliter, & æquivalenter, & quantum ad effectum, quem lex prohibet, idem sunt, habitum occultare, & dimittere, ut hæc probat *Passerin.* fuso calamo de more, loco citato *num.*342. 348. *& seqq*5. Qui autem haberet Indultum transeundi ad aliam Religionem, non posset habitum primæ Religionis dimittere, & transire ad laxiorem contra dispositionem Concilii *cap.*19. *sess.* 25. aliàs ad hanc transiens nulliter faceret, ut censuit, *Sacr. Congreg. Concilii in Cajetana* 24. *Martii* 1703.

6 Quare est notandum, quòd cùm habitus dimissio secundùm se, & ex genere suo sit prohibita de jure, Superior Religionis, non potest directè dare licentiam Religiosis dimittendi habitum extrà Monasterium, quia Prælatus inferior Papa in jure communi non dispensat, Passerin. *ibid. num.*358. imò *Concil. Trid. c.*19. *sess.* 25. *de regular.* prohibet expressè, nè detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum Religionis.

7 Et ex his quoque infertur, quòd locorum Ordinarii, aliivè Prælati Regulares, non debent dare licentiam explicitam Monialibus subjectis, tempore baccanalium dimittendi, recreationis prætextu, habitum Religiosum, & assumendi alium secularem, præsertim Virilem, ut *S. Cong. Episc. rescripsit Episcopo Ferrarien.* 27. *Aprilis* 1604. licèt enim aliquando tolerari possit, quòd intrà Clausuram repræsentetur aliqua Historia Sacra, & quòd Moniales in ea agant personam fictam; hæc tamen permitti debent rarò, & conniventer, non tamen approbatione speciali, & individua, prout dixi de licentia deferendi sclopum venatorium respectu ad Clericos.

*De excommun. contenta in Clem.*1. *de sentent. excomm.*

EXCOM. V.

De hac censura, quæ afficit etiam moniales interdictum violantes, ut dicit Pelizar. *de monial. c.*8. *quæst.*14. *n.*22. actum fuit supra in *tit. de excomm. ad form.* 42. ideoque applicando activa passivis, ac ibi dicta recurre.

De excommunic. contenta in Extravag. Pauli II. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienand.

EXCOM. VI.

SUMMARIUM.

1 *Referuntur verba* Extravag. ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.
2 *Censura* Extravag. ambitiosæ, *non effugitur prætextu non usus.*
3 *Dictio* Si quis *masculinum, & fœmininum genus comprehendit.*
4 *Quæ dicuntur de Monachis, intelliguntur etiam de Monialibus, ubi materia aquè convenit Mulieribus Religiosis.*
5 *Moniales subsunt pœnis latis jure communi contrà Regulares, aut Ecclesiasticos, nisi expressè excipiantur.*

ADNOTATIONES.

Censura excommunic. contenta in hac extravag. fertur his verbis — *Si quis autem contra hujus nostræ prohibitionis seriem de bonis, & rebus eisdem* (idest Ecclesiarum, & Monasteriorum) *quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi, nullius omninò sint roboris, vel momenti: & tam qui alienat, quàm is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.* 1

De hac egi *par.*2. *tit.*14. *ad form.*4. ubi probatum remanet, quòd ab illius incursu non excusat prætextus, non usus extravagantis, & quòd in praxi, non absolvitur, nisi à Sede Apostolica, quamvis non sit reservata: quia hodiè alienantes non solùm incurrunt hanc excommunicationem sed etiam aliam contentam in *cap.*11. *sess.*22. *de reform. Concil. Trid.* quæ Papæ reservata est. 2

Hanc autem censuram incurrere etiam Moniales, si bona Monasterii alienent sine beneplacito, non dubitatur, tum 3

quia

quia dictio illa — *si quis* in dispositione legis contenta, masculinum, & fœmininum sexum comprehendit, Bon. *de censur. in commun. disp. 2. qu. 4. punct. 2. n. 3.* Gaballin. *ad Const. Ægid. lib. 4. cap. 55. n. 1.* cum aliis pluribus apud Barb. *dict. 373. num. 2.* etiam si materia sit odiosa, & pœnalis, Fagnan. *in c. ut filii num. 39. de fil. presbyt.* tum quia, quæ dicuntur de monachis, intelligenda sunt etiam de monialibus, ubi materia æquè convenit mulieribus Religiosis, Fagnan. *loc. cit. n. 40. & 41.* Peliz *de monial. d. c. 8. q. 18. n. 27.* Nicol. *lucubr. civil. lib. 3. tit. 1. n.* 88. tùm demum quia Moniales subsunt pœnis indefinitè latis, jure communi, contrà Regulares, aut Ecclesiasticos, nisi expressè excipiantur, ut tradunt Graff. *consil. 22. num. 2. 3. 4. de sent. excomm. par. 1.* ubi in specie de pœna excommunicationis, & aliis quos refert, & sequitur Pelizar. *d. c. 8. n. 1. & 2.* Ideoque nè Abbatissæ, & Capitula Monialium de hac censura ignorantiam allegare valeant, erunt in Synodo admonenda.

De excommunic. ferenda contenta in c. secundùm instituta ne cler. vel monac.

EXCOM. VII.

SUMMARIUM.

1 *Moniales subduntur pœnis contrà Negotiatores jure communi inflictis.*

2 *Datur formula monitionis facienda contra Moniales Negotiatrices.*

3 *Clerici, & Religiosi non solùm per se ipsos negotiari prohibentur, sed etiam per alios.*

4 *Moniales Negotiatrices, suaviter ad bonam frugem reduci debent, & ubi charitas non prodest, pœnis coercendæ sunt.*

5 *Clerici, & Moniales Moniti in Synodo cessent, & abstineant ab illicitis negotiationibus: si non pareant, possunt puniri pœna comminata absque alia monitione.*

6 *Ignorantia Constitutionis Synodalis in loco ubi fuit publicata, non est allegabilis.*

ADNOTATIONES.

DE Censuris, & pœnis infligendis contra Clericos seculares, & Regulares Negotiatores, & quibus etiam Moniales subjiciuntur, Pelizar. *d. cap. 8. n. 31.* egimus supra in *tit. de suspens. ad form.* 8. Quare si hæ vacent illicitæ negotiationi, erunt monendæ, prout ibi notavi. 1

Ad se abstinendum à negotiatione illicita, sub pœna privationis Veli, nec non vocis activæ, & passivæ, & aliis arbitrio, juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & si Negotiatrix sit Abbatissa, erit admonenda sub pœna *suspensionis, & depositionis ab Officio*. Quòd si monitæ ab illicita negotiatione non desistant, erunt gradatim puniendæ, scilicet, primo loco, voce; secundo loco, velo, & Eucharistiæ perceptione; & tertio loco etiam excommunicandæ: & hoc non solum quando per se ipsas negotiantur; sed etiam quando hoc faciunt per alios, quia Clericis, & Religiosis prohibetur, ut nec per alios possint negotiari, ut colligitur ex *cap. consequens dist.* 88. quem perpendi loco suprà citato, ut advertit etiam, contrariis rejectis, Passerin. *de stat. hom. tom. 2. quæst. 187. ar. 2. num.* 210. ubi firmat, culpam incurrere Religiosum, qui negotiatur per alium, & in eo habere locum pœnas, quæ in Negotiatorem contumacem latæ sunt per sacros canones. 2 3

Antequam tamen Moniales negotiatrices juridicè puniantur, adhibenda erunt remedia suaviora, idest hortationes, & monita Patrum Spiritualium, & si ad cor redire velint, & peccati veniam humiliter exposcant, Ordinarius paternum aperiat sinum, viamque ad pœnitentiam sternat faciliorem: at ubi charitas Pastoralis non prodest, non parcat abscissio, ut monet Leo Papa *in cap. illud sanè 24. quæst.* 3. 4

Providè igitur Ordinarius agendo, moneat in Synodo tam Clericos, quàm Moniales, ut abstineant ab exercitiis, & negotiationibus illicitis sub pœna suspensionis à Divinis, & privationis vocis activæ, & passivæ respectivè, & aliis arbitrio; tale enim statutum in hac deli- 5

ctâ specie, habet vim trinæ monitionis, ut probant relati à Passerin. *de stat. hom. to.2. qu.187. art. 2.nu.224. verf. Prælatus enim*: ideoque si Synodo non pareant, posset absque alia monitione contra delinquentes procedere, & eos punire, cùm ignorantia Synodalis statuti non sit allegabilis, dum in loco fuerit publicatum, Graff. *decis. aur. par.1. lib.4. cap.9. num.15.* Tusch. *litt. I. concl.20. num.22.*

De excommunic. contenta in cap. si quis suadente Diabolo 17. quæst. 4.

EXCOMMUN. VIII.

SUMMARIUM.

1 *Moniales se invicem, vel Conversas, vel Clericos percutientes, censuram Canonis, si quis suadente 17. quæst. 4. incurrunt.*

2 *Moniales incursa in censuram d. canonis, ab Episcopo absolvuntur, quamvis percussio sit enormis.*

3 *Moniales, quæ passa est se violari, si procuret abortum, an censuram canonis, si quis suadente incurrat, ostenditur, & num.5.*

4 *Clericus, qui animo irato, & injuriosè percutit se ipsum dict. censuram incurrit.*

ADNOTATIONES.

1 De hac censura actum fuit suprà in *tit. de excomm. ad form.1.* in quam moniales se invicem, vel Conversas, aut Clericos percutientes incurrunt: quia sub nomine Monachi comprehenduntur ad hunc effectum omnes Religiosi utriusque sexus, etiamsi adhuc sint Novitii, *c. non est de sent. excom. & c. Religioso 21. §. Quamvis eod. tit. in 6.* Bellett. *disq. cleric. par.1. de favor. cler. can. §.1. num.31. & 35.* Pithing. *in jus can. lib.5. tit.39. num.49. & 50.* possunt tamen præmissis salutaribus
2 pœnitentiis magis, & minùs gravibus juxta percussionis qualitatem, ab Episcopo absolvi, etiamsi percussio esset enormis, *c. de monialibus 33. de sent. excomm.* Bellet. *loco cit. §. 3. num. 4.* ubi facultatem hanc ampliat ad Moniales exemptas.

Dubium hîc oriri potest, scilicet, an 3
Monialis, quæ se violari passa est, & postea potione pharmaci, aut scissione venæ, procurat proprium concepti fœtus abortum, in excommunicationem hujus canonis incidat? Pelizar. super dubium, hoc refert in *d. cap.8. num.34. verf. addo* sententiam *Cajetani* putantis, non incurrere, & aliorum DD. qui contrariam sententiam affirmativam sustinent, quam ipse vocat probabiliorem. Ego autem teneo, quòd opinio *Cajetani* possit sustineri: quia licèt Clericus, qui animo irato, 4
& injuriosè percutit se ipsum, hanc excommunicationem incurrat, ut de magis communi volunt Barbos. *in c. contingit 36. de sentent. excomm.* Bellet. *disquis. cler. de fav. cler. can. §.1. num.14.* Bonac. *de censur. in commun. disput.2. quæst.4. punct.2. num.7.* adhuc tamen in isto casu talis manuum in se ipsam injectio, non videtur temeraria, & injuriosa, cùm non proveniat ex ira, vel tedio vitæ, ut requirunt DD. citati, sed sit ad defensionem proprii honoris, ad vitandam infamiam. Quare sicuti pro defensione vitæ, licitum est clericum aggressorem repercutere, & etiam occidere sine incursu excommunicationis, ut suprà suo loco probatum fuit: ita ad tuendum honorem, qui est defendendus sicut vita, ut ait Medic. *tom.2. tract. de Opusc. opusc.3. num. 19.* poterit Monialis venam scindere, & fœtum etiam animatum, qui honorem vult tollere, interficere absque excommunicationis hujus canonis incursu (quidquid sit de peccato, quod certum est incurri: & quidquid sit an aliam Censuram contentam in Bulla Sixti V.87. incurrat, de qua affirmat Graff. *decis. aur. par.1. lib.5. cap.63. num.18.*) quia infamia propria in hac re gravi æquiparatur morti, & præponitur cuicumque præcepto juris positivi. Medic. *ibid. num. 19. & de regular. jur. par.2. reg.1. num.50.* & in puncto Nicol. *lucubr. can. lib.5. tit.39. num.153. limit.22.*

De

De excommun. contenta in Bulla Pii V. §.8. Decori Bullar. tom. 2. pag. 185.

EXCOM. IX.

SUMMARIUM.

1 *Moniales egredientes clausuram injustè, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt.*

2 *Qui recipiunt, & committantur Moniales egressas, an, & quando excusantur ab incursu censurarum, ostenditur.*

3 *Publica egressio Monialium à clausura à solo Papa, occulta verò ab Episcopo absolvitur.*

4 *Ordinarii locorum in quibus aliis casibus prater expressos in Bulla Pii V. concedere possint licentiam egressus à clausura, ostenditur.*

ADNOTATIONES.

1 MOniales indebitè egredientes Clausuram proprii Monasterii, non solùm ipso facto absque alia Judicis declaratione incurrunt excommunicationem Papæ reservatam in hac Constitutione, sed etiam ejus vigore, remanent privatæ Dignitatibus, Officiis, & administrationibus, quæ anteà obtinebant, & fiunt inhabiles ad obtinenda; quinimmò iisdem pœnis subjiciuntur Episcopi, & alii Prælati Regulares, qui sine justa causa, ibi expres-
2 sa, dant licentiam Monialibus exeundi, necnon ii, qui Moniales injustè egressas comitantur, aut recipiunt, quamvis quo ad hos Bonac. *de clausur. quæst.* 1. *punct.* 4. *num.*5. teneat, quòd hanc censuram non incurrant, si causa urbanitatis, vel amicitiæ, vel honoris, vel consanguinitatis, Monialem illicitè egressam, vel recipiunt, vel comitantur, dummodò illius delicto non faveant, & Bonac. sequitur Pelizar. *de Monial. cap.*5. *sect.*2. *num.* 76. & favet quodammodo Donat. *prax. rer. regul. tom.*4. *tract.*4. *quæst.* 8. *num.* 13. ubi sic ait: *tamen excipiuntur personæ, quæ illas recipiunt, ob urgentem necessitatem, vel comitantur ad bonum finem, nempè, ut earum honori, & castitati consulant, aut hortentur redire, quia sic recipientes non peccant, nec dicuntur cooperari peccato prædictarum, &c. Nam quamvis Hæreticorum receptores, & fautores sint excommunicati, excommunicatione Bullæ Cœnæ, excipiuntur tamen, qui hæreticos recipiunt non ut hæreticos, sed ut amicos, vel cognatos, aut ut egentes vitæ subsidiis, ut mirificè dicit Cajetan. &c. quod si habet locum in peccato hæresis, quòd extat peccatorum omnium gravissimum, quanto magis debet procedere in casu de quo agitur, &c.* quamquam Navar. *in Commentar. de regular. num.*51. illos tantùm excuset, qui illas reciperent, aut comitarentur in extrema vel gravi necessitate.

Quando violatio Clausuræ, sivè egressio Monialium est publica, nemo præter Papam, vel habentem ab eo facultatem ab hac excommunicatione absolvere potest, Bonac. *loco cit. punct.*5. *num.*1. si verò egressio esset occulta, Episcopus vigore facultatis sibi à Conc. Trid. *sess.*24. *cap.* 6. tributæ posset absolvere, Donat. *tom.* 4. *tract.*4. *d. quæst.*8. *num.*7. ubi dat concordantes Fagnan. tamen *in cap. dilectus de temp. ordinat. num.*32. *&* 33. testatur, Sac. Congreg. declarasse hanc facultatem Episcopo fuisse ablatam, etiam in casu occulto, & in *cap. quoniam num.*30. *de constit.* & idem tenet Gallemart. *collect. in Concil. cap.*6. *sess.*24. *de reform. num.*7. *ver. fin.* Passerin. *de elect. cap.*26. *num.* 45. 3

An autem licentia egressus possit Monialibus ab Ordinario concedi, non solùm in casibus in hac Constitut. expressis, 4
scilicet, magni incendii, lepræ, aut Epidemiæ, sed etiam aliis casibus, in quibus militat eadem ratio; jam dixi *par.*1. *tit.*7. *ad form.*1. *num.*4. *&* *par.*2. *tit.*15. *ad form.* 15. *num.* 15. ubi ex responsione Sac. Congreg. Episcop. & Regular. ostenditur, quòd sub morbo, & nomine Epidemiæ intelligi debet alius quicumque morbus popularis contagiosus. Quòd autem possit licentia ab Ordinario justè concedi in casu ingruentis belli, si justè timeatur de communi bono Sanctimonialium, vel ingentis alluvionis, tenet Donat. *loco cit. tom.*4. *tract.*4. *quæst.*2. *num.* 11. à quo non dissentit Fagnan. *in cap. recolentes num.*54. *de stat. Monach.* ubi sic inquit.

In primo casu dumtaxat Bulla Urb.IV. non corrigitur per d.Bullam Pii V. videlicet quando si superveniret inevitabilis, & periculosa necessitas, sicut exustionis ignis (qui casus est hodie exceptus in Extravag. Pii V.) & incursus hostilis, & consimilis: Quod intellige dummodò necessitas sit extrema, & egrediantur saltem authoritate Episcopi, si ulteriorem dilationem res non patiatur; quid enim si Monasterium aquarum inundatione mergeretur, aut irreparabilis totius Monasterii ruina proxima immineret; expectanda nè esset licentia ab Urbe; an potiùs succurrendum Monialibus pereuntibus? Ad hoc cap. exiit, qui seminat, §. Porrò de verb. signif. lib.6. ubi -- Nec ipsis fratribus jure poli in extreme necessitatis articulo ad providendum sustentationi natura via omnibus extrema necessitate detentis concessa, precluditur, cùm ab omni lege extrema necessitas sit exempta: sed extra hunc casum, translatio monialium ab uno, ad aliud Monasterium fieri non potest, nisi authoritate Apostolica. Hac Fagnan.

De excommun. contenta in cap. indemnitatibus, §. Postremò de elect. in 6.

EXCOM. X.

SUMMARIUM.

1 *Qui præsident electioni Monialium, tanquam Officiales, si non abstinent ab eis, ex quibus discordia oriri solent excommunicationem incurrunt.*

ADNOTATIONES.

1 Mulieres Religiosæ, quæ Clausuram non servant, si vocatæ ad diligendas Moniales in Electionibus, non abstinent ab eis, ex quibus discordiæ oriri, vel otræ nutriri possunt circa ipsas electiones, excommunicationem incurrunt eo ipso, ut notat *glos. marginalis in d. §.Postremo*, Bonac. *de censur.extr.bull. can.disp.2.qu.2. pun.5.n.4.* Et hinc est, quòd alii vocati ad hortandum, si oppositum faciant, non incurrunt; quia textus intelligitur de his, qui præsident electioni, tanquam officiales illius, nimirùm ut Scrutatores, Notarii vel testes, ut contra Bonac. loco citato tenet Passerin. *de elect. cap.40. num.29.*

De Suspensionibus.

§. II.

De suspensione contenta in Extravag. 1. de simon.

SUSP. I.

SUMMARIUM.

1 *Capitulum Monialium agens contra dispositionem Extravag.1.de simon. incurrit suspensionem eo ipso ab omni actu capitulari communi.*

ADNOTATIONES.

1 Diximus supra in tit. præcedenti §.1. quòd Moniales particulares exigentes, & recipientes ab ingredientibus Religionem directè, vel indirectè, prandia, pecunias, jocalia, aut alia etiam ad usum pium deputata, incurrunt excommunicationem contentam in hac extravaganti, modò dico, quòd Capitulum ipsarum Monialium agens contra dispositionem ejusdem Constitutionis, suspensionem impropriè dictam, hoc est privationem (quæ est reservata) ab omni actu, & officio Capitulari communi, & quod administrationem Ecclesiasticam requirit, eo ipso incurrit, prout tradit Barbos. *in dict. extravag. num.8.* An autem talis pœna hodie vigeat, & incurratur, faciunt ad hoc, quæ ibidem dicta sunt de excommunicatione.

De

De suspensione contenta in cap. 17. sess. 25. de regular. Concil. Tridentino.

SUSP. II.

SUMMARIUM.

1 *Abbatissa tenetur certiorare Episcopum per mensem antè de professione emittenda Novitiæ, aliàs suspensionem ab officio incurrit, quamvis sit exempta, & aliis pœnis puniri potest.*
Abbatissa, quæ consensum præstat depositis dotium fictis; suspendi potest ab officio ibi.
Episcopus ex causa, potest pœnas canonum augere ibi.
2 *Certioratio debet fieri Episcopo, non autem ejus Vicario, nisi sit absens, vel hoc ignoranter fiat & num. 3.*
Vicarius generalis Episcopi, non potest explorare voluntatem Puellarum, quæ ad habitum, vel professionem admittuntur, nisi Episcopo impedito vel absente ibid.
3 *Vicarius non potest explere ea, quæ sunt commissa Ordinario per nomen appellativum* Episcopi.
4 *Electio Abbatissæ tempore Sedis vacantis, notificanda est Vicario Capituli.*
5 *Vicarius Capituli longè excellit Vicarium Episcopi.*

ADNOTATIONES.

1 Abbatissa, sive Priorissa, sivè Præfecta Monasterii Monialium, tenetur per mensem antè certiorem facere Episcopum, de professione emittenda à Novitiis; quòd si non fecerit, quamdiù Episcopo videbitur suspensionem ab officio incurrit, & ex dispositione Concilii in *d.c.* 17. Quare ad officium Ordinarii pertinet de hoc admonere, non solùm Abbatissas Monasteriorum sibi subjectorum, sed etiam exemptorum; & Regularibus subjectorum, prout monui *p.2.tit.13.ad form.* 5. quæ si sua monita spernerent, & Virgines ad habitum, & Novitias ad professionem admitterent eo non certiorato, censuris, & aliis juris remediis, non tantùm Abbatissas exemptas; sed & eorum Superiores posset coercere, non obstantibus exemptionibus, & privilegiis, Barbos. *in sum. decis. Apostolic. collect.* 5. *num.* 23. Gallemart. *collect. in Concil. in d. cap.* 28. *sess.* 25. *de regular. num.* 10. *circa fin.* & probant Decreta à me *d. par.* 2. *loco citato num.* 11. allegata. Hanc suspensionem (inhærendo Decretis generalibus S.Cong. Episc. & regul. quæ prohibent in receptione Novitiæ ad habitum, fieri depositum Dotis verbale, seù confessionatum) posset Episcopus extendere ad Abbatissas, quæ scienter præstant præsentiam, & consensum hujusmodi depositis fictis, non realibus, & effectivis, *c. fin. de transact.* potest enim Episcopus canonem adjuvando, pœnam adjungere *glos. in clem. ne Romani de elect.* Fagnan. *in cap. irrefragabili* §. *Cæterum num.* 11. *de offic. ordin.* Decreta autem id prohibentia referuntur à Nicol. *in Flosc. in verb. depositum.*

Quid si Abbatissæ, & Superiorissæ exemptæ, non Episcopum in Diœcesi præsentem, sed ejus Vicarium generalem certiorarent, numquid Concilio satisfacerent? Et videtur dicendum, quòd non: quia Concilium Episcopum nominatim; non autem Ordinarium expressit, & per hoc videtur in exploratione voluntatis professuræ illius industriam elegisse, & ideò Vicarius Generalis nec cum speciali mandato potest explorationem voluntatis Puellæ habitum regularem suscipere aut professionem emittere volentis facere, nisi Episcopo impedito, vel absente, ut jam pluribus auctoritatibus allegatis probavi *p.1. tit. ad form.* 1. *num.* 46. quibus nunc addo Barbos. *alleg.* 54. *num.* 88. & *alleg.* 100. *num.* 8. Pelizar. *de monial. cap.* 3. *num.* 2. Ventrigl. *in prax. p.2. adnot.* 14. §. 1. *num.* 53. quidquid dicat sine auctoritate in contrarium Ciarl. *contr.* 194. *num.* 10. & 20. 2

Imò etsi Vicarius veniat appellatione Ordinarii: non tamen potest explere ea, quæ non veniunt sub generali mandato, sed indigent speciali, ut dixit Rot. coram Coccin. *decis.* 608. *num.* 3. & sic multò minùs poterit exequi ea sine mandato, quæ 3

commissa sunt Ordinario per nomen appellativum *Episcopi*, ut advertit Biss. *hierurg. lit. R. n.*63. §.2. Fateor tamen, quòd si Abbatissa, sive Superior exemptus hoc non faceret de industria, sed ex ignorantia, & bona fide, sine dolo, & fraude, essent excusandi: sicut si Episcopus esset extrà Diœcesim; non solùm possent, sed tenerentur denunciare electionem Abbatissæ Vic. Generalis, Pasqualig. *ad contr. de Franc. par.*1. *num.*728. *in fin.* Passerin. *de elect. cap.*40. *num.*15. ubi ampliat hoc faciendum esse, etiam tempore Sedis vacantis, & Vicario Capituli notificandam, quia longè excellit Vicarium Episcopi, Graff. *decis. aur. p.*2. *additam ad p.* 2. *cap.*10. *num.*5. Card. de Luc. *de canonic. disc.*33. *num.*6.

4

*De Suspensione contenta in Clem.*1. *de reb. Eccles. non alienat.*

SUSP. III.

SUMMARIUM.

1 *Abbatissa concedens alicui ad tempus jura, vel bona Monasterii, suspensionem ab officio incurrit eo ipso, nisi necessitas illam excuset.*

2 *Suspensus ab officio à jure, intelligitur suspensus non tantùm ab officio ordinis, sed etiam jurisdictionis.*

ADNOTATIONES.

1 ABbatissa, sivè Prælata Monasterii Monialium concedens alicui ad vitam, seù ad certum tempus jura, vel bona Monasterii, præter pœnas extravag. *Ambitiosæ*, vigore hujus Clementinæ suspensionem ab officio, ipso facto incurrit; nisi necessitas, aut evidens utilitas Monasterii, & consensus Capituli Monialium eam excusaret. Nam licèt Clementina loquatur de Religiosis viris, tamen cùm prohibitio sit generalis ibi — *ne quis Religiosus:* comprehendit, tam Superiores mares, quàm fœminas, per ea, quæ jam diximus suprà, præsertim cùm

2 materia, quæ sub tali pœna prohibetur, sit communis etiam Monialibus, & ne respectu fœminæ censura suspensionis ab officio in Clementina inflicta sit inutilis, debet nomine officii intelligi non tantùm officium ordinis (quod non potest in ea cadere) quàm jurisdictionis, ut tradunt Bonac. *de suspens. disp.*3. *punct.*5. §.4. *num.* 5. *& tom.*3. *de susp. in particul. disp.*3. *qu.* 4. *punct.*15. *num.*8. Pelizar. *de monial. cap.* 8. *quæst.*29. *num.*37.

De suspensione contenta in cap. non solùm, & cap. constitutionem de regular. in 6.

SUSP. IV.

SUMMARIUM.

1 *Regulares mendicantes, tam mares; quàm fœminæ, admittentes aliquem ad professionem antè completum annum probationis, à receptione aliorum sunt ipso jure suspensi, & nu.*2.

3 *Concilium Trid. pœnas à jure statutas non tollit.*

Episcopus Moniales in hanc suspensionem incursas absolvit ibid.

4 *Præcedentia inter Moniales, quomodò sit regulanda, ostenditur.*

ADNOTATIONES.

REgulares mendicantes, qui aliquem antè completum annum probationis ad professionem recipiunt, à receptione professionis aliorum sunt ipso jure suspensi, aliis pœnis puniendi, prout statuitur in *d. c. non solùm;* Constitutio extensa ad omnes ordines mendicantes in *d. c. constitutionem*, comprehendit etiam Moniales, ut volunt Bonacin. *de susp. in partic. disp.*3. *quæst.*8. *punct.*5. *num.*13. Pelizar. *d. cap.*8. *num.*38. Quare si moniales horum ordinum aliquam Novitiam antè annum completum probationis scienter ad professionem reciperent, tàm Capitulum, quàm omnes Moniales particulares, ipso facto à receptione aliarum Mulierum ad professionem essent suspensæ; & si factum esset præsumptuosum, possent, imò deberent aliqua alia pœna puniri, ut in textu disponitur ibi — *quo si fortè contra hanc nostram prohibitionem quemquam recipere præ-*

1

2

præsumpseritis, decernimus eum, qui taliter receptus fuerit nullatenus esse vestro Ordini allegatum, vosque receptione quorumlibet ad professionem ejusdem Ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœnæ subjiciendos.

3 Hæc autem pœna suspensionis à receptione aliorum, ablata non fuit à Concil. Trid. *sess.*25. *c.*5. ubi professio antè annum probationis emissa irritatur, quia Concilium alias pœnas à jure statutas non tollit; & d. text. in *d. cap. non solùm*, non respicit tantùm validitatem actus, quàm factum, ut advertit Bonac. *loc. cit. num.* 19. potest tamen Episcopus, ab hac suspensione Moniales subditas absolvere, & ad actus receptionis reintegrare, Bonac. *ibid. num.* 18.

4 Et hìc nota, quòd præcedentia inter Moniales, non regulatur à die suscepti habitus, sed à die validæ professionis, quatenus autem duæ insimul eodem instanti professionem emitterent, quæ priùs ad habitum admissa fuit præcedere debet, & si eodem tempore ambæ ad habitum admissæ fuissent, data etiam professionis paritate, quæ priùs acceptata fuit præcedet, *Sacr. Congreg. Episcop. in Patavina* 1608. *& in Nolana* 26. *Junii* 1615. *& Sacr. Congreg. Conc.* 13. *Martii* 1648.

De suspensione contenta in Bulla Gregor. XIII. Exposcit, Bullar. tom. 2. pag. 463.

SUSP. V.

SUMMARIUM.

1 *Abbatissatus officium est triennale.*
2 *Episcopus non potest prorogare gubernium Abbatissæ, neque sub alio nomine donec nova Abbatissa eligatur, & rejicitur* Pasqual.
3 *Abbatissatus officium potest esse annale, vel biennale, & tunc Abbatissa reelegi potest, donec triennium compleatur.*
4 *Bulla Gregorii XIII. non habet locum in electione Abbatissæ, quæ fit per institutionem, præsentationem, seu nominationem, neque extrà Italiam, & num.* 5.
6 *An Constitutio Gregorii XIII. sit servanda in Conservatoriis, & aliis Collegiis Virginum non habentibus clausuram, examinatur.*
7 *Ordinarius dispensat, ut Superiorissa Conservatorii possit reelegi ad aliud triennium.*

ADNOTATIONES.

Abbatissæ, sivè Monasteriorum Monialium Præfectæ, quæ olim in Italia erant perpetuæ, hodiè vigore hujus Constitutionis sunt triennales, adeò ut statim expirato triennio; remaneant ab officio suspensæ, & omni prorsus careant auctoritate, & nisi transacto alio triennio reelegi non possint, sub pœna nullitatis, & irritationis. 1

Hoc gubernii triennium, Episcopus non potest prorogare, *Sacr. Congreg. Episcop. in Adrien.* 15. *Februarii* 1615. neque Abbatissam post finitum gubernium, sub alio nomine Monasterio præficere, donec nova Abbatissa eligatur, ut dixi *pas.*1. *tit.* 11. *ad form.*22. *num.* 11. quia ita providendo faceret contra Bullam, in qua sic dicitur — *elapso triennio suis officiis perfunctæ præesse desinant (ac à regimine, & administratione Monasterii per triennium à die finitæ administrationis abstineant, &c. Quòd si secus à quoquam quavis auctoritate fuerit attentatum, electionem, & præfectionem hujusmodi, ac omnia, & singula, quæ indè sequentur, irrita, nulla, & inania fore &c.* sed donec nova Abbatissa eligatur, præsidentia datur Seniori, ut probant Decreta in *d. par.*1. *allegata*, Donat. *prax. tom.*4. *tract.*7. *quæst.*27. *nu.* 3. quidquid dicat in contrarium Pasqual. *ad contr. de Franc p.*1. *num.*675. 2

Hæc autem Constitutio prohibet gubernium Abbatissarum protrahi ultra triennium: non tamen, quòd non possint esse annales, vel biennales juxta Religionum statuta, Gavant. *manual. Episc. verb. monialium official. electio nu.*22. Tamb. *de jur. Abbatiss. disp.*30. *qu.*1. *n.*10. Pelizar. *de Monial. cap.*7. *n.*46. quæ poterunt post annum, vel post biennium reelegi, quousque gubernium triennale compleant, ut vult Pasqualig. *ad Lauret. de Franc. contr. p.*1. *num.*677. 3

4 Item non habet locum in electione Abbatissæ, quæ fit per institutionem, præsentationem, sive nominationem, quia, qui ex privilegio, aut ex lege fundationis Monasterii, hanc facultatem habet, poterit eam perpetuò, vel ad tempus longius præsentare, etiam in Italia, Barbos. *de jur. Eccles. lib. 1. cap. 46. num.* 37. Donat. *prax. rer. reg. tom. 4. tract. 7. quæst. 23. num.* Card. de Luc. *supra Conc. dis. 37. num.* 20.

5 Neque locum obtinet extra Italiam, nec minùs in Conservatoriis, & Domibus piis virginum, & Mulierum collegialiter viventium, in quibus clausura non servatur, ut respondit Navar. *cons. 7. de stat. monac. per tot.* ubi loquitur de Ven. Domo Oblatarum Turris speculorum Urbis.

6 Verumtamen, licèt sententia Navarri, inspecto Constitutionis tenore vera sit, ex quo in ea strictè de Monialibus S. Benedicti, Cisterciensium, Carthusiensium, & aliorum ordinum, sermo sit: tamen cùm in *cap. indemnitatibus* §. *Supradicta de elect. in* 6. dicatur, quòd quæ statuta sunt ibi circa electionem Abbatissæ, & Priorissæ Monialium, servari debeant etiam in Domibus & Collegiis Mulierum, & oblatarum in quibus vota solemnia religionis non emittuntur, ut ibi -- *supradicta siquidem, nedum in Monasteriis, in quibus sunt Moniales viventes sub aliqua ex religionibus approbatis: sed etiam in illis ubi sunt juxta quarundam Provinciarum consuetudinem Mulieres, quæ nec propriis renunciant, nec professionem faciunt regularem, sed vivunt ut in Sæcularibus Ecclesiis Canonici sæculares volumus per omnia observari*: certum videtur quòd nisi statutum fundationis obstet, vigore dispositionis juris d. Constitutio ad Congregationes Mulierum Oblatarum, sive Tertiariarum sit extendenda, & in earum electionibus observanda, prout jam declaravit *S. Cong. Episc.* ut testantur Pasqualig. *loco supra citato num.* 761. Nicol. *in flosc. verb. Conservatorium num.* 3. & pro indubitato de jure tenet Passer. *de elect. cap. 40. num.* 30. At in his poterit Ordinarius dispensare, ut Superiorissa valeat confirmari, & reelegi ad aliud triennium, Nicol. *loco citato*.

De suspensione contenta in Constit. Greg. XV. Inscrutabili. Bullar. tom. 4.

SUSP. VI.

SUMMARIUM.

1 *Electio Abbatissæ in Monasteriis Regularibus subjectis, si fiat sine præsidentia Episcopi, an, & quando sit valida, vel invalida, ostenditur. & num. 2. & 3.*

Superiores Regulares, qui ad electionem Abbatissæ processerunt, non expectato Episcopo, possunt puniri, ibi.

4 *Datur formula declarationis animi Episcopi, super præsidentia electionis Abbatissarum exemptarum.*

5 *Constitutio Synodalis in rebus specialiter Ordinario commissis, ligat etiam Regulares.*

6 *Electio Abbatissæ per vota non secreta, nulla est, quamvis hoc contingat ex ignorantia, & adducitur pro limitatione doctrina Sperelli.*

7 *Electio Abbatissæ nulla est, quando electa non habet requisita Concilii vel est corrupta, illegitimè nata, excommunicata, suspensa, vel interdicta, quamvis tolerata.*

8 *Electio facta per scrutinium auriculare, dicitur Secreta.*

9 *Electio facta coram simplicibus testibus, & non coram scrutatoribus est nulla.*

Scrutatores obligantur ad secretum. ibi.

10 *Electio Abbatissæ in Monasteriis Regularibus subjectis, prorogari, fieri, & confirmari non debet sine consensu Episcopi.*

Abbatissa canonicè electa, si officium sibi impositum acceptare recusat, potest censuris cogi ad acceptandum ibid.

ADNOTATIONES.

HÆC Constitutio fuit à me data per extensum cum declarationibus 1

bus nonnullorum dubiorum desuper emanatis, *par.1. in Appendic. pag.*305. Præter autem ibi notata oritur, quòd postquam Episcopus declaraverit velle uti potestate hic sibi tributa; Regulares non possint in Monasteriis Monialium ipsis subjectis Abbatissas, seù Præfectas eligere, nisi priùs ipse, de tempore electionis fuerit monitus, ideoque si Abbatissa eligeretur absque præsentia, & assistentia Episcopi, sive ejus delegati, tamquam nulliter electa, remaneret suspensa, si credimus Nicolio *in flosc.verb.Abbatissa n.*4. quem bona fide sequitur Lantusc.*theatr. regular. eod. verb.num.*8. & eos non reprobat Pignatell. *consult.*120. *num.*4. *tom.*8.

2 At si veritatem inquirimus, debemus dicere, quòd electio Abbatissæ in Monasteriis Regularibus subjectis taliter facta, sit quidem valida, sed possit ab Episcopo spreto, nulla (si velit) declarari, ut meliùs observat Passer. *de elect.cap.*40. *num.* 20. Superiores autem, qui Episcopo non monito, aut tempore determinato non

3 expectato, ad electionem processerunt, possunt puniri, ut declaravit S.Congreg. Concilii, in *Bullar. tom.*4. *part.*102. & hoc dicit Decretum, quod malè pro se allegat Nicolius, ut videri potest in meo citato codice in *Appendic. pag.*308. & hoc quoque firmant Barbos. *de jur. Eccles. lib.*1. *cap.*45. *num.*34. Gavant.*in manual. verb.Monialium officiales num.*13.Donat. *prax. tom.*4. *tract.*7. *quæst.* 10. *num.*3. & alii ab eis allegati. Cæterùm in hac Bulla nullum adest verbum, seù clausula, ex quo, seù qua valeat inferri ad nullita-

4 tem electionis Abbatissæ factæ sine præsidentia Episcopi, sed solùm datur ei potestas facultativa per se vel per alium præsidendi; si velit, & ideò requiritur animi declaratio, quæ modo sequenti vel simili concipi poterit.

Animi declaratio in Synodo facienda.

„ Volentes nos uti facultate nobis in „ hac parte attributa à Const. San. mem. „ Gregor.XV. *Inscrutabili*, interessendi, „ & præsidendi electionibus Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, „ vel Præpositarum Monasteriorum Monialium, jurisdictioni Superiorum Regularium subjectarum: hac nostra Constitutione declaramus velle per nos ipsos, vel per alium à nobis delegandum „ interesse, & præsidere quoties casus „ eligendi evenerit, electioni Abbatissarum, & Superiorissarum Monasteriorum Monialium, gubernio Regularium exemptorum subjectarum hujus „ nostræ Diœcesis, idcircò monemus,& „ interpellamus Superiores Regulares „ omnes pro tempore, nè ad electionem „ dd.Abbatissarum, & Superiorissarum „ quocumque nomine appellentur, deveniant, nisi priùs nobis, & successoribus nostris de electionis significato, „ sub pœnis censurarum, & aliis arbitrio.

Hæc animi declaratio, si fiat in Synodo) quæ in re specialiter Ordinario commissa, obligat, & ligat etiam Regulares, ut tradunt Ricc. *in prax. par.*4. *resol.*380. *num.*5. Donat.*prax. rer.regul. tom.*1. *par.* 2. *tract.* 13. *quæst.* 25. *num.*6.) habet vim specialis monitionis: si verò in Synodo factam fuisse non reperiatur, alio modo legitimo Superioribus Regularium notificanda erit. 5

Nulla autem esset Abbatissæ electio, tam in Monasteriis Regularibus subjectis, 6 quàm in aliis, si eligeretur per vota non secreta, quamvis hoc contingeret ex ignorantia: in qua nullitate, nec Superiores, Regulares, nec Episcopus dispensat Barbos,*de jur.Eccles.lib.*1. *cap.*165. *num.*6.Gavant.*in manual.verb.Monialium Officiales in addit. num.*1. Passerin. *de elect. cap.*40. *num.*12.& alii quos cumulat Sperell.*decis.* 161.*n.*1.*& seq per tot.*qui tamen in sequenti *dec.*162.post longam dissertationem *num.* 67. per doctrinam *Innoc.in cap.quod sicut* 27. *sub num.*8. *in fin.de elect.* concludit, quòd electio nulla ob non servatas solemnitates juris positivi ex eligentium, & electæ inscitia, teneat in foro conscientiæ, adeò ut electa non teneatur ultroneè dimittere Prælaturam, & quòd possint in officio annuente Superiore remanere, ubi nulla fraus, vel dolus intercessit, & nulla ad sit Monialium oppositio,nec contradictio, prout accidit in casu, super quo scripsit; quæ doctrina poterit in praxi tutè sequi, dummodo in casu hoc contingeba-

li, concurrant circumstantiæ hic supra mox expressæ, & recensitæ.

7 Nulla quoque esset electio Superiorissæ, si fieret de Moniali non habente qualitates, & requisita Concilii Trid. vel esset illegitimè nata, vel corrupta (de quibus dicam infrà) vel excommunicata, suspensa, aut interdicta, quamvis tolerata, nam hæ omnes sunt ineligibiles, ni Papa, aut Sac. Congreg. dispenset, & nisi censura, absolutione tollatur, ut latè ostendit Passer. *de elect. cap.*40. *à num.*40. *ad* 78. Bonac. *de excomm. disp.*2. *quæst.*2. *punct.*4. *num.*1. *&* 3.

8 Electio secreta dicitur non solùm illa, quæ juxta Statuta Ordinum Monialium fit per schedulas; sed etiam illa, quæ fit per scrutinium auriculare, juxta Decretum Concilii Trid. *sess.*25. *cap.*7. *de regul.* ibi -- *is verò, qui electioni præest, claustra, Monasterii non ingrediatur, sed antè Cancellorum fenestellam, vota singularum audiat, vel accipiat*, Hoc autem secretum auriculare scrutinium, non frangitur, quando Episcopus, vel alius Superior, assumit, & adjungit sibi duos, vel tres Socios, qui Vota Monialium excipiant, ut communiter DD. tradunt, quos tacito nomine refert, & sequitur Passer. *de elect. d. cap.*40. *num.*12. Sperell. *d. decis.*161. *num.*2. Card. de Luc. *supra Conc. d. decis.*37. *nu.*10.

9 Verùm est tamen, quòd hi, quos Superiores Monialium sibi asciscunt, adhibendi sunt non tanquam simplices testes; sed tanquam Scrutatores, qui obligentur, & teneantur ad secretum; qui enim Vota audit non tanquam Scrutator, sed ut testis, potest illa manifestare, nec tenetur sigillo Scrutationis: & ideò scrutinium coram simplicibus testibus factum, tanquam non secretum nullum esset, nec posset à Superiore sanari, ut advertit Pasqual. *ad Lauret. de Franc. contr. par.*1. *num.*687. Donat. *in prax. tom.*4. *tract.*7. *quæst.*10. *num.*5. ubi quòd isti Scrutatores in electione Abbatissæ facienda à Prælato Regulari cum assistentia, & præsidentia Episcopi, sint necessarii, alioquin electio ipsa sit nulla.

Quòd si post duo scrutinia, electio Abbatissæ in Monasteriis Regularibus subjectis, non sortiatur, tunc Prælatus Regularis consulto Episcopo præsidente, terminum assignare debebit Monialibus ad concordandum: quo elapso si non concordaverint, ipse Superior, approbante tamen Episcopo, ad deputationem Abbatissæ sibi benevisæ, poterit devenire. Dixi Episcopo approbante, quia ipse præsidet tanquam auctoritatem habens, & ejus munus est electionem dirigere per modum Superioris: adeò ut electio sine ejus consensu, prorogari, fieri, & confirmari non debeat, ut benè observat Passerin. *in sæpè citato cap.*40. *num.*17. *&* 18. At si canonicè electa nollet officium sibi impositum acceptare: posset cogi etiam sub censuris ad acceptandum: nisi renuens assignaret rationabilem causam refutationis, Donat. *prax. rer. regul. tom.*2. *tract.*7. *num.*2. quia Religiosi non habent velle, nec nolle nisi dependenter à Prælatis. 10

De

De Interdicto

§. III.

De Interdicto contento in cap. Episcopor. in 6.

INTERD. I.

SUMMARIUM.

1 *Moniales admittentes in eorum Ecclesias publicè excommunicatos, vel Interdictum violantes, ipso facto ab ingressu Ecclesiæ interioris sunt interdicta, & num. 2.*

3 *Si major pars Monialium Monasterii esset culpabilis, eorum Ecclesia interdici deberet.*

4 *Moniales admittentes, & permittentes in eorum Ecclesias, inhonesta, & indecentia, vel ritus, & ceremonias contra rubricas; Interdicto puniri possunt, & num. 5.*

6 *Moniales in nocte Nativitatis Dominica, unica Missa contenta esse debent.*

Enarrantur Mysteria trium missarum, quæ celebrantur in Nativitate Domini.

7 *Omnis Sacerdos potest de jure unam missam celebrare in Nocte Nativitatis Domini.*

ADNOTATIONES.

1 DE hac censura jam vidimus supra in *titulo 3. de interdicto ad form. 1.* cui subjacent etiam Moniales, si aliquam ex actionibus prohibiram in hoc textu facerent, v. g. celebrare faciendo in eorum Ecclesia, sita in loco interdicto, aut in ea admittendo ad Divina officia publicè excommunicatos, vel interdictos: nam textus generaliter loquitur de omnibus Religiosis quantumcumque exemptis, adeoque etiam Moniales comprehendit, quæ propriè, & verè sunt Religiosæ, Bonac. *de interdict. in partic. disp. 4. quæst. 4. punct. 6. nu. 6. nu. 9.* Pelizar. *de monial. d. cap. 8. num. 40.* Quare si modo jam dicto, vel alio, interdictum generale locale, sivè Apostolica, sive Ordinaria auctoritate publicatum, violaverint, ipso facto erunt ab ingressu propriæ Ecclesiæ interioris interdictæ, quam ingredi non poterunt, ad audienda divina officia: imò neque ad orandum ut vult Pelizar. *loco mox cit. d. n. 40.* 2

Hoc tamen intelligi debet de illis Monialibus, quæ culpabiles sunt, quas Ordinarius in hanc censuram incursas denunciabit: Si autem major pars Monialium Monasterii esset culpabilis, tunc præter denunciationem incursus interdicti personalis, interdici etiam deberet specialiter illorum Ecclesia, prout dictum fuit suprà de Religiosis maribus, & hoc quamvis moniales essent jurisdictioni Regularium subjectæ, per ea, quæ ibi firmavi: possunt enim Regulares, & alii exempti cogi pœna censurarum, ad observandum interdictum in loco publicatum, ut præter ibi allegata respondit Sac. Congr. Concilii *in Indiarum 17. Decembr. 1650. lib. 10. decis. pag. 97.* 3

Possent quoque Moniales etiam exemptæ Censura interdicti personalis, vel localis specialis Ecclesiæ, ab Ordinario puniri, si permitterent, & introducerent in eorum Ecclesiis, tam tempore festivitatum, & divinorum celebratione, quàm alio tempore, indecentia: vel canerent, vel canere facerent in eis res lascivas, & inhonestas: vel ritus, & ceremonias sacras, in rubricis Missalis, & Breviarii romani præscriptas, mutarent, & confunderent: vel demum horis insolitis Missas facerent celebrare, & ab Ordinario super reformatione prædictorum monitæ, non se corrigerent, & emen- 4 5

mendarent; error enim, cui non resistitur, approbari videtur, *extravag.* 1. *Jo: XXII. ne sed. vac.* & hoc jure faciet vigore Decreti Concilii Trid. *de evitan. in celebr. miss. sess.* 22. prout ita declarasse Sac. Congreg. Concilii supra eumdem textum, refert Gallem. *ibi vers. ult. & in Vercellen.* 21. *Martii* 1643. quod decretum retuli *par.* 2. *tit.* 13. *ad form.* 1. *num.* 45. Quare
6 ne prædicta eveniant, & non committantur in Ecclesiis Monialium etiam exemptarum, in Synodo (quæ vim habet specialis monitionis) prohibenda erunt; monendique Cappellani, nè in nocte Nativitatis D.N. celebrent in Monialium Ecclesiis plusquam unicam missam circa mediam noctem, nec ibi fidelibus Eucharistiam ministrent d. hora sub pœna suspensionis, & interdicti; juxta Decretum Sac. Congreg. Rit. quod dedi *tom.* 2. *pag.* 160.

Et hic pro instructione populi est notandum, quòd tres missæ, quæ celebrantur in Nativitate Domini plura continent Mysteria.

Prima celebratur in media nocte, ad dessignandam æternam Nativitatem ex Patre, quæ Nobis occulta est.

Secunda celebratur in diluculò propter Spiritualem Nativitatem, qua Christus oritur tanquam lucifer in cordibus nostris.

Tertia celebratur hora tertia, propter temporalem visibilemque in carne Nativitatem; Graff. *decis. aur. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 40.

Item.

Prima cantatur in nocte ad repræsentandum statum illum, qui fuit ante legem quando omnes erant in tenebris: unde dicitur in Missa hæc Prophetia -- *populus qui ambulabat in tenebris.*

Secunda, quæ dicitur in aurora, repræsentat tempus sub lege veteri, in qua incipiebant homines in parte scire Christum, sed non benè.

Tertia dicitur in die, per quam designatur tempus gratiæ, scilicet præsens, unde dicitur -- *Puer natus est nobis, glos. in cap. nocte de consecr. dist.* 1.

Item.

Prima dicitur in media nocte in memoriam Christi Nativitatis.

Secunda in Aurora, in qua fuit à Pastoribus adoratus.

Tertia dicitur hora tertiæ, in memoriam manifestationis, omnibus factæ, juxta Telesphori Papæ (qui celebrationem trium missarum instituit) intentionem *cap. nocte* 48. *de consecr. dist.* 1.

Item.

Prima dicitur in nocte ad significandum, quòd Christus natus est pro illis, qui vixerunt in tenebris legis naturalis.

Secunda dicitur in diluculo ad significandum, quòd Christus natus est pro illis; qui vixerunt in lege scripta.

Tertia celebratur ad significandum, quòd Christus nascitur pro illis, qui sunt in lege Evangelica, quæ lucem clarissimam habet: unde versus:

Quarum prima tibi tempus, quo lege carebant.
Altera dat Moysen, designat tertia Christum.

De jure omnes Sacerdotes possunt dicere unam Missam in d. die Nativitatis de nocte, & alias duas post lucem, Navar. *de celebr. Missar. consil.* 1. *lib.* 3. quem sequitur Bonac. *de Sacr. Eucharist. disp.* 4. *quæst. ult. punct.* 9. *num.* 6.

De

De Irregularitatibus, seu inhabilitatibus.

§. IV.

De Irregularitate contenta in cap. fin. de fil. presbyter.

IRREGUL. I.

SUMMARIUM.

1 *Abbatissatus est Dignitas.*
2 *Monialis illegitima non potest eligi in Abbatissam, & num. 4.*
3 *Qui promovetur ad honores, debet esse de legitimo matrimonio natus.*
5 *Monialis, quæ habet in Sæculo matrem inhonestam, non debet eligi in Abbatissam.*

ADNOTATIONES.

1 Dicitur in hoc textu, quòd illegitimè nati, non promoveantur ad Dignitates sine dispensatione Apostolica, quæ prohibitio, licèt respiciat Viros promovendos ad Ordines, nihilominùs quodammodò trahitur (quamvis impropriè) etiam ad promotionem Mulierum Religiosarum, quæ eliguntur ad prælaturam Monasterii, nam Abbatissatus est Dignitas, ut habetur in *c. indemnitatibus* §. *Verum de elect. in* 6. & ideò Moniales illegitimæ sine dispensatione Apostolica ad illam eligi non possunt, & si eligantur, confirmandæ non sunt, ut monet *glos. in*
2 *d. c. indemnitatibus verb. canonica*: quia, qui promovetur ad honores, vel regimen spirituale animarum decet, quòd sit
3 de legitimo matrimonio natus, ut dicit *glos. in cap. cùm in cunctis ver. matrimonio de elect.*

Et quamquam non desint DD. qui te-
4 nent, quòd Monialis illegitima possit eligi in Abbatissam absque Papæ dispensatione, ex quo nullus canon in jure reperiatur, qui ob defectum natalium inhabilitet, & irregulares faciat Moniales ad Abbatissatum, seù Prioratum, & pœnæ non sint extendendæ, quos referunt Pelizar. *d. c.* 8. *num.* 43. Donat. *in prax. tom.* 4. *tract.* 7. *quæst.* 37. *nu.* 1. *& seqq.* & ita quoque olim tenuerit *S. Congreg. Episcop.* ut in Decretis à me relatis *par.* 1. *tit.* 11. *ad form.* 22. *nu.* 13. tamen seclusis Religionum privilegiis, verior sententia est quòd sine dispensatione non eligatur, prout auctoritate antiquorum Canonistarum aliorumve jurium, & contrariis rejectis, plenè probat Fagnan. *in c. ut filii à n.* 38. *ad nu.* 60. *de fil. presbyt.* & eam sequuntur Donat. *d. quæst.* 37. *num.* 9. *& seqq.* Lauret. de Franc. *contr. par.* 1. *nu.* 689. *ibique* Pasqual. Passerin. *de elect. d. cap.* 40. *n.* 43. ubi affirmat, quòd hæc semper fuit constans opinio S. Congr. & plura Decre- 5
tempore esset adscriptus meritissimus olim Cardinalis meus Petruccius, pro ea laboravi, & sic possum, & valeo de mente Legislatoris, de contentis in lege, magis tutiùs loqui, quàm *P. Morenus* ultramarinus; ideoque ad propugnandam veritatem, (quam omnes, & nos præcipuè, qui in Sanctuario deservimus, debemus amare, inquirere, & sequi sine interversione) subnexa Episcopis propono:

20 Agit *P. Morenus* juxtà ordinem Bullæ, de quatuor titulis Ordinandorum, nempè, de titulo Beneficii, de titulo Originis, de titulo Domicilii, & de titulo familiaritatis; & in examine primi tituli proponit secundum dubium sic -- ***An qui in aliena Diœcesi obtinuit Beneficium tenue, possit ab Episcopo talis Beneficii ad ordines promoveri, supplendo defectum altero Beneficio in eadem Diœcesi obtento***. Tertium autem dubium proponit sic -- ***Num Episcopus Beneficii, possit supplere Beneficio in aliena Diœcesi obtento***, & utrumque post plura argumenta dialectica resolvit affirmativè, nam ut ipse ait, quod non est prohibitum, est concessum, & ideò cùm id in Bulla non prohibeatur, potest Episcopus alienus titulum beneficii tenuis alio Beneficio, quamvis in aliena Diœcesi obtento, congruam supplere ad hoc, ut ea possidens efficiatur quoad ordines ejus subditus.

21 At hæc doctrina, nec ex ventre Bullæ, ne ex mente Pontificis fomentum habet: non ex Bulla, quia in ea expresè dicitur, quòd subjectio titulo Beneficii, non acquiratur, *nisi* (sunt præcisa verba) *per se sufficiat* ad congruam ordinandi sustentationem; idest sine alterius ope, ut indolem dictæ dictionis *per se* explicando docet Barbos. *dict.* 250. *numer.* 11. Undè secundùm propriam, & veram verborum significationem, excluditur in alieno Episcopo quodcumque supplementum, & non alia admitti debet interpretatio, quàm illa quæ sequitur ex proprietate verborum, ut dixit Rot. coram Arguell. *decis.* 69. *num.* 9. vel ex juris dispositione oritur, per quam plu-
22 ralitas Beneficiorum prohibetur: ideoque sicuti Clericus Beneficiatus, qui tenetur ex lege fundationis missam celebrare *per se ipsum*, non potest per alium supplere. Pac. Jordan. *elucubr. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 565. ità si non habeat Beneficium, quod ex Bulla debet esse *per se* sufficiens, ad hoc ut ordinari possit ab Episcopo non suo, aliundè supplere non poterit, nisi ille, qui hanc legem condidit, & cujus est illam interpretari, hoc fieri posse declaret. 23

Non ex mente Pontificis, qui ideò statuit, ut Beneficium, ad quod Clericus ordinatur ab Episcopo alieno sit *per se sufficiens* ad congruam sustentationem, ad hoc ut clauderetur Janua fraudibus, quæ passim committebantur, cum maxima Ecclesiasticæ disciplinæ jactura, in fictitiis, & aliis fiduciariis, ac tenuissimi redditus titulis Beneficiorum: qui finis à Papa intentus destrueretur, si Episcopus alienus, Clerico Beneficium sufficiens non habenti, posset cum alio Beneficio etiam extrà illius Diœcesim obtento, congruam supplere: nam ità aperietur via novis illicitis ordinationibus, & fraudes, quas Sedes Apostolica eliminare studuit, jure postliminii, ut priùs redirent: & propterea cùm interpretatio hujus Auctoris non conveniat nec verbis, neque menti Legislatoris, venit ab Episcopis omninò rejicienda; Rota *decis.* 336. *num.* 10. *coram Cerro*. 24

Post dubium quartum *num.* 31. prosequitur Morenus dicens: *Sed inquires, an saltem possit proprius Episcopus Petri, titulo Beneficii in aliena Diœcesi obtenti, quod tenue supponitur, ipsum promovere, supplendo illud Patrimonio. Respondeo mihi certum quòd possit. Episcopus enim proprius potest suos subditos promovere ad titulum Beneficii, etiam in aliena Diœcesi obtenti ex dictis num. 24. deindè Episcopo proprio Patrimonio supplere nullibi prohibitum est: ergo potest absolutè*.

Verùm hæc secunda doctrina venit intelligenda, non *absolutè*, ut ait *Morenus*, sed occasionaliter: nam qui ordinatur ad titulum Beneficii non sufficientis ad sustentationem, & datur patrimonium in supplementum, tunc ut Sac. Congregatio Concilii rescribere solet, fieri po- 25

Poteſt, ſi Eccleſiæ neceſſitas, aut utilitas id exigere videatur, ut patet ex declarationibus à me relatis *tom.*2. mei formularii *titulo* 13. *formula* 3. *num.*7. quod adeò verum eſt, ut Fagnan. *in cap. Episcopus num.*29. *de prebend.* non dubitaverit firmare quòd ſi Epiſcopus aliquem ordinaverit ad titulum patrimonii ſine neceſſitate Eccleſiæ, teneatur illum providere de Beneficio Eccleſiaſtico, ex eo, quia non ſervaverit formam Concilii, quamquam Clericus habeat undè vivat.

26 Titulus autem Beneficii, non dicitur validus ad effectum ſuſcipiendi ordines, niſi ſit ad victum ſufficiens, ut expreſsè determinat Concilium *Seſſ.*21. *cap.*2. *de reform.* ubi dicitur: *eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere:* quod & in jure ſtatutum habetur, ut in *cap. cum adeò de reſcript.* ibi: *ſcripſiſti nobis, quòd cùm P. Clericus in Eccleſia Modecenſi ſufficientem ſibi ſit Prabendam adeptus, &c. & gloſ.* ibi *in verb. ſufficientem* ait: *debet enim talis eſſe, quæ ſufficiat ſibi, & ſuis:* quoties enim Clericus ordinatur cum Beneficio tenui, & datur ſupplementum patrimonii, non dicitur ordinatus ad titulum Beneficii ex ſuprà deductis, & per conſequens neque ab Epiſcopo ſuo poterit quis cum ſupplemento patrimonii ad illud ordinari, niſi concurrat neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ.

Poſt dubium V. *num.*40. *Morenus* ait: *tria oportet in præſenti admonere.* 1. *quòd inter onera Beneficii, miſſæ computandæ non ſunt, &c.* 2. *quòd taxa redditunm Beneficii, debet eſſe juxta Synodales, vel morem Regionis, & Diœceſis, in qua Beneficium obtentum eſt, non autem alterius Diœceſis, licèt ſi originis, vel domicilii ordinandi.*

At ſecunda admonitio *Moreni* eſt inſubſiſtens, & erronea: nam licèt Bulla Innocentii non determinet quænam taxa ſit ſervanda quoad quantitatem redditum Beneficiorum alienorum ordinandorum, an ſcilicèt Epiſcopi ordinantis, vel potiùs originis, aut domicilii: tamen ex ſubjecta materia percipitur, quod ſit ſervanda taxa Epiſcopi propriæ originis, ſivè domicilii, non autem ordinantis, in qua ordinatus obtinuit Beneficium: aliàs Romanus, qui obtineret Beneficium redditus ſcutorum 24. in Diœceſi Eugubina, in qua, juxta taxam Synodalem, dicta ſumma eſt ſufficiens pro ordinibus ſuſcipiendis, poſſet promoveri ad ordines Sacros ab Epiſcopo Eugubino, licèt juxta taxam Romanam pro Clericis Urbis ſcut.60. requirantur, quod eſt abſurdum: quia ordinatus non ubi ordinatur alendus eſt, ſed ubi habet fixum domicilium, niſi Beneficium eſſet reſidentiale, & ità videtur declaraſſe Sacr. Congregat. Concilii in una *Ariminen. Ordinationis* 20. *Januarii* 1705. in qua cùm quidam Clericus Ariminen. obtinuiſſet Beneficium in loco Sixtini, Nullius Diœceſis, redditus ſufficientis juxtà taxam dict. loci, & cum literis dimiſſoriis Ordinarii loci Nullius promotus fuiſſet ab Epiſcopo S. Angeli in Vado, & deinde Arimini reverſus à Vicario Generali tanquam malè ordinatus contra formam Bullæ Innocentianæ ab exercitio ſuſceptorum ordinum ſuſpenſus fuiſſet, quæſitum fuit. *I. An ſuſpenſio ſuſtineatur. II. An, & quomodo eſſet concedenda abſolutio*, & ſub dicta die reſponſum fuit. *Ad I. Affirmativè. Ad II. pariter affirmativè poſtquam ſuppleverit taxam Ariminen. vel per Beneficium, vel per patrimonium.* Vera autem eſt alia propoſitio ibidem, ab Auctore firmata, ſcilicet, quòd inter onera Beneficii, miſſæ computandæ non ſunt, niſi miſſarum numerus exceſſivus ſit, nec per ſe Beneficiatus celebrare valeat prout in 1. *parte* hujus operis jam dixi. 27 28

*Et num.*41. ſubjungit *Morenus: Quibus addo IV. quòd licèt Epiſcopo alieno interdictum ſit ſupplere Patrimonio defectum fructuum Beneficii, ut illo promovere valeat, ſecus tamen ſi promotum inveniat: quare ſi Petrus alia Diœceſi Beneficium obtinuit congrua ſufficientis, eoque ad omnes ordines promotus fuit, ac poſtmodum permutare voluerit cum altero Beneficio tenui non ſufficientis Congrue, poterit alienus Epiſcopus defectum Beneficii tenuis patrimonio ſupplere, ut permutans verificare valeat, cum ſufficiente congrua manere.*

Hic

Hic quoque lapsus est *Morenus*, quia ad effugiendas fraudes, & collusiones, Beneficium, ad cujus titulum Clericus fuit ordinatus, resignari, seu permutari non potest, nisi de licentia proprii Ordinarii, ad quem pertinet privativè recognoscere, an bona permutata sint tuta, & æquivalentia ad congruam permutantis sustentationem, aliàs nulliter agit, ut probant auctoritates à me allegatæ *tomo* 1. *tit*.3. *form*.18. *num*.2. *&* 3. *pag*.70.

Sextum dubium *Morenus* sic proponit: *An Domini Episcopi promovere valeant alienos subditos titulo Cappellaniæ perpetuæ in suis Diœcesibus institutæ*: & illud resolvit affirmativè, dummodo sint sufficientis congruæ, & ex eo, quia (ut ait) Cappellaniæ collativæ perpetuæ rigorosè Beneficia dicantur.

Verumtamen hìc quoque advertendum moneo, quòd assumptum *Moreni*, tunc solùm verum erit, quoties Cappellaniæ
30 perpetuæ reperiantur erectæ auctoritate Apostolica, vel ordinaria Episcopi, de qua circumstantia *Morenus* nullum verbum facit, & tamen ad hunc effectum necessaria est, quia de iis tantùm verificatur, quòd sint Beneficia Ecclesiastica, ut tradunt *glos.in clem*.2. *de decen.verb.si beneficiorum circa fin*. Barbos. *alleg*. 57. *num*.142. *&* 143. Ricc. *collect*.562. Rot. *coram Manzan.decis*.334. *num*.1. *add. ad Buratt. decis*.1. *num*.24. cum aliis à me allegatis *tom*.1. *tit*.2. *form*.1. *num*.1. *pag*. 29. Cæterùm aliæ Cappellaniæ, quamvis
31 perpetuæ sint, & ad nominationem laicorum conferantur non sunt Beneficia, nec ad illorum titulum Clerici alieni promoveri possunt, Ricc. *collect*. 789. *not*.7. Passer. *in cap. cùm nullus de tempor. ordin.in* 6. *num*. 66. ubi hæc habet; *Pariter neque ad hunc effectum sufficiunt Cappellaniæ non collativæ etiam perpetuæ, quæ non sunt fundatæ auctoritate Episcopi, nec ab ipso erectæ in titulum Beneficii, & providentur ab hæredibus etiam laicis: ista enim non sunt propriè Beneficia juxta Navar. & ideo ex vi similis Cappellaniæ, non fit Cappellanus subditus Episcopo loci, quoad ordines ab eo suscipiendos &c.*& fusiùs hoc probavi *tom*.1. *in appendice* ubi decreta, & aliæ auctoritates allegantur, Barbosa *de jur. Eccles. lib*. 3. *cap*. 5. *num*. 20. *& seqq*.

Pergit *Morenus* ad septimum dubium sic: *An Domini Episcopi promovere valeant alienos subditos titulo Cappellaniæ collativæ vitalitiæ in suis Diœcesibus erectæ*: & illud post plura ingeniosa argumenta, resolvit affirmativè dummodò institutæ extent in suis Diœcesibus, & taxam Synodalem redditus exæquent, & pacificè possideantur, ex eo quia (ut ipse concludit) quandò Tridentinum, & canones perpetuitatem beneficii exposcunt, ut quis eo titulo promove possit, solùm ex parte beneficiati talem perpetuitatem requirant, non autem Beneficii.

At Assumptum istius Autoris à cohærentia dispositionis Bullæ Innocentianæ nimis elongat: etenim, hæc ad effectum acquirentiæ subjectionis in Episcopo alieno pro suscipiendis ordinibus, expressè requirit Beneficium Ecclesiasticum, & sic excludit titulus Cappellaniæ etiam perpetuæ non habentis requisita Beneficii,
ut ostensum fuit suprà ad sextum dubium: 32
ubi enim verba legis non conveniunt, neque ejus dispositio locum habet. Nemo autem ignorat, quòd hujusmodi Cappellaniæ vitalitiæ (quas *Morenus* vocat *Personatus*) non conferuntur in titulum pro recipiendis Sacris Ordinibus, nisi cum dispensatione Apostolica, ut praxis quotidiana tam Datariæ, quàm Sac. Congregat. Concilii nos docet, & de qua locutus fui *tom*. 2. *titulo* 13. *formul*. 3. *num*. 17.

Et quòd hæ Cappellaniæ, de quibus in specie loquitur *Morenus*, quæ sæpè fundari solent in Hispania absque aliqua Episcopi, aut alterius Superioris Ecclesiastici auctoritate, ut in illis succedant Clerici de parentela, vel alii, quos apposuerint Patroni laici, Beneficia non sint, & quòd nullus ad titulum illarum ad Sacros Ordines promoveri possit, testatur alter Auctor Hispanus, nempè
Gonzalez. *ad regul*.8. *cancellar. glos*. 5. 33
à num.200. *usque ad num*.31. inclusivè, & propterea si Clerici illarum partium

ad titulum hatum Cappellaniarum ab Episcopo alieno, tempore quo vivebat Gonzalez promoveri non poterant, multò minùs poterunt post emanatam Innocentianam, omnem alium titulum, quàm beneficii Ecclesiastici excludentem.

Neque subsistit in jure id, quod astruit probare Morenus, scilicèt, quòd perpetuitas beneficii respiciat solùm personam

34 beneficiati: nam tam ex mente *Concilii Trid.* quàm Bullæ, perpetuitas exigitur tam ex parte Beneficii, quàm Beneficiati, ut constat ex jam dictis supra, & ex Passerino *in d.cap. cùm nullus de tempor. ordin in 6. num.64.* ubi sic ait: *nihilominus oppositum asserendum est: nam cùm de ratione Beneficii sit perpetuitas cap. præcepta dist.55.* Fagnan. *in cap.ad audientiam il 2.num.98. de rescript. & propterea Beneficia temporalia, & manualia non sunt propriè Beneficia nec præstant titulum, ad quem quis ordinetur.* Undè concluditur, qui tales Cappellanias vitalitias obtinet,

35 potest ordinari non tanquam ad titulum Beneficii, sed tanquàm ad titulum patrimonii, ut dicit Ventrigl. *in prax. par.1. annot.42. §.1. num.4.*

Item Dubium VIII. proponit Morenus sic: *Utrum titulo Cappellaniæ Patronatus purè laicalis, possit quis ad ordines promoveri.* Et respondet negativè. At paulò post *num. 60.* iterùm dubium movet sic: *Sed quid si pro vita tantùm Petri instituatur, qua finita ad pristinum laicalem statum iterùm refluat*, & ita respondet: *Respondeo id sufficere, ut ab Episcopo alieno Petrus promoveri valeat*: at hæc responsio injuriam infert, & eludit Bullam, & viam sternit fraudibus: ideoque talis doctrina venit rejicienda ex eis-

36 dem rationibus suprà *in 6. & 7.* dubio deductis, & ex aliis, quæ videri possunt apud Garc. *de benef.par.1. cap.2.num.105. &* Pac.Jord. *tom.1. lib.3. tit.6. post num. 91. vers. non licet.*

37 In dubio IX. agit citatus Auctor de Præstimoniis, quæ non est dubium, quòd sint Beneficia, & quòd ad eorum titulum Clerici alieni possint promoveri, quandò illa in Diœcesi Ordinantis obtineant; dummodò tamen conferantur in titulum: si enim Præstimonia consisterent in temporalitate, non venirent nomine Beneficii, ut distinguit Paris. *de resign. lib. 2. quæst.1. num.124. & 125.* Barbos. *suprà Concil.sess.21.cap.2.num.13.*

Et num.72. dicit: *Similiter quando Præstimonium taxam dictam non exequaverit, poterit alienus Episcopus, altero Præstimonio, Beneficio, Cappellania Collativa, Pensionibus, aliisque emolumentis Ecclesiasticis non naturalibus, defectum supplere, sivè in propria, sivè in aliena Diœcesi præstimoniarius possideat.*

Contra hanc laxam doctrinam recurrunt à fortiori responsiones suprà datæ secundo, & tertio dubio, quibus probatum remanet, ex ventre & mente Bullæ 38
hanc excogitatam ab Auctore congrui Beneficii suppletionem dari non posse, sine dictæ Bullæ fraude, & elusione, maximè in pensionibus, & aliis emolumentis, quæ nullum habent jus spirituale annexum, sed tantùm prò titulo patrimonii admittuntur. Et hìc ulterius meminerint Episcopi, quòd licèt ipsi ex justa causa, nempè, prò studio alicujus Scholaris Clerici pauperis, prò utilitate Ecclesiæ, prò concordia litis, pro pauperibus, & egenis, prò benemeritis, pro usu pio, prò Renuntiantibus ex causa renuntiationis, loco alimentorum in quantitate moderata, & non ex pactione partium, possint reservare pensiones tempore, quo Beneficium confertur, & eorum auctoritate confertur: hoc tamen intelligitur durante vita provisi, vel ad brevius tempus, vel durante tali causa, & necessitate (de qua constare debet aliundè, & non per solam eorum assertionem, cui non creditur) Non enim valent pensiones perpetuas favore pensionarii reservare, nec successores in beneficio gravare, nisi ex causa concordiæ, & ad lites tollendas, ut tradunt communiter Gonzalez. *ad regul.8. gloss.5. §.5. num. 26. & 27.* Gratian. *discep.617. à num.6. ad 17.* Barbos. *de offic.Episc. alleg.85. num.2. 3. & seqq.* Tondut. *de pens. disc. 1. per tot.* quos sequitur Card. de Luc. *de pens. disc.40. & 41. per totos.* Formulam autem hujusmodi provisionis non dedi, quia talis Ordinariorum reservatio cum expressione

sione causæ, fit in litteris collati Beneficii tempore collationis, de qua re egi *tom.*
39 1. *tit.*2.

Dubium X. sic proponit: *Utrùm ad titulum sufficientiæ quis promoveri valeat*: & illud quo ad Episcopum alienum resolvit Negativè: de Episcopo autem ordinandi *num.*80. hæc habet: *Episcopus autem originis, aut domicilii, si opinio Corduæ sit probabilis, poterit probabiliter titulo sufficientiæ suos subditos promovere: præsens enim Constitutio respectu proprii Episcopi nihil innovat: ergo si antè dictam Constitutionem opinio Corduæ, & Enriquez probabilis erat, &c. post illam probabilis manet, sed quidquid sit de hoc, certum est, quòd licèt possit Episcopus proprius, alienus minimè valeat titulo sufficientiæ alienum subditum promovere.*

Et num.81. *An autem Episcopus alienus Beneficium tenue à Titio in sua Diœcesi obtentum, supplere sufficientia possit. Respondetur, quod si sufficientia sit de natura Patrimonii, ut ait Enriquez citatus lib.*10. *cap.*17. *in fine, non poterit Episcopus ordinandi, sufficientia Beneficium tenue supplere, hoc enim supplementum præsenti Constitutione interdicitur: si tamen de genere patrimonii sufficientia non fuerit, supplere sufficientia poterit.*

Hæc videntur deliramenta speculativa: quia sententia, quæ tenet, quòd quis possit ordinari ad titulum sufficientiæ, post Concilium Trident. nunquam fuit probabilis: & licèt illam præter Enriquez tenuerint Gonzal. *in reg.*8. *de altern. gloss.*
40 4. *num.*36. Gratian. *discept.* 57. *num.* 30. tamen numquàm in praxi fuit recepta, neque ullibi servata, tanquam contraria textui Concilii, à quo excluditur titulus sufficientiæ illis verbis, *quamvis aliàs sit idoneus moribus, & scientia*, ut communiter testantur Garc. *de benef. par.*2. *cap.* 5. *num.*127. Ricc. *in prax. tom.*3. *res.*458. *num.* 4. Bonac. *de Sacram. Ordin. disp.* 8. *quæst. un. punct.*5. *num.*36. Pac. Jord. *elucubr. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 320. Piatec. *in prax. par.*1. *cap.*1. *art.*7 *num.*5. *in fin.* Ventrigl. *in prax. par.*1. *annot.*42. *num.*28. Gallemart. *in Concil. sess.*21. *cap.* 2. *remis. vers. quod Doctor*, ubi refert, quòd cum in Synodo Ulisbonensi fuisset decretum, quòd Clerici possent promoveri ad titulum litteraturæ, Sacra Congregat. Concilii, jussu Papæ mandavit deleri.

Secunda propositio, non indiget responsione, quia titulus sufficientiæ non admittitur neque prò patrimonio: nec excogitari, aut inveniri unquam poterit, quòd sufficientia sit de genere Beneficii, aut possit illius naturam assumere, ad hoc, ut quis ea Beneficio tenui supplere valeat; ut non sine singularitate putavit Morenus, absque ulla allegatæ possibilitatis probatione, vel exemplo.

In examine secundi tituli, nempè, originis, prædictus Auctor post dubium sextum *num.* 135. hæc habet: *probabile itidem est, filium natum ex Judæis, vel Turcis, qui posteà baptizatur, originarium esse ad ordines illius loci catholici, in quo Sacrum Baptismum suscepit, ut cum aliis docet D. Lamparez num.* 400. *Baptismus enim, qui est spiritualis nativitas, subrogatur loco nativitatis naturalis. Filius autem Heretici, qui apud Hæreticos baptizatus, heresique detestata, apud Catholicos iterum baptizatur, originarius est loci secundi baptismatis, eo enim quòd secundò baptizatur, supponitur primum baptismum invalidum fuisse.*

Hæc propositio sine alia explanatione
offendit pias aures: nam supponit, quòd 41
filii Hæreticorum ad fidem catholicam conversi, sint rebaptizandi, quod est contrà diffinitionem Ecclesiæ: Unde declarandum est, quòd hìc dicta à Moreno procedant in filiis Hæreticorum, quorum Ministri, vel parentes contrà Christi institutionem errant in collatione baptismi, prout sunt hi, qui exprimuntur in *can. hi vero dist.*4. *de consecrat.* Cæterùm si agatur de filiis Hæreticorum *Protestantium, Luteranorum, & Calvinistarum*, cùm eorum baptismus sit validus, & non reiterandus, deficiet pro eis Episcopus originis, prò quo stabiliendo, recurrendum erit ad Sedem Apostolicam.

In tertio autem titulo Domicilii, interpretando Bullam, quæ in quinta clausula ad illud acquirendum exigit habitationem decennalem, vel saltem cum translatione majoris partis bonorum, & in-

instructis ædibus, habitationem per aliquod tempus considerabile quærit Morenus in IV. dubio: *Quis temporis transcursus erit necessarius ad verificandum esse considerabilem, & num.218.* inquit: *non videtur improbabile, quòd cursus anius anni plùs, minusvè sit in nostro casu tempus considerabile, & num.220. Dixi non videri improbabile, quia probabilius, immo certum est quòd determinare quando sit, vel non, tempus considerabile decursum, pertinet ad Dominum Episcopum illius oppidi, in quo, qui noviter domicilium ad ordines contrahere parat, moratur: qui quidem Dominus Episcopus, valet pro suo regulato arbitrio in aliis casibus breviori tempore elapso, tempus considerabile decurrisse declarare, in aliis autem non ita &c.* & postea infert: *tandè ad promovendum Senatorem, qui in aliena Diœcesi officium perpetuum exercet, nec annum opus est expectare, quia per exercitium officii, satis superque constat, animum inibi perpetuò permanendi habere. Idem dicendum de ejus filiis, qui secum commorantur.*

Advertant hìc Episcopi, quòd opinio probabilis, & minùs probabilis, super quam Morenus totum ædificium construit, non potest locum habere in quæstione nostra, in qua non inquiritur quomodo, & quando de jure dicatur acquisitum domicilium: sed quæritur quodnam dicatur tempus considerabile, ut verificata, & adimpleta dicatur Bulla Innocentiana, quæ illud exigit pro forma: omnes enim, ac singulas circumstantias, seù conditiones, quas pro domicilio acquirendo præsens exigit Constitutio, tanquàm forma exigit: at cùm leges tanquam forma

42 exigunt, qualibet deficiente, actus nullus est, ut communiter in tractatu de legibus docent DD. (hæc verba mutuo accepta) sunt ab ipsomet Moreno *n.241.*

Hoc posito, corruit ædificium probabilitatis Moreni, nam si Episcopus suo arbitrio posset tempus considerabile declarare etiam antè lapsum anni, imò in Senatore post lapsum hebdomadæ, forma, & requisitum Bullæ deficeret, & elusoria remaneret. Igitur tempus considerabile, non arbitrio absoluto Episcopi, sed secundùm juris dispositionem dijudicandum erit: de jure autem, & secundùm determinationem Constitutionum Apostolicarum (& à quibus regulanda erit Innocentiana) tempus considerabile dicitur cursus triennii, ut habemus in 43
l.2. Cod. de repud. ubi sponsa tenetur expectare Sponsum vagantem per triennium, in *cap. laudabilem de frigid. & malef.* ubi disponitur quòd vir impotens ad consumandum matrimonium, illud dissolvere non valeat, nisi post coabitationem triennalem: in Parocho ab officio deposito vigore *cap. cùm inhabito de clandest. dispens.* qùia ad illud non restituitur, nisi transacto triennio: in locatione bonorum Ecclesiæ vigore *extravag. ambitiosa*, quæ ad triennium, quod dicitur modicum tempus, fieri potest: in familiari Episcopi, qui post triennium, tanquam considerabile tempus à Dominio potest promoveri: in beneficii bonæ fidei detentore, qui post triennalem cursum, efficitur legitimus possessor: in Canonico à residentia absente, qui non privatur, nisi elapso triennio: in officio Abbatissatus, quod post triennium in Italia terminatur: & in officio Confessarii Monialium, quod pariter expletur triennio.

Quapropter, qui ante cursum trien- 44
nii, aliquem per notabile tempus considerabile habitasse declararet, non secundùm juris, & constitutionum Apostolicarum tramites, neque secundùm mentem Innocentii, sed potiùs secundùm proprium irregulatum arbitrium procederet, & Bullam violaret, nisi quid modicum pro integro triennio deficeret, v.g. quindecim, viginti, vel triginta dies: qui enim tempus legis non observat, non dicitur formam legis observare, Barbos. *axiom.219. num.2.*

Id verò, quod ibidem subjungit Morenus de Senatore, qui officium perpetuum exercet, ejusque filio, quòd possint ordinari non expectato anno; nè incauti lectores decipiantur, venit intelligendum juxtà per eum tradita inferiùs in Dubio X. *num.259.* ubi melius se explicando dicit: *Exemplum est in eo, qui à Principe ad officium Senatoris, Gubernatoris, & similium opitulatur, quæ quidem perpetua sunt, ac ab illo acceptantur eo animo,*

mo, ut in loco ubi dicta officia exercere parat, perpetuò permanebit, nisi ad commodiorem evehatur: quo animo permanente, & post quam (nota) *per decennium, vel considerabile tempus in loco sui perpetui officii habitabit, ad ordines promoveri desiderat.* Unde in primo loco dicta, procedere possunt de jure: hìc autem secundo loco declarata, aptè locum obtinent in terminis Bullæ Innocentianæ, secundùm quam nemo acquirit domicilium ad suscipiendos ordines, nisi præter animi declarationem juramento firmatam, per decennium, vel per aliquod tempus considerabile cum in structis ædibus, in loco habitaverit.

Transeundo posteà P. Morenus ad quartum titulum familiaritatis, dubium primum sic proponit: *An præsens Constitutio familiares Cardinalium comprehendat*, & illud negativè resolvit, ex eo, quia quando Constitutio est pœnalis qualis est præsens Innocentii (ut ait ipse) Cardinales non comprehendat, & ideo adhuc ea stante, possint Cardinales prædictos familiares, titulo prædictæ familiaritatis, promovere, non expectatis testimonialibus proprii Episcopi, nec arctati sint Beneficium ipsis intra mensem conferre, & quod idem dicendum sit de Cardinalibus Episcopis, quia cum illis Constitutio non loquitur.

46 Hìc *Morenus* graviùs offendit, quia Bulla est universalis, & emanavit contrà omnes usurpantes alienæ plebis hominem, illum ordinantes sub minùs legitimis Beneficii Ecclesiastici, originis, Domicilii, *seù etiam familiaritatis*, quæsitis titulis, ut habetur in proœmio. Item emanavit ad removendos abusus, fraudes, & scandala ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem, totiusque Christiani populi ædificationem; ut pariter cubitalibus verbis legitur in eodem proœmio, ideoque etiam Cardinales comprehendit.

47 Primò, quia quando lex seù Constitutio non odiosa odio irrationabili, est concepta verbis universalibus, (ut hìc) & illius ratio est proportionabilis ad Cardinales, eos comprehendere, sententia communior tenet, ut advertunt Lotter. *de re benef. lib. 1. qu. 8. num. 85.* Rot. *coram Ottobon. dec. 257. per tot.* Passerin. *in cap. unico num. 36. de schismat. in 6.*

Secundò, quia hæc Constitutio emanavit de voto, & consilio eorundem Cardinalium, ut exprimitur in d. proœmio., & sic comprehenduntur, juxta Bullam 6. Urbani VIII. *in regulis Cancellariæ n. 70.* 48

Tertiò, quia declarationes Sac. Congregationis Concilii, si quæ essent favorabiles Eminentissimis Cardinalibus quo ad ordinationem suorum familiarium, hodie sunt reducendæ, & intelligendæ ad limites, & terminos præfatæ Constitutionis, ut ipsimet Cardinales censuerunt, & exprimitur pariter in ipsa Bulla. 49

Quartò, quia ut præmissum fuit, emanavit prò reformatione disciplinæ Ecclesiasticæ, Ecclesiæ utilitate, & totius populi Christiani ædificatione, & ideo cùm respiciat favorem publicum, & salutem animarum, Constitutio dicitur favorabilis, non autem odiosa, & pœnalis, ut malè supponit *Morenus*, & etiam Cardinales sub ea comprehenduntur, & illam observare tenentur, Fagnan. *in cap. cum te num. 26. de rescript. & in cap. ne pro dilatione num. 58. de pænit. & remiss.* Donat. *prax. rer. regular. tom. 4. tract. 5. quæst. 24. num. 1.* 50

De Cardinalibus Episcopis, quòd comprehendantur, res clara videtur, quia hi in prima clausula Bullæ explicitè nominantur ibi -- *nulli Episcopo, seù cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere &c.* & licèt in sexta clausula ubi de titulo familiaritatis agitur, Cardinales non nominentur, adhuc virtualiter, & implicitè comprehensi sunt, ex duplici ratione.

Primò, quia mens Papæ fuit comprehendere omnes Episcopos, etiam Cardinales, qui explicitè in prima clausula nominati fuere, unde cùm ratio motiva, & universalis in proœmio expressa, quæ informat totam dispositionem, conveniat æquè benè, tam primæ, quam sextæ clausulæ, evidens sit, quòd Cardinales Episcopi in utraque comprehenduntur; ad tradita per Rot. *decis. 22. num. 19. 20. 21. & 22. coram Buratt.* 51

Secundò, quia est unica dispositio,

quæ dividi non poteſt, & ſic Cardinales
Epiſcopi ſemel in prima clauſula nomi-
nati, imperceptibile eſt, quòd in clauſu-
lis ſubſequentibus non comprehendan-
tur, niſi expreſsè exceptuati fuerint; &
hoc fit clarum ex clauſula ſexta, quæ non
ſeparat orationem, ſed illativè conjungit
adeò ut una clauſula ab altera appareat
52 pendere, Rot.*coram Seraphin. deciſ.*883.
*num.*7. dicitur enim ibi -- ***Ad hæc nullus***
Epiſcopus , *&c.* ideſt -- ***ea propter*** , ***poſt***
hæc nullus Epiſcopus (ſupple , ***tametſi***
Cardinalatus honore fulgeat) ***familiarem***
ſuum promovere præſumat, & hic eſt ſen-
ſus obvius & naturalis, niſi velimus Bul-
lam eludere.

Tertium dubium ſub hoc titulo fami-
liaritatis movet *Morenus* ſic -- ***An ſi Be-***
neficium , ***quod Epiſcopus ſuo familia-***
ri confert , ***Poſſit Patrimonium ipſum***
ſupplere , *&* *num.*306. in corpore dicit --
affirmativè reſpondetur , ***nam præſens***
Conſtitutio ſolummodò expoſcit , ***quòd***
Epiſcopus ſuo familiari intrà menſem
conferat Beneficium, quod per ſe ad con-
gruam vitæ ſuſtentationem ſufficiat , ***at***
Beneficium tenue , ***quod ſufficienti patri-***
monio ſuppletur per ſe ſufficit ad vitæ
congruam ſuſtentationem , ***ergo ſatisfacit***
in præſenti caſu conferendo Beneficium pa-
trimonio ſuffultum , *&c.* & deinde nume-
ris ſequentibus perperam conatur oſtende-
re, quòd facultas Epiſcopis ablata ſup-
plendi, quod deficeret fructibus Beneficii
cum adjectione Patrimonii, referatur
dumtaxat Epiſcopo, alienæ Diœceſis ſubdi-
tum titulo Beneficii promovendi ad ordi-
nes, non verò Epiſcopo, familiarem ſuum
alienæ Diœceſis ſubditum titulo familia-
turæ promoventi.

Sed quàm ſint hæc aliena, & exorbitan-
tia ab intellectu Bullæ, nemo non videt,
etenim in ſupradicta clauſula ſexta ſta-
tuitur, quòd in futurum, Epiſcopus fa-
miliarem ſuum, alienæ Diœceſis ſubdi
tum ordinans, intra terminum unius
menſis, Beneficium conferre teneatur
ad congruam ſuſtentationem ſufficiens,
his præciſis verbis -- ***Beneficium inſuper*** ,
quod ei ad vitam ſuſtentandam , ***juxta***
modum ſuperiùs præfinitum hoc eſt ſine ad-
53 jectione Patrimonii, ***re ipſa illi conferat***;
dictiones enim illæ -- ***juxta***, & ***ſuperius***,
ſunt relativa ad præcedentem clauſulam
ſecundam cum omnibus ſuis qualitati-
bus ibi expreſſis, nempè ad tempus, lo-
cum, & modum, ut docent communiter
Barboſ.*de dict.*187. *num.* 9. *& dict.* 395.
*num.*2. Gratian. *diſc.*575. *num.*36. *&* 37.
& diſc. 585. *num.*11. Rot.*coram Merlin.*
deciſ. 43. *num.*5. *&* 6. ubi quòd contra-
rium aſſerere ſit mera divinatio, prout ve-
rè hìc *Morenus* divinat.

Addo, quòd cùm in una Tricaricen. 54
quæſitum fuiſſet in Sac. Congregat. Con-
cilii -- ***an ſtante hac noviſſima Conſtitu-***
tione Epiſcopus poſſet familiarem trienna-
lem ad titulum Patrimonii ad ſacros ordi-
nes ob neceſſitatem Eccleſiæ promovere,
ſub die 27. ***Julii*** 1697. reſponſum fuit ***ne-***
gative, prout retuli *tom.*1. *tit.*3.*form.*17.
*num.*1.& hoc procederet, etiamſi ad titu-
lum Beneficii promovere vellet, quod ob-
tinet in aliena Diœceſi, Nicol.*lucub. can.*
*lib.*1.*tit.*11.*num.*7. *verſ.licet* unde, ſi nec
pro utilitate Eccleſiæ id ſibi non licere S.
Congregatio declaravit, nec minùs ex-
tra caſum neceſſitatis licebit. Quare me-
minerint Epiſcopi, quòd cùm eorum
privilegium ordinandi ſuos familiares, ſit
exorbitans à jure, ut benè obſervat Na-
var.*conſ.*12.*n.*2. *& conſ.*13. *num.*4. *de tem-* 55
por.ordin. non debet extendi ad caſum in
Bulla non conceſſum, neque comprehen-
ſum, quidquid dicant antiquiora S. Con-
gregationis Concilii Decreta, quæ am-
pliùs non opitulantur.

Itidem Dubium V. ſic proponit -- ***An***
Domini Epiſcopi promovere valeant fami-
liares triennales , ***qui tamen in actuali***
ſervitio non ſunt, & poſt examen acqui-
ſitionis familiaritatis *nu* 326. infert -- ***nec***
eſſe improbabile , ***quòd triennium*** , ***quod***
inſervire tenetur familiaris Epiſcopi a-
lienæ Diœceſis ſubditus , ***non debet eſſe***
continuum , ***quia præſens Conſtitutio ſo-***
lùm expoſcit , ***quod triennium ſit inte-***
grum, *&* ***completum***, ***ſed poteſt eſſe com-***
pletum, *&* ***integrum***, ***quin ſit continuum***,
ergo non contraveniret præſenti Conſtitu-
tioni, ***qui triennio non continuo ad ordi-***
nes promoveretur, ***quia quod lex non di-***
ſtinguit , ***nec nos diſtinguere debemus***.

Et paulò poſt -- ***infertur tertiò*** , ***familia-***
rem non in ædibus Epiſcopalibus , ***ſed***
tantùm intrà Diœceſim Epiſcopi Domini
com-

commorantem non prohiberi ordinari ratione absentiæ, quia præsumitur Episcopum perspectos habere mores &c.

Et postea -- *idem non improbabiliter firmandum, licèt extra Diœcesim, propè ipsam tamen, præsertim si parva sit distantia his enim casibus militat eadem præsumptio &c.*

56 Abyssus Probabilistarum, abyssum invocat, & de una in aliam laxitatem offendit, ità hìc accidit *Moreno*, qui ut Bullam Innocentii notis illustraret, opinione probabili totam evertit, nam Constitutio non loquitur de novo triennio diverso ab eo, quod jam præfinivit Concilium, ut sibi fingit *Morenus*, sed ad illud se refert ibi -- *Episcopus alienæ Diœcesis subditum familiarem suum ordinare præsumat, nisi ad præscriptum Concilii Trid. præfati sess. 23. cap. 9. de reform. familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit*: ergo cùm triennium de quo Concilium loquitur, & ad quod bulla refertur, debeat esse continuum, ut probant concorditer omnes mox citandi, & nemo, quem viderim, contrarium dixit, innegabiliter sequitur, quòd opinio *Moreni* sit improbabilis, & erronea: quòd autem ad effectum suscipiendi ordines titulo familiaritatis Episcopi triennium debeat esse continuum, firmant uno ore Ricc. *decis. 115. num. 7. par. 4. & in prax. for. Eccles. par. 1. resol.* 287. *per tot. & collect.* 3496. *vers. ultim.* Barbos. *supra Concil. dict. cap. 9. sess. 23. & de potest. Episcop. alleg. 5. num.*
57 4. Corrad. *prax. disp. lib. 4. cap. 5. num.* 61. Piasec. *in prax. par. 1. cap. 1. art. 2. num. 29.* Passer. *in cap. cum nullus, art. 4. num. 78. de temp. ordin. in 6.* Conc. Trid. *sess. 14. cap. 2.* ibi -- *etiam prætexta familiaritatis continuæ.*

Familiaritas autem hæc, non acquiritur ab eo, qui inservit extrà Domum, nec manet sub oculis Episcopi cum præsen-
58 tia, & assistentia obsequiis ejus, quamvis expensis Episcopi alibi moretur, ut in his terminis docet Corrad. *prax. disp. d. lib. 4. dict. cap. 5. num. 60. & 61.* & non obscurè percipitur ex supra recensitis verbis Bullæ ibi -- *in suo actuali servitio secum retinuerit*, consultò, non autem fortuitò, nec casu additis; ad quæ si oculos convertisset *Morenus* modestiùs se continuisset.

Deveniendo postmodum *Morenus* ad quæstionem 6. in qua agit de pœnis impositis Bullæ Transgressoribus, Dubium secundum sic proponit -- *Quæ ignorantia eximat ab incursu pœnarum præsenti Constitutione indictarum, & nu.* 394. respondet his verbis -- *valdè probabile est, crassam ignorantiam, dummodò hæc ingens temeritas non fuerit, ab incursu præsentis suspensionis liberare: probatur &c.*

Et num. 395. -- *minor constat ex præsentis Constitutionis proœmio ubi sic legitur: hinc est, quòd Nos ex commissione Nobis Divinitùs Apostolicæ servitutis munere, abusus, fraudes, & scandala hujusmodi penitus, & omninò è medio tollere, ac irreligiosam (nota) contrafacientium audaciam, quantum nobis ex alto conceditur compescere, & reprimere volentes: & cap. ex quibus verbis liquidò constat, quòd mens Sanctissimi Innocentii est, censuris suspensionis, quas sua præsenti Constitutione promulgat, compescere illos scilicet, qui irreligiosa audacia, præsenti Constitutioni contrafaciunt, cùm ergo dum censura promulgatur contra illos, qui cum audacia operantur, quælibet ignorantia, etiam supina, & crassa immò affectata ab incursu censurarum eximat, fit inde, quòd in nostro casu, non sit improbabile, quòd ab incursu præsentis suspensionis, qualibet ignorantia liberentur.*

Porrò, & hìc fucum facit *Morenus*, 59
nam prò certo est, quòd ignorantia crassa, & affectata, sicuti non excusat à culpa mortali, ità neque à censura à jure, vel ab homine prò culpa inflicta, ut de communi docet Sayr. *de censur. lib. 1. cap. 18. num. 10. 11. & 12.* Item certum quoque est, quòd proœmium Bullæ non facit jus, sed id, quod ad ipsum proœmium sequitur, & ubi verba dispositivæ sunt clara, non recipiunt interpretationem à proœmio, Rot. coram Coccin. *decis. 1505. num. 44. & 68. & decis. 1689. num. 36. & sequent.*

In nostra autem Bulla, clausula octa- 60
va dispositivæ sic loquitur -- *ità verò præmissa omnia, & singula perpetuò, ac inviolabiliter observari*, ac adimpleri volumus;

ut *si* -

ut *si quid* (*nota*) non dicit *si quid* in iisdem *præmissis*, *seu eorum aliquo*, *secus fiat*, *ordinans quidem à collatione ordinum per annum*, *ordinatus verò*, *&c. eo ipso suspensus sit*.

Ideoque cùm Pontifex actum contraventionis respiciat, & pœnam pro transgressione legis imponat, nec temeritatem nec præsumptionem contrafacientis exprimat, neque requirat, ignorantia crassa, & supina, seù affectata ab incursu
61 pensionis excusare minimè poterit, *text. est in cap. Apostolica ibique glos. de cleric. excom. vel deposit.* Donat. *prax. rer. regul. tom.* 3. *tract.* 3. *quæst.* 22. *num.* 3. Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 39. *num.* 46. *vers. porrò ignorantia*, & in terminis Pignatell. *consult.* 189. *num.* 122. *tom.* 9.

Item verba illa proœmii, à quibus deceptus fuit *Morenus* scilicèt -- *irreligiosam contrafacientium audaciam reprimere volentes*, in nostro jure, non dicunt dolum, neque præsumptionem, sed aviditatem, & cupiditatem, ut explicat Pratejus *lexic. jur. verb. audacia* ibi -- *Audaciam ab avidè, idest cupidè agendo dictam ait Fest. lib.* 1. & sic vides lector, quòd qui non quærit veritatem, Plaustrum percutit.

Ulteriùs in eodem secundo dubio *num.* 398. progreditur *Morenus* dicendo -- *Illud enim verò innegabile, quòd si Episcopus suum familiarem titulo familiaritatis, vel alio quopiam, ad ordines promoveret contra dispositionem præsentis Constitutionis, qualibet ignorantia id faceret, à suspensione per annum præsenti clausula ipsi inflicta liberaretur, nam in prohibitione prædicto Episcopo facta, reperitur verbum, præsumat*.

Verùm fateor, quòd hæc legens (quæ numquam ante cognovi) penè effusi sunt sensus mei, videns ad nos pervenisse dies, in quibus ut Apostolus Paulus prophetavit, homines alioquin docti, à veritate auditum avertunt, & ad fabulas convertuntur, cum maxima Ecclesiæ Dei, & disciplinæ Ecclesiasticæ discrimine, & jactura: quis enim non improbabit doctrinam hanc *Moreni*, ad hoc inquam, sufficit allegare textum in *cap. eos, qui de tempor. ordin. in* 6. ubi ex Concilio Oecumenico Lugdunen. hæc habentur -- *eos qui Clerico Parochia aliena absque Superiorum ordinandorum licentia scienter, seu* (*nota*) *affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito præsumpserint ordinare, ut per annum à collatione ordinum decernimus esse suspensos*, quid clarius? Ecce ergo, quòd ignorantia, & præsertim affectata non excusat ab incursu censurarum, sed solùm invincibilis, aut fortè juris dubii; & maximè Episcopum, qui præsumitur scire, & scienter talem ordinasse, nec ignorantiam allegare valeat, 62
63 cùm ad eum spectet, hoc scire, ut in his terminis collationis ordinum, contra præscriptum Decretorum Apostolicorum factæ, advertunt Sayr. *de censur. lib.* 1. *d. cap.* 18. *num.* 12. *&* 13. Pignatell. *consult.* 189. *num.* 88. *tom.* 9.

64 Nihilque facit, quòd in clausula sexta Bullæ reperiatur verbum *præsumat*; quod dolum requirat, & præsumptionem; tum quia in Extravag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien. adest verbum *præsumpserint*, & tamen alienantes, licèt alienent bona Ecclesiæ sine dolo, adhuc censuras incurrunt, ubi non adsit sincera bona fides, & imperitia, ut pluribus exemplis, & auctoritatibus probavi *tom.* 2. *tit.* 14. *form.* 4. *num.* 4. 5. 6. 7. *&* 8. tum quia in citato *cap. eos qui*, adest verbum *præsumpserint*, & tamen ignorantia affectata ordinantes Clericos alienos non excusat, tum demum quia, etsi per possibile dolus, & præsumptio exigeretur, adhuc certum est eos, qui cum ignorantia affectata alienos ad ordines promoverent, censuras incurrerent, ut probant Pirhing. *in jus can. lib.* 5. *tit.* 39. *dict. num.* 46. *vers.* porrò his verbis -- *nullo verò modo excusat à censura ignorantia juris affectata, seu directè volita, quæ scilicet per se eligitur ad liberiùs delinquendum, adeoque non minuit voluntarium excessum, sed potiùs auget, cùm directam malitiam, & formalem dolum includat in se, & in jure æquivalet scientiæ, juxta glos. in cap.* 2. *ver. affect. de tempor. ordin. Quare si censura lata sit contra eos, qui scienter, consulto, vel ausu temerario aliquid fecerint, vel facere præsumpserint, etiam illi, qui cum affectata ignorantia peccaverint illam censuram incurrunt*, Laym. & Passer. *in cap. ut animarum art.* 2. *n.* 416. 417. *&* 418. *de const. in* 6. ubi de communissima sen-

sententia, addens quòd affectata ignorantia non excuset à pœna legis etiam si sit affectata ex pigritia.

Claudit tandem opus *Morenus nu.* 406. hoc dubio – *An autem quilibet Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ prædictam suspensionem absolvere valeat, non est in præsenti suspensione peculiaris difficultas, respectu aliarum suspensionum communis est apud Doctores, circa potestatem Confessarii ad eas absolvendas sententia, quæ suspensioni præsenti coaptari poterit.*

Sensus talis Dubii cum responsione videtur obscurus, & cum rectè percipere non valui, ideoque cavendum ab Enigmate, & sciendum, quòd suspensio in Bulla contenta quoad Episcopum ordinantem est reservata Pontifici, quo verò ad ordinatum, reservata est Episcopo proprio ipsius ordinati.

Et hæc adnotasse sufficiat, quamquam alia minora *Morenus* habeat censura digna (ex ungue enim Leonem) ut Episcopi quoties ipsius Auctoritas eis proponitur, & allegatur, sciant de sussistentia Doctrinæ dubitare, ne de ipsis dici possit, quod de Medæa canit Ovidius - *Video meliora proboque, deteriora sequor.*

IN-

INDICE

Delle Istruzioni.

INDICE

Delle Formole.

INDEX
Rerum Notabilium.

A

LAUS DEO.